COLLECTANEA
MORALIS PHILOSOPHIÆ

PER COMMUNES LOCOS DIGESTA

COLLECTORE

F. LUDOVICO GRANATENSI

MONACHO DOMINICANO.

ACCEDIT

JOH. BAPT. MUNNOZI VALENTINI

De Scriptorum Gentilium lectione, et profanarum disciplinarum studiis ad Christianæ pietatis normam exigendis

PROLUSIO.

VALENTIÆ: M.DCC.LXXV.

EX PRÆLO JOSEPHI ET THOMÆ DE ORGA.

SUPERIORUM PERMISSU.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR tres Tomi.

I. Selectiſsimas ſententias ex omnibus Senecæ operibus;

II. Ex moralibus opuſculis Plutarchi;

III. Clariſsimorum Principum & Philoſophorum inſigniora apophthegmata, hoc eſt, dicta memorabilia, complectitur.

Quæ omnia per communes locos digeſta ſunt, ut ſtudioſus lector, quid in quovis argumenti genere ſibi commodum fuerit, invenire facile queat.

IOH. BAPT. MVNNOZI

De Scriptorum Gentilium lectione, et profanarum disciplinarum studiis ad Christianae pietatis normam exigendis

PROLVSIO.

QVod de animi virtutibus grauissimi dixere Philosophi et Christiani passim Doctores, fieri nimirum non posse, vt quis vnam perfecte habeat, quin omnes simul habeat; id ipsum in disciplinis, quae mentis virtutes appellantur, accidit. Ea siquidem cognatione omnes artes scientiaeque inter se continentur, eo coniunguntur vinculo, vt facilius fuerit, plenam omnium cognitionem assequi, quam vnius seperatim. Sed quum vniuersum disciplinarum orbem absoluere infinitum sit, nec a nobis homuncionibus in tanta vitae breuitate sperandum; consultissimum iudicamus, si generali rerum omnium notitia quasi per epitomen comparata, exquisitam vnius cuiuspiam scientiae doctrinam consequamur. Ad eam autem referendum, quidquid ex aliis inter legendum meditandumue, aut in eruditorum congressu addidicerimus. Ita propriam veluti prouinciam habebimus, in qua consistere, quoque tuto referre possimus pedem, quoscumque demum in alias excursus faciamus. Qui hunc modum atque ordinem nequaquam seruet, si vel totas deuorauerit bibliothecas; nihil tamen concoquisse, nihil recte sapere, in singularis argumenti tractationem adductus deprehendetur (1).

Atque illa quidem disciplina, quam sibi quemque ceu

(1) Seneca *Epist.* 2.

penſum aſſumere oportere diximus, huiuſmodi eſſe debet, in qua per totam vitam poſsimus non modo ſine vllius reprehenſione occupari, ſed cum laude quoque. Eos enim iure merito ridet Seneca (2), inſectantur vero Eccleſiae Patres, qui in artibus liberalibus tamquam ad Sirenum ſcopulos conſeneſcunt. Quippe quae tametſi homine libero dignae, *rudimenta ſunt noſtra, non opera : tamdiuque iſtis immorandum, quamdiu nihil animus agere maius poteſt.* Ceterum vni Sapientiae ſtudio, quod cupiditatem eximit, quod libidinem frenat, verbo quod bonos viros facit, inhaerendum docet Seneca. Qua in re conſentientes habet Chriſtianae pietatis Doctores. In eo tamen diſcriminantur, quod quae ille bona ab humana Philoſophia fruſtra quaerebat, hi vere ex diuinarum Scripturarum ſcientia petenda iudicent.

Qua ergo ratione Gentilium doctiſsimi Philoſophos praeceteris habuerunt in pretio, eos dumtaxat *Sapientium* nomine honeſtantes, et praecipue Socratem, cuius omnis oratio, teſte Tullio (3), in virtute laudanda, et in omnibus hominibus ad virtutis ſtudium cohortandis conſumebatur ; eadem noſtri eum unice vere ſapientem praedicant, qui oracula diuina ſcrutatur, ſeque ad illorum normam componit. Haec vera, haec ſolida eruditio : haec vna digna in quam diu noctuque incumbant Chriſtiani. Maxime vero Concionatoribus in ea habitandum eſt, et quaſi tabernaculum vitae ac ſtudiorum collocandum. Quantum enim a magiſtro ſuperari oportet auditorem, tantumdem diuini eloquii miniſtros Scripturarum ſcientia inter Ieſu-Chriſti diſcipulos excellere par eſt.

Sed penitiorem Scripturarum ſcientiam aſſequi omnino non poterit, nec altiſsimum Doctoris munus cum dignitate obire, niſi qui prius in ſaecularibus ſtudiis haud mediocriter fuerit verſatus. Quo nomine Linguarum, Eloquentiae, Hiſtoriae ac Philoſophiae cognitio venit. At huiusmodi diſciplinae omnes, quae ſeu ſermonis, ſeu rationis ſunt, ve-

(2) *De breu. vit.* cap. 14. et *Epiſt.* 88.

(3) Cicero *Acad. quaeſt.* lib. 4. cap. 4.

veram ſapientiam haudquaquam conferunt. Sunt tamen prooemium et veſtibulum, aut potius via per quam illa aditur. Qua de re acute diſputat Philo Iudaeus in eo libro quem de congreſſu quaerendae eruditionis gratia conſcripſit. Et pulcherrimis pro more ſuo allegoriis oſtendit, humanas diſciplinas, quas nunc encyclicas, primas vel medias artes, nunc encyclopaediam vocat, verae eruditioni, velut famulas dominae, praemitti atque ancillari oportere.

In eamdem ſententiam veteres Epiſcopi locuti ſunt. Nam quod interdum profanam vituperent eruditionem, eius etiam ſtudium, tamquam ab homine Chriſtiano alienum, damnare videantur; id quidem de abuſu intelligendum eſt. Neque vero poterant humanas ſcientias damnare, quas et ipſi diuinum donum agnoſcerent, quasque ad eas veritates, quae rationis lumine continentur, habendas ſcirent inſtitutas. Atqui ipſius veritatis natura oſtendit, nullum eſſe verum in tanta rerum varietate, quod inueſtigare honeſtum non ſit. Et ineſt menti quoddam ius ad omnia, quae ſub illius intelligentiam cadunt, cognoſcenda, vel ipſo Deo auctore, qui mundum hominum diſputationi permiſsit (4). Conſtat praeterea ex ſanctorum utriuſque foederis virorum exemplo et innumeris Patrum locis, Gentilium ſcriptorum lectionem, et rationis humanae diſciplinas, non modo Chriſtianis dignas, verum etiam ad mentem in Deum erigendam, ad pietatis noſtrae confirmationem, eiusque hoſtes reuincendos, ad formandos mores, ad ſacrarum denique litterarum interpretationem vtiliſsimas, ac tantum non omnino neceſſarias eſſe.

Sic „ Moyſes ille per quam eximius, cuius nomen apud „ omnes homines ob ſapientiam maximum eſt, exercitato „ in AEgyptiorum diſciplinis animo, ita ad eius *qui eſt* con„ templationem dicitur deueniſſe. Similiter autem poſterio-

„ ri-

(4) Eccleſ. 3. v. 11. Confer. L. Viues *De cauſ. corr. art.* lib. 1. Op. T. 1. pag. 442. ſeq. Du-Pin. *De verit.* cap. 16. Muratori *De ingen. moderat.* lib. 1. cap. 1. Varia in hanc rem Scripturarum et PP. loca collegit Ioh. Lamius *De erudit. Apoſtol.* cap. 1. not. 10.

„ribus quoque temporibus ſapientem Danïelem ſapientiam „Chaldaeorum in Babylone edoctum , ita demum doctri- „nas ſacras attigiſſe tradunt (5).” Hac de cauſa Dauid: *Caeli* , inquit , *enarrant gloriam Dei* , *et opera manuum eius annuntiant firmamentum* (6). Et Paullus : *Inuiſibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus et diuinitas* (7). Quid eiuſdem Paulli loca referam , quibus Graecorum Poëtarum dictis Arati (8), Menandri (9), atque Epimenidis (10), ſeu ad ſententiae confirmationem , ſeu ad os Gentilibus obturandum vtitur? Poſſem hoc loco bene multos veterum Epiſcoporum recenſere , qui aut profanas diſciplinas , apud Gentiles adquiſitas , pietati noſtrae ſeruire coëgerunt , aut easdem a Chriſtianis ipſis didicere , aut ad heterodoxos confutandos adhibuerunt. Satis enim conſtat , primigeniae diſciplinae fuiſſe , ut humanae litterae in ſcholis publicis a Chriſtianis praelegerentur. Quod quia lege vetuit Iulianus, aegre ferens , ſuis ipſius pennis Gentiliſmum percelli (11), inter ſaeuiſsimos Eccleſiae perſecutores numeratur (12). Poſſem et eos Patres commemorare , qui aut ipſi de artibus liberalibus , de Philoſophia, aliisque id genus commentati ſunt; aut in Poëtica ſeſe exercuerunt , ne fabularum quidem luminibus parcentes , aut impiiſsimis quibusque Gentilis Theologiae commentis , cum Chriſtiana pietate collatis , huius praeſtantiam demonſtrarunt. Vnum pro omnibus adducam Auguſtini *de ciuitate Dei* immortale opus , in quo vniuerſa Gen-

ti-

(5) S. Baſilius *Ad adoleſcentes, Quomodo poſsint ex Gentilium libris fructum capere.* Op. edit. Bened. Pariſ. 1722. T. 2. pag. 175. Eadem exempla alii PP. proferunt.

(6) *Pſal.* 18. v. 1.

(7) *Ad Rom.* 1. v. 20.

(8) *Actor.* 17. v. 28.

(9) 1. *ad Cor.* 15. v. 33.

(10) *Ad Tit.* 1. v. 12.

(11) „Vetuit (Iulianus imp.) „ne Galilaei (ſic appellabat Chriſtianos) Poëticam , Rhetoricam „et Philoſophiam diſcerent. Nam „noſtris ipſorum , inquit , pennis „percellimur: ſiquidem noſtrorum „ſcriptorum praeſidiis muniti , con- „tra nos bellum ſuſcipiunt.” Theodoret. *Eccleſ. Hiſtor.* lib. 3. cap. 7. Vetuit etiam ne docerent. De vtroque teſtantur paſsim tam hiſtorici quam doctores veteres.

(12) Auguſtin. *De ciuit. Dei*, lib. 18. cap. 52.

tilium eruditio, cum Sacris litteris amico foedere copulata, opes ſuas ad faciendum verae fidei monumentum confert.

Temperare tamen mihi non poſſum, quin duo pro centum millibus aſſertae propoſitionis vades proferam. Prodeat in primis pro Graecis Patribus Gregorius ille Nazianzenus, Theologus per excellentiam nuncupatus. Hic enim, Baſilium laudaturus, in hunc modum praefatur: „Illud autem „inter omnes ſanae mentis conſtare arbitror, eruditionem „inter humana bona principem locum tenere, non de hac „noſtra ſolum ac nobiliore loquor ... ſed etiam de externa, „quam plerique Chriſtiani prauo quodam iudicio, vt inſi„dioſam et periculoſam, ac procul a Deo auertentem, „aſpernantur. Quemadmodum enim caelum, terram, aë„rem, quaeque eorum amplexu coërcentur, non ideo con„temnere debemus, quia non nulli ſcelerate acceperunt pro „Deo ea, quae Dei ſunt venerantes; quin potius quidquid... „vſui eſt decerpentes, quidquid periculoſum eſt fugimus:... „eodem nos quoque modo ex litteris illis et diſciplinis, id „ſane, quod in inquirenda rerum natura et contemplatione „verſatur, ſuſcepimus; quidquid autem ad daemones, et „errorem, et exitii voraginem ducit, reſpuimus. Immo et„iam ab eo ad Dei cultum adiuti ſumus, nimirum ex de„teriori id quod praeſtantius eſt cognoſcentes, atque illo„rum imbecillitate doctrinam noſtram fulcientes. Quamob„rem non iccirco eruditio contemnenda eſt; quod ita qui„busdam videatur: quin potius ſtulti atque imperiti haben„di ſunt, qui hoc exiſtimant: qui omnes ſui ſimiles eſſe cu„piant, vt priuata eorum inſcitia ſub communi deliteat, nec „quisquam ipſorum imperitiam prodat et coarguat (13)."

Audiendus nunc pro Latinis magnus Auguſtinus. „Phi„loſophi autem qui vocantur (ait libro ſecundo *de doctri„na Chriſtiana* (14)), ſi qua forte vera, et fidei noſtrae ac„commodata dixerunt, ... non ſolum formidanda non ſunt,

 „ſed

(13) Orat. 20. in laudem Baſilii, Op. edition. Pariſ. 1609. T. 1. pag. 323. ſeq.

(14) Cap. 40. Op. ed. Bened. Pariſ. 1689. T. 3. part. 1. col. 42.

„ſed ab eis, tamquam iniuſtis poſſeſſoribus, in uſum no-
„ſtrum vindicanda.... *Etenim* doctrinae omnes Gentilium
„non ſolum ſimulata et ſuperſtitioſa figmenta, graues-
„que ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, ... ſed etiam
„liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, et quaedam
„morum praecepta vtiliſsima continent, deque ipſo vno
„Deo colendo non nulla vera inueniuntur apud eos: quod
„eorum tamquam aurum et argentum, quod non ipſi
„inuenerunt, ſed de quibusdam quaſi metallis diuinae pro-
„uidentiae, quae vbique infuſa eſt, eruerunt, et quo
„per uerſe atque iniurioſe ad obſequia daemonum abutun-
„tur, ... debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum
„praedicandi Euangelii.... Nam quid aliud fecerunt multi
„boni fideles noſtri? Nonne adſpicimus, quanto auro et
„argento et veſte ſuffarcinatus exierit de AEgypto Cypria-
„nus, doctor ſuauiſsimus, et martyr beatiſsimus? quanto
„Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de
„viuis taceam? quanto innumerabiles Graeci?"

Profanas ergo diſciplinas noſſe, Ethnicosque ſcriptores legiſſe, diuini eloquii miniſtris et honeſtum eſt, et in primis fructuoſum. Verum eſt modus in rebus. Siquidem haec ſtudia, quae Iuſtino, Irenaeo, Baſilio, Nazianzeno, Chryſoſtomo ex Graecis, ex Latinis vero Cypriano, Lactantio, Ambroſio, Hilario, Auguſtino, Iſidoro, Thomae, aliis valde profuerunt; non paucis etiam, ab initiis Chriſtiani nominis ad noſtra uſque tempora, exitio fuere. Quotusquisque enim eſt qui neſciat, quot errores pepererit, aut Chriſtianiſmi Ethnicaeque Philoſophiae mixtura, aut inconſultus quorumdam Philoſophorum amor, Platonis praeſertim atque Ariſtotelis? (15) Quot nugas et cauillos in Theologiam inuexerint Arabum, eorumque aſſeclarum nimiae ſubtilitates? Quam multos in transuerſum egerit, humanae rationi plus

(15) Vid. Ioh. Clericus in *Epiſt. Crit.* ep. 9. Launoius *De varia Ariſtot. fortuna.* De turbata per Platonicos Eccleſia ex inſtituto egit Ioh. Laur. Moshemius in eruditiſsima diſſertatione Tom. 2. *Syſtem. Intellect.* Cudworti ſubiecta.

plus aequo tribuisse? Hinc illae Patrum, hinc iustissimae piorum etiam tum querelae. Quocirca fatendum est, grauissimum pietati nostrae periculum ab saecularibus studiis imminere, nisi magno cum iudicio illa instituantur. Quis ergo modus in profanorum omne genus scriptorum lectione seruari debeat, qua via et ratione possint humanae rationis disciplinarum studia sine pietatis discrimine, immo cum fructu iniri, quantum extemporali opera per nostrarum virium imbecillitatem liceat, ostendemus.

Et primum scire oportet, iuueniles tantum annos in his studiis insumendos. Sunt illa quidem eius aetatis propria, bonam etiam partem non nisi teneris auribus accommodata, Linguae, Eloquentia, Poëtica, omnes denique sermonis artes (16). Turpe profecto est, vt qui ad veram eruditionem contendit, in illius praeludiis diutius immoretur. Vnam Philosophiam dignam iudicabant Ethnicorum doctissimi, cui prouectior aetas studeret. Artes liberales non item (17), quod viam vnice ad sapientiam sternerent: hanc autem, ex illorum sententia, sola conferret Philosophia. Veteres Episcopi, siue humanas disciplinas, dum in AEgypti tenebris versarentur, edocti, post baptismum non amplius attigerunt; siue illis in adolescentia comparatis, reliquum vitae tempus sacrarum litterarum studio impendebant. Quod quidem monitum, vt ad studentes quoscumque spectet, praecipue tamen futuris diuini eloquii ministris, in quorum gratiam scribimus, alta mente defigatur velim.

Quodcumque autem tempus in saecularibus studiis collocetur, cauendum est, ne pietas, ne mores quidquam detrimenti capiant. Iccirco spurci omnes libri ab adolescentium manibus procul arcendi. Charta me deficeret, si vel insigniora Patrum loca vellem adducere, quibus impuros libros

(16) Augusst. *De doct. Christ.* lib. 4. cap. 3. vbi locum Cic. *de Orat.* III. 36. adducit.

(17) Cic. *De fin.* l. 1. c. 21. *Ii indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putent usque ad senectutem esse discenda.* Vid. Seneca tota epist. 88. vbi haec habet: *Non discere debemus ista, sed didicisse.* S. Basilius loc. cit. T. 2. pag. 174. Augusst. *De doct. Christ.* l. 3. c. 3. Vossius, Lipsius, alii qui de studendi ratione scripsere.

demonſtrant certiſsimam hominum animis perniciem afferre. Quod et agnouerunt Gentiles, non Philoſophi modo et Legislatores, verum etiam impuriſsimi Poëtae (18). Fateri hoc vel inuitum cogit Ouidium ipſa veritas : quique pudicos amet mores, ei vetat optimos de cetero Poëtas, ſe quoque ipſum legere (19). Sed quoniam de iſto argumento ita ſcripſit doctiſsimus iuxta et piiſsimus Ludouicus Viues vt nemo melius, ad eum amandamus Lectorem (20). Idem eſto iudicium de libris Magiae, Aſtrologiae iudiciariae, diuinationum, ceteris, quibus vanae ſuperſtitioſaeque artes continentur. Pugnant hae cum pietate, pugnant cum vera Philoſophia. Repudiandas adeo et fugiendas Chriſtianis monuit Auguſtinus, omnino legendus libro ſecundo *de doctrina Chriſtiana* a capite decimo nono ad viceſimum quartum. Quod ſi cui tempus ſuppetat, velitque plerarumque omnium ſuperſtitionum originem, progreſſus, et inanitatem cognoſcere ; is adire poterit egregiam Petri Brunii hiſtoriam criticam rituum ſuperſtitioſorum (21).

Et

(18) Multa tum PP. tum Ethnicorum loca collegit Raynaudus in *Erotematibus de malis ac bonis libris*, Part. 1. Erot. 7.

(19) *De Remedio amoris* lib. 1. a v. 757.

(20) *De fem. Chriſt.* lib. 1. cap. *Qui non legendi ſcriptores*, cet. Tom. 2. a pag. 657.

(21) Iuuat earum artium vanitatem, Cornelii Agrippae, famigeratiſsimi de re magica ſcriptoris, palinodia oſtendere. En illius verba ex lib. *De vanit. ſcientiar.* cap. 48. depromta. „De Magicis ſcripſi ego iuuenis adhuc libros tres „amplo ſatis volumine, quos *de occulta Philoſophia* nuncupaui, in „quibus, quidquid tunc per curioſam adoleſcentiam erratum eſt, „nunc cautior hac palinodia recantatum volo. Permultum enim „temporis et rerum in his vanitatibus olim contriui. Tandem hoc profeci, quod ſciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac „pernicie dehortari. Quicumque enim non in veritate, nec in virtute Dei, ſed in eluſione Daemonum, ſecundum operationem malorum ſpirituum, diuinare et prophetare praeſumunt, et per vanitates magicas, exorciſmos, incantationes, amatoria, agogima, et cetera opera daemoniaca „et idololatriae fraudes exercentes, praeſtigia et phantaſmata oſtentantes, mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactant : omnes „hi cum Ianne, et Mambre, et Simone Mago, aeternis ignibus „cruciandi deſtinabuntur.”

Et libri quidem obſcoeni ac ſuperſtitioſi per leges eccleſiaſticas prohibiti et damnati ſunt. Quamobrem et rariſſime occurrunt, et paucorum manibus teruntur. Aliud ſupereſt librorum genus, de quibus vitandis eo magis admoneri debent adoleſcentes, quo nullo non loco obuii, quoque plures habent laudatores. Videlicet proxime elapſo ſaeculo quum ſolida eruditio, bonarumque diſciplinarum ſenſus in peius rueret apud noſtrates, vigeretque, ſi umquam, inſanabile illud ſcribendi cacoëthes; infinitis propemodum comoediis, fabellis amatoriis, aliisque eiusdem farinae nugis onerarunt orbem litterarium imperiti et maleferiati homines. Haec autem exſibilata illa errantium equitum portenta exceperunt, hodieque in honore ſunt, haud minori certe, forte etiam maiori proborum morum detrimento. Arma quidem, amores, ineptiae, nequitiae in vtrisque. Niſi quod frequentiora in illis et cruentiora certamina, voluntas voti compos rarior: in his contra, per leuiores tumultus, libidinis regnum longe pacatius conſtitutum.

AEtas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores (22).

Temperare ſibi quoque ſtudentes debent a libris imperite ſcriptis, ſeu ad rem ſuam non facientibus. Breuior eſt vita, pretioſius tempus, quam vt ineptis aut nihil profuturis chartis legendis miſere perdantur, in tanta praeſertim optimorum librorum copia. In ſcriptis autem inutilibus non poſtremum locum occupant eriſtica et contumelioſa, quibus aut caritas inter homines, aut cuiusquam exiſtimatio laeditur. Decet Chriſtianum virum tranquilla veritatis inueſtigatio: ſtilus cruentus, liberiora et aculeata dicta non decent. Nolim adeo, adoleſcentes immaniſsimas illas eruditorum concertationes ſpectare.

Prima ergo cura ſit, vt quid lectu dignum, quid contra, nouerint profanarum diſciplinarum ſtudioſi. Porro autem, qui fructus ex vniuscuiusque ſcriptoris lectione percipiendi, qui vitandi in ea ſcopuli, ſciendum eſt. Nos hoc loco non nulla ge-

ne-

(22) Horat. *Carm.* III. 6. 46.

neratim atque vniuerſe dicemus: eademque opera de Gentilium lectione, deque Oratoriae, Poëticae, Hiſtoriae, ac Philoſophiae ſtudiis ex pietatis praeſcripto inſtituendis breuiter diſſeremus.

Et de ſtudiis Eloquentiae Oratori Chriſtiano accommodatis, vt Eraſmum, Val. Andream, alios complures transeam, docte prorſus et accurate diſputauit Granatenſis noſter in libris de Eccleſiaſtica Rhetorica. Quos qui legerit, longam a nobis orationem non requiret. Sed monendum tamen iudicamus, omnia dicendi praecepta maiori cum operae pretio apud Ariſtotelem, Tullium, Fabium, Longinum, ceteros Gentiles, quam apud noſtros perdiſci. Multum quidem illi rerum ſcientia ſuperantur, at accuratiores paullo in ſermonis diſciplinis fuere. Iam vero quum eo magis audientibus proſit Concionator, quo acutius, ornatius, vehementius dicat; haec autem facultas legendis Oratorum libris comparetur: aequum profecto eſt, vt et Gentiles a Chriſtianis ſapientiam, et Chriſtiani eloquentiam a Gentilibus mutuentur. Graecos praetereo, quos dicendi arte praeſtare ceteris, Romanorum diſertiſsimus confeſſus eſt (23). Tullii certe Orationes, Plinii Panegyricum in ſuccum et ſanguinem conuertiſſe, neminem vmquam poenitebit.

Verum enim vero longe a via aberrauerit, qui praeter diſpoſitionem et elocutionem, quae Rhetoricae tantum propria ſunt, quidquam vlterius magni pretii ex Ethnicorum Oratoribus petendum ducat: immo, niſi malas illorum tum artes fugiat, tum opinationes. Id vnice illis propoſitum, vt, quocumque demum modo poſſent, iudices ad ſuas partes traherent. Hinc nec ſua ipſorum ſenſa curare, nec mendacio parcere, nec modeſtiae aut pudoris vllam rationem habere. Adeo vt, quum Oratorum licentia innocentibus periculo, nocentibus praeſidio eſſet; neceſſe fuerit, eloquentiam frenis cohiberi. At Chriſtiano Oratori caritas, veritas, modeſtia, ſumma lex eſto. Quaeſtum illi, plauſus, honores per dicendi artes quaerebant: nobis contra, vna ſalus animarum, vel per infamiam et ignominiam, cum rerum

(23) Cicero in *Bruto* cap. 7.

rum etiam fortunarumque detrimento, propoſita eſſe debet.

Quamquam vero Gentilium Oratores, quod probe animaduertendum eſt, ex populari ſententia fere loquerentur; praeclara tamen quaedam dixere, ea nimirum tractantes, de quibus populus recte ſentiebat. Ergo ſi qua eſt virtutis commendatio, ſi locus aliquis in auaritiam, ambitionem, libidinem, ebrietatem inſignis, cuiusmodi in Orationibus Ciceronis non pauca; iis Concionatores cum fructu vtentur. Sed vnum eſt, in quo vel maxime futuros diuini verbi miniſtros vellem ſeſe ad Gentilium normam componere. Vt ea ſcilicet contentione incumberent ſtudiis litterarum, quantam in illis fuiſſe ſcribit ſummus Rhetor Quinctilianus. „Referam neceſſe eſt animum ad eam diſciplinam „(inquit „apud illum (24) Meſſalla)" qua vſos eſſe eos Oratores ac„cepimus, quorum infinitus labor, et quotidiana medita„tio, et in omni genere ſtudiorum exercitationes, ipſo„rum etiam continentur libris. Notus eſt vobis vtique Ci„ceronis liber qui *Brutus* inſcribitur, in cuius extrema par„te ... ſua initia, ſuos gradus, ſuae eloquentiae velut quam„dam educationem refert: ſe apud Q. Mucium ius ciuile „didiciſſe, apud Philonem Academicum, apud Diodotum „Stoicum, omnis Philoſophiae partes penitus hauſiſſe: ne„que his Doctoribus contentum, quorum ei copia in Vr„be contigerat, Achaiam quoque et Aſiam peragraſſe, vt „omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque „hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non Geo„metriae, non Muſicae, non Grammaticae, non denique „vllius ingenuae artis ſcientiam ei defuiſſe." Similia de Baſilio (25), de Caeſario fratre (26), de ſe ipſo quoque (27) tradit Nazianzenus. Erubeſcant igitur complures huius temporis Oratores ſacri, de quibus ſub inepti cuiusdam perſona

(24) In Dial. *De cauſ. corrup. eloq.* Tacito vulgo adſcripto, eiusque operibus ſubiuncto, edit. Lipſii Antuerp. 1607. pag. 484.

(25) Naz. *Orat.* 20. Tom. 1. pag. 332. ſeq.

(26) Id. *Orat.* 10. Tom. 1. pag. 163.

(27) *Orat.* 3. *adu. Iulian.* Tom. 1. pag. 96. et in *Carm.* de *rebus ſuis*, Tom. 2. pag. 33. aliisque locis.

na dicitur, litterarum ſtudiis valere iuſsis, animum ad concionandi munus appuliſſe.

Venio ad alterum eloquentiae genus Poëſin, diſciplinarum omnium condimentum, quae ingenium vegetat, mentem in ſublime erigit, animum tandem mira quadam iucunditate perfundit. Vellem adeo, adoleſcentes ab ſeueriorибus ſtudiis delaſſatos, honeſtam, naturaeque humanae neceſſariam recreationem aut legendis Poëtis, quaſi ingenii luſibus ſpectandis, capere; aut tantiſper etiam ipſos ludere, aliquo fingendo poëmatio. Quae ſane admonitio, ſanctiſsimi Epiſcopi (28) conſilio et exemplo confirmata, ſatis oſtendit, quam ſit ea in ceſſationibus occupatio viro Chriſtiano digna, nedum illicita aut indecora. Moſem, Dauidem, Salomonem, reliquos diuinos Poëtas tranſeo. Nihil dicam de Hilario, Nazianzeno, Ambroſio, Prudentio, Paullino, Sidonio, Proſpero, aliisque priorum ſaeculorum Patribus, qui elegantiſsima omnis generis poëmata compoſuere, optima quaeque Gentilium imitati. Nihil de Homero et Heſiodo in veteribus Chriſtianorum ſcholis haud mediocri vtilitate praelectis. Etenim nemo, opinor, ſanae mentis vel Poëſeos vtilitatem negauerit, vel eam ex claſsicorum, hoc eſt, Gentilium Scriptorum lectione potiſsimum hauriendam.

Quod ſi Poëtices praecipuum ſuum inſtitutum laudandi Deum, praeclara hominum facta celebrandi, virtutes commendandi, inſectandi vitia, mores denique formandi perpetuo tenuiſſet; nullo negotio ad Chriſtiani Doctoris vſus referri poſſet. Nunc quando tot allegoriis, tot fabulis, tot portentis obſcurata et deturpata eſt; Herculeus plane labor ad hoc Augiae ſtabulum repurgandum requiritur. Fierique vix poteſt, vt quis ex Gentilium Poëtarum lectione inconтaminato pectore euadat, niſi aut magnus pietatis ac eruditionis apparatus, aut idoneus adſit inſtitutor (29). Multa

(28) Syneſii Epiſcopi Cyrenenſis in *Herone*, quo in opere humanarum litterarum ad rem Chriſtianam vtilitatem demonſtrat. Fuit et ipſe Poëta non inelegans.

(29) Vid. Plutarchus Opuſc. *De legend. poët.* ſub init.

ta in illis obſcoena, multa falſa, obſcura plurima, omnia idololatriam reſipientia, errores cum veritate permixti. Quae internoſcere, illuſtrare, atque ad veritatis amuſim exigere, cuius ſit difficultatis, nemo non videt.

Ergo Poëtas lecturus adoleſcens, iudicis, rigidique cenſoris animum prius induat, nihil paratus admittere, niſi ſi cum recti ac veri regulis conformetur. Tum praeterea dictionem a ſententia diligenter ſecernat. Et verba, quantum velit, laudet, exoſculetur, admiretur, ſtupeat: quamquam et heic modus a Grammaticis addiſcendus. Caueat tamen, ne verborum pulchritudine irretitus, cum furente Poëta et ipſe quoque furat: immo quae ille per ambages, Deorumque miniſteria, et fabuloſum ſententiarum tormentum praecipitatus canit; ad logicas, vt vocant, propoſitiones reducenda, et ſingulorum ratio quaerenda eſt. „Cato, puer „etiam num, facere quaecumque praeceptor iuſsiſſet ſole„bat, mandati tamen cauſam et rationem poſtulabat. Ce„terum Poëtis non ita vt paedagogis aut legum latoribus „parendum, niſi rationem habeat quod proponunt.” Agnoſcis ſummi viri Plutarchi verba, cuius aureum de legendis Poëtis librum ſemel atque iterum verſare, operae pretium erit.

Quoniam vero res nobis cum Chriſtianis eſt, iisque praeſertim qui ad Euangelicum munus deſtinantur; ſuperuacaneum erit animaduertere, vt plusquam vulgaris Hiſtoriae ſacrae, Ethicae Chriſtianae, Fideique verae dogmatum notitia, Poëtarum lectioni praemittatur. Accedet Mythologiae, ad veritatem hiſtoricam et naturam rerum, quoad eius fieri poſsit, redactae, compendium aliquod. His praeſidiis cum ad auctores intelligendos ſternetur via, tum de conſenſu et diſcrepantia Gentilem inter et Chriſtianam Theologiam diiudicari poterit. Quae quidem comparatio, ſi rite inſtituatur, pietatis noſtrae ſimplicitatem et excellentiam, Gentiliſmi cauillos atque vilitatem haud obſcure declarat. „Nam „ſi mutua quaedam conuenientia (ait Baſilius (30)) inter-

„ſit

(30) Loc. cit. Tom. 2. pag. 175.

„ſit inter doctrinas, earum nobis cognitio valde vtilis fue-
„rit: ſin minus, certe earum inter ſe collatarum diſcrimen
„internoſſe, ad potiorem firmandam non parum con-
„tulerit."

Sed enim ad vberrimum eum fructum ex Poëtarum lectione percipiendum, quae ſunt in illis ambigua et obſcura, explicare atque illuſtrare neceſſe eſt. Scilicet ea fuit plerorumque veterum conſuetudo, ab AEgyptiis profecta, vt inſigniora hominum facta, moralia praecepta, phyſica item et aſtronomica, ſymbolis, apologis, aenigmatibus inuoluta traderent (31). Hinc Poëtarum fabulae, ſub quarum amaro cortice dulcis ſaepe ſaepius nucleus latet. Ac tametſi excuſari Gentiles non debeant, quippe quos ſciamus in hac etiam parte miſere alucinatos (32); nihil tamen prohibet, quo minus pleraque ad allegorias flectamus. Sic quum Iouem, omnemque illam Deorum familiam audimus; verum Deum, Angelos, Reges, duces ſtrenuos, ſapientes viros, aliaque huiusmodi poſſumus intelligere. Chaos; aſtrorum, animantium, hominis productio; aetas Saturni aurea, tresque inſequentes; eluuio Deucalionis, notiſsimas ſacrarum litterarum hiſtorias indicant: Phoebi Daphnidisque amores, perpetuam lauri viriditatem: Calliſto in vrſam conuerſa, neue in mare mergeretur prohibita, conſtantem Arctici poli ſitum. Philautiae atque avaritiae alligati, Narciſi et Midae nominibus corripiuntur. Portentoſa Deorum genealogia, vel cauſarum naturalium, vel humanorum affectuum theoriam continet. In hunc modum alias Poëtarum fabulas interpretari licet, Sanctorum Patrum exemplo, nec invitis Gentilium cordatiſsimis Cicerone, Manilio, Plutarcho, ceteris, quibus

De

(31) Confer. R. Cudwort, *Syſtem. Intellect.* cap. 4. §§. 18. et 19. Tom. 1. a pag. 358. Sed praecipue quae ad haec loca adducit Ioh. Laur. Moshemius, maxime a pag. 414.

(32) Conf. Huet. in *Quaeſt. Alnet. de concor. rat. et fid.* lib. 2. Anteceſ. n. II. 2. Ne ipſum quidem Socratem, quo ſapientiorem apud Gentiles inuenias neminem, recte in hac materia ſenſiſſe, demonſtrauit, praeter alios, Iac. Zimmermannus in *Medit. de praeſtantia Relig. Chriſtianae, collata cum Philoſophia Socratis.* §. 5. in *Amoenit.* Schelhorn. Tom. 11.

De meliore luto finxit praecordia Titan.

Iam detracto eiusmodi fictionum cortice, pronum erit inter ea distinguere, quae ex ratione naturali aut veteri traditione, ex commercio cum Dei populo, ex corruptis quoque moribus et opinionibus desumta sunt. Haec autem consideratio partim ad scripturarum veritatem stabiliendam, quod Eusebius et Huetius fecerunt ; partim ad errores vitandos confert. In quibusdam sacrorum voluminum vestigia satis manifesta apparent. Alia ne obtorto quidem collo reduci ad hunc fontem possunt : sunt enim humani cerebri, Polytheismi tenebris obducti, figmenta. Non nulla falsis Philosophorum opinionibus superstructa. Pythagorica exempli causa metempsychosis monstrosas Ouidii, Appuleiique metamorphoses peperit. Generatim vero, quod astra, plantas, vilissimas quasque res creatas, inania denique fortunae ac similium nomina, tamquam numina intelligentia praedita vendiderunt ; idololatriae referri debet acceptum. His notionibus imbuti adolescentes sine pietatis discrimine figmenta Poëtarum legent. Erit in quo velut aegri somnia audientes rideant, confutentque facile, vtpote cum ratione ac inter se pugnantia : erit etiam in quo proficiant, quum veritatis corpus in umbra, naturae miranda lepido artificio latentia, Ethicae decreta ingeniosis allegoriis celata detegant (33).

Vberior multo fructus ex illis Poëtarum locis capietur, vbi praestantium virtute virorum facta, aut virtutes ipsae debitis honoribus afficiuntur. Quae causa fuit, cur Homeri poëmata commendarint Basilius (34) et Nazianzenus (35). Bonae item frugis plenae sunt elegantissimae descriptiones inuidiae, irae, discordiae, auaritiae, ingrati animi, cet. qui-

(33) Consulendus Ger. Ioh. Vossius in eruditissimo opere *De Theologia Gentili et Physiologia Christiana; siue de origine et progressu Idololatriae ad veterum gesta ac rerum naturam reductae, deque naturae mirandis, quibus homo adducitur ad Deum.* Desudarunt quoque in hoc argumento Seldenus, Bochartus, Marshamus, alii eruditorum coriphaei; vt veteres seu Gentiles seu Christianos taceam.

(34) Loc.cit. Tom.2. pag.177.

(35) In Iamb. carm. 18. Tom. 2. pag.210.

quibus ea vitia ſuis depicta coloribus, adeoque horrenda exhibentur. Haec omnia ad mores noſtros effingendos adhibebimus: haec Chriſtianae plebi proponere Eccleſiaſten oportet; parce tamen, et ſecundo poſt ſacras litteras et Eccleſiae Patres loco. Forteque euenerit, vt quem oracula diuina non moueant, idem Gentiles Euangelii luce deſtitutos ſe meliores aſpiciens moueatur.

Quod ſi alias a veritatis tramite deflectant Poëtae, ſi praepoſtere de quibusdam vitiis, virtutibus, hominumue factis iudicent; iis quidem ex aliis eorumdem aut aliorum locis, vel ex Philoſophorum doctrina antidotum parandum, ſcite monuit Plutarchus. Nos autem ex Fidei, Ethicaeque Chriſtianae decretis certiorem faciemus medicinam: quam ad manum ſemper habeamus neceſſe eſt, niſi veneni vim, qua innumeri occubuerunt, velimus in nobismetipſis experiri. Nam quod antidotum Plutarchus attulit, valde infirmum eſſe, iam docuit Ludouicus Viues. Nec ſemper bonae ſententiae in promtu ſunt; et malae, quae naturae humanae corruptio eſt, plerumque efficaciores. At ſcient, Poëſin eſſe picturam. Quid inde? Et Terentianum Chaeream ad vitiandam virginem obſcoena tabula incitauit (36). Nec immerito eiuscemodi et pictores et picturas ſapientes homines de ciuitate volebant eiici. Sed de obſcoenis vitandis ſuperius diximus. In Poëtis eo magis admonendum, quo ſuauiſsimi quique ac elegantiſsimi turpiores etiam ſint, falſiſsima perſuaſione ducti, tunc denique verſiculos habere ſalem ac leporem (37),

Si ſint molliculi, ac parum pudici;
Et, quod pruriat, incitare poſſunt,
Non dico pueris, ſed iis piloſis,
Qui duros nequeunt mouere lumbos.

Viden ut vel ad ſopitam in ſenibus libidinem excitandam valeant impudici verſus? Vt egregie fecerint, qui Catullum, Tibullum, Propertium, Horatium, reliquos eius notae,

(36) Terent. in *Eunucho*, Act. 3. ſc. 5.

(37) Catull. epigram. 16. v. 8.

tae, Viuis monitis obsecundantes, repurgarunt. Verum e re fuerit ipsum Viuem legere loco ad imam oram descripto (38).

Non nihil ad extremum subiungemus in eorum gratiam, quibus honestissimam recreationem poëmatibus scribendis capere cordi est. Equidem vehementer laudo, si quis tantum natura polleat, eosque in humanitatis studiis progressus fecerit, vt Poësin cum laude exerceat. Dum tamen meminerit, Christianum esse se: caritatis et pietatis lege temperanda omnia: sacra tantum et seria sibi licere: scurrilia, amatoria longius amandanda.

Sat ludo scenaeque datum: ludicra priorum
Fictaque sat vacuas tenuerunt carmina mentes (39).

Ecquis enim ferat Pontanum, Politianum, Sannazarium, Fontaenium, aliosque nimis multos nomine Christiano indignos, Catullo ipso cinaediores? Anne vel mininam pietatis scintillam credas in illis remanere, qui ea meditentur, tractent, exornent, quae Apostolus ne nominari quidem

vel-

(38) *De trad. discipl.* lib. 3. T. 1. pag. 474. „Eo denique deducit „rem (Plutarchus), vt confitea„tur, nocere lectionem Poëtarum, „nisi cautissime vtaris. Id si ita est, „non videtur attingenda puero, „quem ibi Plutarchus instituit; sed „iam grandiori natu, et sanis opi„nionibus imbuto. Quibus de cau„sis ac rationibus sic videri posset „faciendum. Quoniam quidem in „eis et dulcia, et pulchra, et ma„gna atque admirabilia insunt mul„ta; non tolli oportere, sed repur„gari; non amputari affectum „membrum, sed medicamento ad„hibito curari. Obscoena in totum „rescindantur, tamquam emortua, „et pertractura in contagiem quae „tetigerint. Scilicet intolerabilem „faciet humanum genus iacturam, „si ex spurco Poëta partem abscin„das noxiam; et id facias in libel„lo, quod in tuo ipsius corpore fa„cere non dubites, si res exigat? „Detruncauit Iustinianus Caesar „tot Iurisconsultos; et nefas erit, „ex Ouidio detrahi eos versus, quis „adolescens fit nequior? Immo ve„ro amissa sunt tot Philosophorum „et Sacrorum auctorum monimen„ta: et graue erit, si Tibullus per„eat, aut ars amandi Nasonis? Vti„que non de praesentibus modo ac „posteris praeclare merebitur, sed „de poëtica arte ac Poëtis ipsis, „quisquis eam repurgationem erit „aggressus: haud aliter quam de „hortis, qui, venenis illinc erun„catis, solas reliquerit herbas sa„lutares. Ita et ignominia erit „Poëtis detracta, et malum vi„rus legentibus."

(39) Hier. Vidas Hymn. 1. sub init.

vellet? (40) Petat, per me licet, Eccleſiaſtes e Gentilibus quidquid ſermonis artisque eſt; excelluerunt illi in hac parte, ac ſua neminem laude fruſtrare volumus: argumenta, probationes, verbo, res ipſas e media ſumat religione. Ita ſe geſſerunt Nazianzenus, Syneſius, Apollinaris, Prudentius, quos Poëta noſter peragrandae ſibi prouinciae duces ſequetur.

Num vero et Mythologiae luminibus Chriſtiano vtendum? Non auſerim aientem ſententiam, complurium Eccleſiae Patrum exemplo fultam, improbare. Illa tamen parciſsime adhibenda edico; idque ſiue in virtutis commendationem, aut deteſtationem ſcelerum; ſiue in tropaea, Chriſti victoriarum teſtes, eiusque templum exornatura. Atque ita ſentio, perfectiſsimum poëma ſine Muſarum et Apollinis, falſorumque Deorum nominibus conſtare poſſe. Itaque conſultius arbitror, ſi Chriſtianus Poëta his omnibus abſtineat (41).

Vana ſuperſtitio mentitos numina Diuos
Iam ſileat. . . . . .
Iam pia relligio caelo caput extulit, aurea
Luce fugans tenebras, haud falſi numinis index.
Carmina nunc mutanda, nouo nunc ore canendum.

Haec Hieronymus Vidas (42), pius Epiſcopus, et Poëta elegantiſsimus, qui laudando ſane inſtituto

. . . . tentatum multis opus ante, Camoenas
Vertice ab Aonio duxit Iordanis ad vndas.

Ex

(40) *Ad Epheſ.* 5. v. 3.

(41) Digniſsima ſunt quae legantur Eraſmi verba in *Ciceroniano* ſub fin. „ *Buleph.* Audies hic illud „ Horatianum: *At non vt placidis* „ *coëant immitia, Non vt ſerpentes auibus geminentur, tigribus agni.* Minus, „ opinor, conuenit Muſis, Apolli„ ni, reliquisque Diis poëticis, cum „ chriſtianae pietatis myſteriis; quam „ ſerpentibus cum auibus, aut ti„ gribus cum agnis, praeſertim in ar„ gumento ſerio. Alioqui ſi quid „ obiter per iocum aſpergatur ex „ veterum fabulis; ferendum magis „ arbitror, quam probandum. O„ portebat enim, omnium Chri„ ſtianorum orationem reſiperc „ Chriſtum, ſine quo nec ſuaue „ nec ſplendidum eſt quidquam „ nec vtile, nec honeſtum, ne „ elegans, nec facundum, nec e „ ruditum.”

(42) Loco citato.

Ex his autem, quae de Poëtarum lectione modo dicebamus, quaedam ad Hiſtoriae quoque profanae ſtudia pertinent; liber animus, religionis cognitio, antidotum ex huius decretis parandum. Quae enim caligo Gentilium aciem perſtrinxit, Hiſtoricos etiam in transuerſum egit, ne vbique veritatem viderent, neue de bene aut male factis recte iudicarent. Herodotum Hiſtoriae patrem innumerabilibus fabulis refertum eſſe, iam docuit M. Tullius (43). Diodorus Siculus, omnium gentium memoriam traditurus, et fabuloſa quaeque complectitur, et alias ſaepenumero alucinatus eſt. Generatim vero, quod ad priſca tempora ante bellum Troianum attinet, Gentiles Hiſtorici aut omnino ſilent, aut vana vnice commenta ſectantur. Atque vt veritatis ſtudium et iudicium illorum plurimis, Thucydidi, Xenophonti, Caeſari, Salluſtio, Liuio, Suetonio, Tacito, aliis concedamus; in actionibus tamen, conſiliis, ſententiis diiudicandis, atque ad virtutem et vſum referendis, quae non poſtrema Hiſtorici pars eſt, toto plerumque caelo aberrarunt. Forteque ex hac parte poſsint cum Reges et belli duces, tum priuati homines in humanis gerendis rebus multum proficere: Chriſtiani certe in pietate nihil aut parum poſſunt.

Longe alia Hiſtoriae ſacrae conditio eſt. Illa omnes antiquitate, veritate, vtilitate ſuperat. Vna vetuſtiſsimorum a principio mundi temporum notitiam exhibet. Vna veras praecipuarum gentium tradit origines. Vna in qua nec ignorantia nec affectus quidquam adſperſerunt labis: omnia frugifera, omnia ad prudentiam vitae, morumque inſtitutionem accommodata (44). Nec Hiſtorici promeretur nomen, niſi qui hanc aliarum Hiſtoriarum poſuerit fundamentum et normam. Sed Chriſtiano viro turpe foret, Eccleſiaſti vero turpiſsimum, ſi curas et cogitationes ſuas non huc omnes conuerteret; ad eamque ornandam ſpartam conferret, quidquid aliunde poſſet expiſcari.

(43) Cicero *De legib.* lib. 1. cap. 1.

(44) Confer. Aug. Calmetii Diſſert. *De Hebraicae Hiſtoriae prae aliis excellentia*, eiusdem *Hiſtor. vet. ac noui Teſtam.* praemiſſa.

Non nullae hinc leges profluunt, Eccleſiaſti in Gentilium Hiſtoricorum lectione religioſe ſeruandae. Prima, vt eorum narrationes ad ſacros ſcriptores examinentur atque exigantur. Altera, vt actionum bonitas vel malitia ex verae virtutis idea, in diuinis libris tradita, aeſtimentur. Tertia, vt illis potiſsimum nauetur opera, quae Hiſtoriam ſacram ſuppleant aut illuſtrent, aliisue Scripturarum locis intelligendis lucem adferant. Huiusmodi ſunt quaecumque ad famigeratiſsima imperia, Aſſyrium, Medicum, Perſicum, Graecumque ſpectant, quorum in illa initia et viciſsitudines ex parte deſcribuntur; multa apud Herodotum, Diodorum, Iuſtinum, alios ex profanis videre eſt. Nihil dicam, quantum adiumenti ad Iudaeorum cognoſcendas res adferat Ioſephus. Hiſtoria noui Teſtamenti ſine Romana intelligi nullo modo poteſt (45). Haec ſcire Eccleſiaſten cum primis intereſt: ceterorum guſtum quemdam percepiſſe ſufficiet.

Quo vero fructuoſior ſit lectio, ſic eſt inſtituenda, vt ſingulos euentus totidem excipiant meditationes, e quibus exempla et praecepta morum naſcantur (46). Et duo praeci-

(45) D. Auguſt. *De doctr. Chriſt.* lib. 2. cap. 28.

(46) Egregius eſt locus apud Thomaſsinum in *Methodo ſtud. hiſtor.* lib. 1. cap. 3. n. 4. vbi harum meditationum ſpecimen videre eſt. Eccillum : „Il eſt donc conſtant, „qu' il n' y a rien, non ſeulement „dans les Hiſtoriens Sacréz, mais „dans les profanes, où les yeux „éclairez ne puiſſent découvrir, ou „le vice puni, & la juſtice triom„phante ; ou le vice impuny, & „la clemence de Dieu qui attend „les pecheurs à penitence, ou ſa „juſtice qui prépare des ſupplices „aux impenitens ; ou la vertu cou„ronnée, & un puiſſant attrait pour „la faire ſuivre ; ou la vertu per„ſecutée, & ſa gloire d' autant „plus grande ; ou des vertus veri„tables, & en elles de vives ima„ges de la Divinité ; ou de fauſſes „vertus, & en elles un témoigna„ge évident, que la vertu eſt ſi „belle, & ſi eſſentielle à la felicité „des hommes, que ceux qui n' en „ont pas la verité, veulent au „moins en avoir les apparences; „ou de grands efforts de l' ambi„tion, qui eſt un reſte de cette „noble élevation que Dieu avoit „donnée à l' homme, quand il „le créa pour dominer la terre, „mais un reſte alteré, et détour„né des veritables grandeurs à cel„les qui n' ont qu' un vain éclat; „ou des abaiſſemens & des ren„verſemens de grands hommes „& de grands Etats, qui nous ap„pren-

cipue conſideranda veniunt : mirabilis ſcilicet diuinae prouidentiae ordo , quo ad deſtinatos illi fines collimant omnia , tametſi viis nobis ignoratis : tum perpetua Dei atque hominum ciuitatis , ſiue caritatis et cupiditatis pugna , in qua ſiue boni vincant ſiue mali , ad extremum tamen caritas euadit victrix , Deique ciuitas per quoscumque euentus firmiſsime conſtituta. Qua de re videndus magnus Auguſtinus (47). Expediet etiam ea loca adnotare , quibus vera Chriſti Religio confirmatur. *Satis* enim *firmum eſt teſtimonium ad probandam veritatem , quod ab ipſis perhibetur inimicis* , vt inquit Lactantius (48).

Si cui vero nimis operoſum videatur , hac ratione ſingulos auctores percurrere ; is adire poterit Chriſtianos , qui profanam Hiſtoriam ſecundum allatas leges ſcripſere. Et commodiſsimus videtur Rollinius , pius et doctus ſcriptor , qui duplici opere *Hiſtoriae antiquae* ac *Romanae* , quaecumque ad noſtrum inſtitutum faciunt , complectitur. Cui tamquam generalem tabulam praemittendam cenſeo viri ſummi Iac. Benigni Boſſuetii *commentationem de Hiſtoria vniuerſali* , qua nihil ſapientius , nihil ad rem accommodatius reperias. Omnia ferme profanorum loca oſtendendae Scripturarum veritati opportuna eruditiſsimus Huetius in *Euangelica de-*

» prennent que tout ce qui a pû » tomber , eſtoit fragile ; & que ce » qui a pû eſtre reduit à néant, eſtoit » peu de choſe ; ou des combats, » des défaites , des victoires , qui » nous font voir , que les hommes, » les villes , et les Empires , ſont » comme des vaſes de terre , qui ſe » briſent en tombant les uns ſur les » autres ; & qu' eſtant tous fragiles » & periſſables , il importe aſſez » peu , quels ſeront ceux qui briſe- » ront les autres , ou qui ſeront » briſez les derniers. Tous les ex- » ploits de la guerre , toutes les ſe- » ditions pendant le temps de paix, » les brigues dans les Magiſtratures, » les agitations bizarres de la poli- » ce , les conſpirations contre les » Grands , les oppreſsions des pe- » tits fourniſſent une riche matiere, » où ſe découvre la vanité , l' inu- » tilité , la fragilité , l' inquietu- » de , l' inconſtance , la miſére des » malheureux eſclaves de la concu- » piſcence , et de l' amour dérreglé » des choſes de la terre. La ſeule » charité , qui eſt l' amour des biens » éternels , peut remedier à tous » ces maux , en détruiſant peu à peu » le regne de la concupiſcence , & » rétabliſſant le ſien. "

(47) *De ciuit. Dei* , lib. 15.

(48) *Diuin. inſtit.* lib. 4. cap. 12.

monſtratione collegit. Chriſtianam denique pietatem ſolis Iudaeorum Paganorumque teſtimoniis firme comprobauit Bulletius (49).

Et externa quidem maiore fortaſſe cum fructu e noſtris petet, cui non multum fuerit aut temporis aut ingenii. Quae ſi ſuppetant, ex ipſis fontibus haurire praeſtiterit, quam riuulos conſectari. Nam vt alias vtilitates, ex Gentilium Hiſtoricorum lectione promanantes taceam, nemo neſcit, quantum illi tum ad eloquentiam, tum ad recte ſcribendum, conferant adiumenti. Nec prudentia vitae, cuius illi optimi magiſtri, Eccleſiaſti contemnenda eſt. Anne conſentaneum erit, qui omnes omnium conditionum homines continere in officio debeat, eum, quid loco, quid tempori, quid perſonae cuique conueniat, neſcire?

Reliquum eſt, vt de legendis Gentilium Philoſophorum libris, deque ſtudiis Philoſophiae ad pietatis praeſcriptum componendis, pro ſcriptionis huius modulo, paucis diſputemus. Cogenda demum eſt praeclara illa naturalium diſciplinarum princeps ac regina, fidei doctrinae ſeruire. Ancillam ſe agnoſcat, immo ſtultam, ſtultiſsimos vero quos ipſa peperit *Sapientes* falſo nuncupatos. Quod etiamſi tacuiſſet Apoſtolus (50), innumeri Gentilium Philoſophorum errores aperte nimis loquerentur. Sicut enim *nemo aegrotus quidquam ſomniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philoſophus* (51); ita nullus fuit quin permulta eiusmodi ſomnia procuderit (52). Cuius rei complures exſtiterunt cauſae: popularis ſuperſtitio, ſectae adhaeſio, contradicendi ſtudium, nimia ſubtilitas, omnia ſcrutandi libido, elatio animi ignora-

(49) *Hiſtoire de l' établiſſement du Chriſtianiſme, tirée des ſeuls auteurs Juifs & Payens, où l' on trouve une preuve ſolide de la vérité de cette Religion. Par M. Bullet* etc. *Paris*, 1764. in 4.

(50) 1. *ad Corinth.* cap. 1. v. 19. ſeqq. et cap. 3. v. 19.

(51) Varro apud Nonium V. *Infans.*

(52) Conſtat ex Hiſtoria philoſophica, quam omnium accuratiſſime vberrimeque ſcripſit Bruckerus. Sed qui rem hanc per ſumma capita, eleganter tamen, expoſitam videre cupiat, legat Diſſertationem praemiſſam *Haereſum lexico* Gallice a Pluquetio conſcripto.

rationem confiteri neſcia, affectata veritatis occultatio, aliaque ſat magno numero inter falſae ſapientiae characteres cenſenda.

Haec autem, vel ſingula, vel multa ſimul, nunc hos nunc illos a recta veritatis via abduxerunt. Ceterum praecipua maxime generalis errorum cauſa fuit, humanae mentis imbecillitas cum iudicandi temeritate coniuncta. Dogmaticos omnes iſta contagio oppreſsit. Cui opitulari volentes Sceptici, medicinam fecerunt morbo ipſo grauiorem: dum vt frenos rationi ſuperbienti imponerent, ſuis eam viribus, omnique cognoſcendi veri facultate ſpoliarunt. Quocirca longiſsime abſum ab illorum ſententia, qui Arceſilam, Carneadem, Pyrrhonem multo prae ceteris ſaniores putant. Morbi quidem illi tum vim tum effecta videbant; eius tamen originem, in peccato Adami et morum corruptione poſitam, remedium inſuper ex Scripturis ſacris ſumendum, penitus ignorabant. Vtrique ergo *euaniërunt in cogitationibus ſuis, et obduratum eſt inſipiens cor eorum* (53).

Quidquid probatae combiberat prius
Mens *diſciplinae et condiderat, Deo*
Doctore et auctore, impotentis
Vis rapuit ſcelerata culpae (54).

Nec prius deſipere Gentiles deſiere, quam Euangelio per terrarum orbem diſcipulorum Chriſti opera diſſeminato, et mentes diuina luce colluſtratae ſunt, et corda immiſſo caelitus igne incenſa, atque ad meliora ſequenda miro modo inclinata. Tunc illis de vno et trino Deo eiusque attributis, impietate ac ſuperſtitione euerſis, conſtitit. Tunc innumerae de ſummo bono et hominis felicitate ſententiae ad vnam veram redactae, qua aeternam beatitudinem ſperare recte agentes iubentur: via item vnica ad hunc finem perueniendi patefacta et complanata eſt. Tunc obſcuriſsimis illis de inferorum poenis cogitationibus affulſit lux. Tunc animorum immortalitas, virtutis natura, actionum pretium,

(53) *Ad Rom.* cap. 1. verſ. 21.

(54) Arias Mont. *Hymn. et ſaec.* lib. 6. in *Pluuia voluntaria.*

affectuum moderandorum, animique tranquillitatem comparandi ratio, cetera quae verae Philosophos, immo sophos vel sapientes faciunt, clarissime tradita et explicata fuere. Tunc denique humana ratio, inflicta sibi ob Adami peccatum vulnera agnoscens, fastum deposuit, fideique se sanandam et regendam praebuit. Exinde amicum inter ipsas foedus coaluit vtrique longe vtilissimum. Foederis etiam conditiones latae: vt nimirum „ ratio fidei necessitatem „ pro virili demonstret, fidem recipi postulet, fideique „ viam sternat; tum deinde fidei animum subeunti comi„ tem se det; et susceptam demum assectetur, tueatur, et „ riuis porro ex hoc fonte deductis doctrinam mores„ que christianos temperet. Fides rursum, velut praestiti „ sibi a ratione officii memor, vim huic auctoritatemque „ addat; et quae proposita a ratione animus non satis „ firmo et tenaci assensu comprobauerat, nunc iubente „ fide et adpromittente ultro recipiat. (55) " Integrum rationi esse, in his quae naturali continentur lumine, inquisitioni et opinioni habenas libere laxare, dum nihil fidei repugnans adferat: in Religionis negotio primas fidei partes esse (56).

Ex eo tempore multum luminis accessit Philosophiae. Perfecta enim ratione atque ab erroribus liberata, omnes rationis disciplinas perfici et augeri necesse est. Quod res ipsa comprobauit. Et nullius esset difficultatis, singulis percurrendis ostendere, vbi Christiani studium et operam contulerunt, plurimum Gentilibus praestitisse. Quō magis mirandum est, exstare etiam num, qui ab Aristotele vel latum

(55) Haec eruditissimus Huetius in *Quaest. Alnet. de Conc. rat. et fid.* lib. 1. cap. 3. n. 10. Complures huius argumenti scriptores laudat. I. Alb. Fabricius in *Delectu argum. et syllabo Script. qui verit. Relig. Christianae ... asseruerunt*, cap. 24. Nullas dari posse insolubiles aduersus fidei decreta obiectiones, contra Baelium demonstrauit Leibnitius in *Dissertatione de conform. fidei cum ratione*, a §. 32. Op. T. 1. a pag. 87. et in *Tentam. Theod.* part. 2. statim ab initio, eodem T. a pag. 203.

(56) *De moderatione ingeniorum in Religionis negotio* accurate tractauit Lud. Ant. Muratorius.

tum vnguem diſcedere, ducant religioni, impiique hominis effata tamquam oracula ſuſpiciant ac venerentur; quique ad tradendam auditoribus Ethicam, illius libros adhibeant. Miſericordia quidem digni Gentiles, quandoque diuina luce deſtituti caecutiunt: horum temeritas ferenda non eſt, qui relinquunt aquae viuae fontem, vt ſibi ciſternas exſcindant, ciſternas fractas et perfluentes.

Tota ergo quam late patet Philoſophia e noſtris petenda eſt, ex iis praeſertim qui praeſenti et ſuperiori ſaeculo floruere. Hi, ſi quae ſunt olim a Barbaris, Graecis et Romanis vere ingenioſeque inuenta, excerpunt, illuſtrant, expoliunt; multa praeterea de ſuo adferunt; omnia certe tradunt concinnius, emendatius, verius. Proinde quidquid ſit de controuerſia illa, quinam magis de Philoſophia meriti ſint, veteres an recentes; hos tamen adoleſcentium inſtitutioni praeferendos, nemo arbitror inficias iuerit. In hoc autem ſtudio memoratae rationem inter et fidem concordiae leges ſemper ante oculos Chriſtiano viro obuerſentur. Quae ſane animaduerſio, aut neglecta, aut non ſatis perſpecta, quot errores pepererit; cum vniuerſa haereſum hiſtoria, tum impiiſſimi noſtrorum temporum Libertini, ipſis Gentilibus ineptiores, declarant. Atque hinc colligitur, non quoscumque e noſtris indiſcriminatim adoleſcentibus legendos eſſe; ſed eos tantummodo, quos verae fidei conſentientes conſtiterit. Namque hoc facilius venenum in Chriſtianorum libris latens ebibitur, quo nihil non ſalubre et proficuum in illis creditur inueniri.

E contrario Ethnicos Philoſophos, horrendis licet errorum monſtris refertiſsimos, citra lapſus aleam verſabunt Chriſtiani, modo praemoniti cautique accedant. Neque enim prius eam lectionem aggredi quis debet, quam ex Hiſtoria philoſophica de cuiusque ſecta, placitis, aberrationibus plane cognouerit: antidotum praeterea attulerit ex verae fidei decretis. Sic autem praemunitus, rationis ſibi permiſſae deliramenta intuens, reuelationis neceſsitatem, chriſtianaeque Religionis prae ceteris excel-

lentiam deprehendet (57). Sicubi consona veritati inueniat, quod erat in illis diuini vultus lumen signatum, nec prisca traditio prorsus deleta, ab iniustis possessoribus rapta in vsus suos conuertet. Certe his argumentis tam veteres quam recentes Theologi verae fidei hostes suis ipsorum armis confoderunt. Corruptores Ethicae Christianae verecundantur pii quidam scriptores ex sola cum Tullii officiis comparatione. Valerii Maximi exempla Christianis nequam confundendis sufficiunt. Hodierni quoque Pseudophilosophi, obiectis profanorum auctorum testimoniis, refutati sunt (58). Siquidem vtcumque imperfectae fuerint Gentilium virtutes ac morum praeceptiones (59), illis tamen Casuistarum et Libertinorum immane quantum praestant.

Iam vero qua ratione Philosophiae studia ad Religionis vsus referantur, res est admodum manifesta. Videlicet haec illius officia sunt: Primum, mentem nostram, ratione duce, in veri inquisitione dirigere, et ab erroribus purgare, vt per rerum creatarum notitiam ad communis omnium creatoris ac domini cognitionem erigamur. Alterum est, animum praeceptis morum imbuere, voluntatem componere, affectus ferocientes cohibere; vt ita comparatus homo, sibi quietus ac pacatus, aliis amicus, verus tandem Dei

(57) Stoicos, et Socraticos minime omnium ineptiuisse constat. Atqui istorum dogmatibus cum christianis collatis, nostrae fidei praestantia demonstratur. Vid. Wilhelmi Sluiteri *Idea Theologiae Stoicae*: cui *annexa est commendatio Theologiae Christianae prae Gentili*. Lugd. Batau. 1726. Et Iac. Zimmermanni *Meditatio de praestantia Religionis Christianae, collata cum Philosophia Socratis*, in *Amoenit*. Schelhornii Tom. 11.

(58) Conf. *Le Libertinage combatu par le témoignage des Auteurs profanes, par un Bénédictin de la Cong. de S. Vanne*. A Charleville 1747. 4. tom. in 12.

(59) Conf. *Jugement de SS. Peres sur la Morale de la Philosophie Payenne*. A Strasbourg 1719. in 4. auctore Franc. Balto. Hoc opus in tres libros diuiditur. Primo continetur quod Ecclesiae Patres de principiis Ethicae Paganorum Philosophorum iudicarunt; quod de praeceptis moralibus eorumdem, altero; tertio de recto vsu librorum ethnicae moralis agitur. Totus hic tertius liber plurimum ad rem nostram facit, atque ab Christianis Gentilium scripta versaturis magno cum operae pretio legetur.

Dei cultor atque obſervator exſiſtat. Adeo vt ſi Philoſophia ſuo defungatur officio, ad mentem in Deum erigendam, ad Scripturarum intelligentiam, ad veſtigandam Eccleſiae traditionem, ad veram fidem tuendam et confirmandam maximi momenti ſit. Vaſtiſsimus hoc loco ſeſe mihi offerebat campus, in quo libenter ſummaque cum voluptate exſpatiarer. Et quaedam de nobiliſsimo hoc argumento delibaui edita paucis abhinc annis diſſertatione *de recto Philoſophiae recentis in Theologia vſu.* Sed nec ſcriptionis modus patitur; et ſentio, me paullo eſſe longius prouectum, quam locus poſtulet. Praeterquamquod plenus eſt huius generis ſcriptis orbis litteratus. Paucique inter eruditos ſunt, qui, Boyleum, Fenelonium, Derhamum, Clarkium, Scheuchzerum, Nieuwentitium, Fabricium, Leſſerium, Pluchium, alios benemultos, neſciant, eam ſpartam pro dignitate ornaſſe.

Prius tamen quam manum de tabula, facere non posſum, Chriſtiane lector, quin magnum illum eccleſiaſticae diſciplinae ſtatorem Ludouicum Thomaſsinum quam maxime commendem tibi. Exſtant huius auctoris elegantiſsimae lucubrationes de humanarum diſciplinarum ſtudiis ad ſacram ſcientiam relatis (60), quas vellem diurna nocturnaque manu verſarent ſolidae pietatis et eruditionis ſtudioſi. At enim longum nimis eſt hoc opus, quam vt ab Adoleſcentibus, in ſtudiorum curriculo occupatis, legatur. Quocirca optarem, vt peritus quidam artifex illud in compendium redigeret, aut idem argumentum inſtitutionum inſtar tractaret. Multa hiſtorica, longa Scriptorum loca reſecari poterant. In fructibus ex quaque diſciplina eruendis, in diiudicandis Auctoribus, cautionibusque ad eorum lectionem adhibendis, magna cura et diligentia incedi oporteret. Dici non poteſt, quantum hic labor Reipublicae chriſtianae rationibus vtilitatis adduceret.

De

(60) *La Methode d' étudier et d' enſeigner chrétiennement & ſolidement les lettres humaines par rapport aux lettres divines et aux Ecritures. Diviſée en ſix parties. Dont les trois premieres regardent l' étude des Poetes; et les trois ſuivantes celle des Hiſtoriens, des Philoſophes, et des Grammairiens.*

De praesentis operis editione.

HAEc sunt, Christiane lector, de quibus te praemonitum volo, prius quam ad *Collectaneorum* Granatensis lectionem aggrediaris. Nunc tribus verbis, quid in hoc excudendo libro sit factum, accipe. Editionis curam commisi Hieronymo Despugio Carmelitano, amico meo singulari, exquisiti in litteris iudicii viro, nec mediocris in Humanitatis ac Theologiae praesertim studiis eruditionis. Praeclare ille, quod praeuideram, officio defunctus est. Operis contextum, ipsis adhibitis Scriptoribus, quorum heic excerpta exhibentur, magna diligentia emendauit, interdum etiam suppleuit. Ambigua quaedam loca opportunis adiectis notulis illustrauit. Citationes expendit omnes: multarum errores sustulit: complures addidit quae desiderabantur. Vt editio nostra perfectior multo, quam superiores omnes, prodeat.

Dabam Matriti pridie Idus Ianuarias CIↃIↃCCLXXV.

PIO AC BENEVOLO LECTORI.

Iraberis fortaſſe, candide lector, quid mihi venerit in mentem, ut homo profeſsioni monaſticæ addictus, quique hactenus ſcribendis piis libellis, ad orationis ſtudium rerumque divinarum contemplationem pertinentibus vitam inſumſerim; in extrema nunc ætate Gentilium litteris implicarer, eorumque ſententias decerpere, & in lucem edere voluerim. Hujus igitur conſilii ratio mihi explicanda eſt. Statui quidem apud me, quod reliquum erat ætatis in juvandis concionatorum ſtudiis (quorum eſt in Eccleſia & frequentiſsimus & maxime ſalutaris uſus) conſumere. Quum vero intelligerem verum eſſe, quod elegan-ter quidam ait, lectione orationem pingueſcere; eumque ſermonem maxime probari, qui variis graviſsimorum auctorum ſententiis refertus ſit; decrevi (quantum mihi per alias occupationes liceret) non ſacras litteras modo, ſed (quod in Evangelica etiam parabola dicitur) vetera & nova Patrum volumina percurrere, ut ſelectiſsimas undecumque ſententias colligerem, & per communes locos digererem: quo in promtu, & veluti ad manum in quovis argumenti genere quærenti præſto eſſent. Quod quidem conſilium communi & trito apum exemplo noſter etiam Seneca commendat his verbis: „ Apes (ut ajunt) debemus „ imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum ido„ neos carpunt. Deinde quicquid attulere, diſponunt, ac per „ favos digerunt: & ut Virgilius noſter ait:

..... *Liquentia mella*
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

„ Nos quoque has apes debemus imitari; & quæcumque „ ex diverſa lectione congeſsimus, ſeparare: melius enim „ diſtincta ſervantur.” Hactenus ille. Quum igitur hoc præſtantiſsimi Philoſophi conſilium ſequi decreviſſem (quod multis doctis viris hoc noſtro ſæculo video placuiſſe, qui variis de rebus communes locos ediderunt, & multorum etiam auctorum ſententias in eos congeſſerunt) non eſſe Gentiles Philoſophos in hoc ſtudio prorſus negligendos mihi per-

perſuaſi: quum præſertim D. Auguſtinum in hac eadem ſententia fuiſſe intelligerem, cujus verba hoc in loco, propterea quod inſtituti mei propoſitum maxime tuentur, attexere volui. Is igitur 2. de Doct. Chriſt. lib. cap. 40. ſic ait: „ Philoſophi autem (ſi qua forte vera & fidei noſtræ accom-„ moda dixerunt, maxime Platonici) non ſolum formidan-„ di non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam injuſtis poſſeſſo-„ ribus in uſum noſtrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii „ non ſolum Idola habebant, & onera gravia, quæ popu-„ lus Iſraël deteſtaretur; ſed etiam vaſa atque ornamenta „ de auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens „ de Ægypto, ſibi potius tanquam ad uſum meliorem clan-„ culo vindicaret: ſic doctrinæ omnes Gentilium, non ſo-„ lum ſuperſtitioſa figmenta; ſed etiam liberales diſciplinas „ uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta uti-„ liſsima continent: deque ipſo Deo colendo nonnulla ve-„ ra inveniuntur apud eos. Quod eorum tanquam aurum „ & argentum (quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſ-„ dam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique in-„ fuſa eſt, eruerunt) quum ab eorum miſera ſocietate ſe „ ſe Chriſtianus homo ſeparat, debet ab eis ad uſum ju-„ ſtum prædicandi Evangelii auferre. Veſtem quoque illo-„ rum, id eſt, hominum quidem inſtituta, ſed tamen ac-„ commodata humanæ ſocietati (qua in hac vita carere „ non poſſumus) accipere atque habere licuerit, in uſum „ convertenda Chriſtianum. Nam quid aliud fecerunt mul-„ ti boni fideles noſtri? Nonne aſpicimus, quanto auro & „ argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cy-„ prianus doctor ſuaviſsimus, & martyr beatiſsimus? Quanto „ Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? (ut de „ vivis taceam) quanto innumerabiles Græci?" Hactenus Auguſtinus. Hujus igitur tanti viri conſilium ſecutus, ex Philoſophis omnibus, qui de moribus & recta vitæ inſtitutione monumenta aliqua poſteritati reliquerunt, duos potiſsimum (qui velut duo moralis Philoſophiæ lumina ſunt, nempe ex Latinis Senecam, ex Græcis Plutarchum) mihi præcipue deligendos putavi, quos ſtudioſe perlegerem: & inſigniores eorum ſententias, velut amœniſsimos flores carpe-

perem, & in calathis, hoc eſt, in locis communibus diſtincte reponerem: quo & quid iſti viri de virtutibus & vitiis præclare ſenſiſſent, unum in locum congererem, & ſtudioſis lectoribus velut ſpectandum proponerem. His etiam Apophthegmata (hoc eſt, clariſsimorum Philoſophorum, & Principum dicta, quæ inſigniora mihi viſa ſunt) eodem ordine, iiſdemque locis adnectenda putavi: propterea quod hæc non longis ambagibus, ſed arguta brevitate, & dicentium auctoritate, facile & oblectant animos, & vitam inſtituunt.

Hoc igitur opus, quod pro rerum varietate in tres tomos diviſimus, hac breviori forma edendum curavimus: ut hac formula excuſus, velut quidam ſelectiſsimarum ſententiarum theſaurus, non ad vitæ ſolum inſtitutionem, ſed ad oblectamentum quoque ſtudiorum accommodatus, in ſinu ſemper geſtaretur: & omni tempore, omnique loco, tanquam levis ſarcina, ad manum inveniretur. Ego certe (ut ingenue fatear) mihi ipſi hac ratione conſulere volui: qui tanta cum voluptate & admiratione Senecam lego, ut eadem me decies repetita delectent: adeoque iterata ejus lectione non offendor, ut numquam illum in manibus ſumam, quin vehementer in admirationem rapiar. Miror enim gravitatem ſententiarum, ingenii acumen, & argutam modo brevitatem, modo redundantem (ubi res exigit) copiam: aptiſsimas quoque ſimilitudines, illuſtres metaphoras, & hyperboles, quæ mire res augent, & ornant, & acumine delectant. Quum vero ubique magnam ſui admirationem excitet, maxime tamen mirabilis eſt, quum temperantiam, frugalitatem, fortitudinem, magnanimitatem, conſtantiam, patientiam, & honeſtam paupertatem, & animum rerum omnium contemtorem miris in cælum laudibus effert: contraque, quum totam eloquentiæ vim & impetum adverſus voluptatem, avaritiam, intemperantiam, delicias, faſtum, luxum, ceteraque hujuſmodi vitia convertit. Atque utinam omnes principes & opulenti viri, qui hoc noſtro deliciis & faſtu corruptiſsimo ſæculo omnibus ſe ſe deliciis & luxui dediderunt, vel ab hoc ethnico homine (qui de altera vita vix certi & explorati aliquid, niſi per caliginem, & opinando magis quam firmiter aſſentien-

tiendo credebat) frugalitatem, ſobrietatem, & divitiarum atque deliciarum contemtum diſcere vellent. Vehementer enim abſurdum eſt, Chriſtianos homines ſacroſanctis Chriſti myſteriis initiatos, ab ethnico homine in hac parte tam longe ſuperari. Neque vero quiſquam mihi objiciat, facile cuique eſſe grandia verba adverſus omnis generis vitia jactare, difficile vero præſtare quæ doceas. Hoc enim minime in auctorem noſtrum cadit, quem conſtat continentiſsimæ vitæ eſſe. Cujus rei locupletiſsimus teſtis eſt D. Hieronymus, qui in Eccleſiaſticorum ſcriptorum cathalogo honorificam de eo mentionem faciens, continentiſsimæ vitæ fuiſſe ait: quod ejus ſcripta pluribus in locis facile declarant. Tantum ergo virtutis ſtudium quis in homine ethnico non miretur? Quemadmodum enim miramur aliquorum animantium ſollertiam, & naturalem quamdam prudentiam (quod quum rationis expertia ſint, quædam tamen opera ita faciunt, ac ſi ratione prædita eſſent); ita plane mirandum eſt; homines veræ religionis, fidei, atque doctrinæ cæleſtis expertes, uſque adeo virtutis ſtudium commendare, & a vitiis tam multis rationibus deterrere, ut nemo prudens, dum hæc legit, non poſsit non frequenter in admirationem rapi, quando in homine ethnico ac pæne pecude (ſi fidei comparetur) tam magnam Evangelicæ Philoſophiæ partem deprehendit. Sunt autem hæc imparia exempla ad perſuadendum efficaciora: quod non raro D. Hieronymus in Epiſtolis ſuis oſtendit, qui ubi ab ethnicis virtutum exempla mutuat, ſubdit protinus: Hæc in ſugillationem noſtri dicta ſint: ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas. Et alibi non raro: ſi tanti (inquit) vitrum; quanti pretioſiſsimum margaritum? Hoc eſt: ſi tanto ſtudio Gentiles inanem virtutis ſpeciem captabant; quid nos propter ſolidam virtutem, & ſempiternum ejus præmium facere par eſt? Adde etiam: quod Philoſophi, qui fidei luce deſtituti erant, rationibus præcipue nos ad virtutis ſtudium adhortantur, & a vitiis avocant: quibus & illorum commoda, & horum incommoda graviſsima oratione oculis ſubjiciunt. Quo fit, ut homo, qui rationis particeps eſt, cuique nihil naturâ ipsâ magis intimum, magiſque proprium at-

atque naturale quam ratio eſt, perſpectis rerum cauſis atque rationibus vehementer commoveatur : præſertim ſi ingenii acumine, & naturali prudentia viget, qua rationum vim penetrare valeat. Inde adeo fit, ut apud ſæculi homines plus interdum rationes humanæ, quam divinæ valeant : non quod majores, ſed quod apud illos majorem vim humana quam divina habeant : quos non abſurdum eſt hac arte ab infimis ad ſumma, ab humanis ad divina, a lumine naturæ ad fidei lumen paullatim evehere. Quemadmodum enim Philoſophi ab his quæ ſenſu percipiuntur, ad ea quæ ſola ratione intelliguntur, hoc eſt, a notioribus nobis, ad ea quæ naturâ ipsâ notiora & præſtantiora ſunt, procedere docendo ſolent : ita nos ab iis quæ majus apud nos pondus habent, ad ea quæ natura ipſa digniora & potentiora ſunt, tranſitum facere debemus. Iis igitur hominibus, qui hoc animo ſunt, Philoſophorum lectio non parum conducit : quæ illis velut pædagogus quidam ad Chriſtum eſt. Quum enim naturæ lumen a Deo ſit, nullo modo fidei lumini adverſari poteſt ; ſed illi potius velut inferius ſuperiori ſervire, & ab eo perfici debet. Illud autem de Seneca noſtro affirmare poſſum, quod, quemadmodum eſt a Fabio de Cicerone dictum, illum ſane multum in eloquentiæ ſtudiis profeciſſe cui Cicero valde placuerit; ita ille multum in civili virtute & vera humanarum rerum æſtimatione eſt profecturus, cui Senecæ lectio valde familiaris fuerit. Quum autem infinitis pæne erroribus vulgus hominum propter inſitam communis peccati labem cæcutiat, audeo dicere, efficaciſsimum adverſus pleroſque eorum collirium, aſsiduam ejus lectionem futuram : quod quidem polliceri minime auderem, niſi id experimento didiciſſem.

Ut igitur tum ex eo, tum ex Plutarcho, minori negotio majorem fructum caperemus, operæ pretium me facturum putavi, ſi quid quiſque illorum de quaque virtute vel vitio diverſis in locis ſcriptum reliquiſſet, in unum locum coactum ante legentis oculos ponerem. Quod in Seneca magis quam in Plutarcho neceſſarium fuit : cujus pleraque ſcripta epiſtolis ad Lucilium miſsis continentur : quarum argumenta maxime varia ſunt. Quid enim epiſtolare argumen-

mentum non recipiat? Hæc autem tanta varietas in ordinem aliquem redigenda fuit: quod ipſe etiam Seneca monet, qui ea quæ legendo colligimus, melius diſtincta quam confuſa ſervari docet. Scio fuiſſe alium (ſive ille Eraſmus, ſive quivis alius ementito ejus nomine fuerit) qui hunc etiam laborem ſuſcepit, & flores (ut libri titulus præfert) Senecæ collegerit: ſed hic (ut omittam quod multa ſcitu digniſsima, quæ nos decerpſimus, omiſit; quod voluminis noſtri magnitudo facile indicat) tamen is epiſtolarum & librorum, non locorum, hoc eſt, materiarum ordinem eſt ſecutus. Ita factum eſt, ut quæ confuſa & varie disjecta, ac proinde difficilia inventu erant, eodem modo confuſa relinquerentur.

Hos autem locos (quo res eſſet dilucidior) in tres claſſes diſtinximus: in quarum prima tituli ad varios perſonarum ſtatus pertinentes, ab ipſo Deo optimo maximo exordium capientes, collocantur. In ſecunda vero virtutum & vitiorum illis adverſantium loci reponuntur. In tertia vero quædam alia peregrina, quæ non ita cum ſuperioribus cohærebant, collocata ſunt. Quia vero Chriſtiana religio Theologicis virtutibus principem locum inter omnes alias merito tribuit (de quibus vix ulla apud ethnicos auctores mentio fit) ideo pro illis, virtutes quaſdam Theologicis affines, & vitia eiſdem adverſantia ſubſtituimus: ut quatenus liceret, Theologicarum & Cardinalium virtutum ſeries retineretur. Hunc autem ordinem, non autem litterarum alphabeti ſecuti ſumus, ut quæ erant inter ſe tum ſimilia, tum contraria conjungerentur: ne, quæ & naturâ & tradendi ratione conjuncta erant, propter exiguum litterarum diſcrimen ſepararemus. Conſtat enim ex Philoſophorum doctrina, ſimilium idem eſſe judicium: & contrariorum eamdem eſſe diſciplinam; & inter genus & ſub eo contentas ſpecies eam eſſe affinitatem, ut quæcumque generi tribuuntur, ſpeciebus etiam tribuantur, ut Ariſtoteles inter anteprædicamentorum (ut appellant) regulas, definivit. Quocirca hæc tria locorum genera (quæ tantam inter ſe affinitatem habent) juxta ſe reponi, nec ob tenuiſsimum litterarum diſcrimen ſeparari debuerunt: quum præſertim ſi quid hic ſubſit incommodi, facile indicibus ordine alphabeti deſcriptis, ei poſsit occurri.

Sen-

Sententias vero Publii Mimi (quæ vulgo Senecæ proverbia nuncupantur) quoniam operibus ejus adjuncta ſunt, & dignas Seneca ſententias continent, in calce uniuſcujuſque loci collocavi.

Quia vero non raro evenit, ut eadem ſententia ad duos, atque adeo etiam plures locos referri poſsit (cujus rei gratia in pluribus quoque eſſet ponenda) ne tamen ejuſdem ſententiæ repetitio faſtidium lectori pareret, in margine titulum eum adſcripſimus, ad quem ea ſententia referri poſſet: appoſita etiam ad latus virgula, qua ſententia illa circumſcribitur.

Illud autem lectorem monitum velim, nos in ſententiis, quum in eadem ſententia inferiora paullulum a ſuperioribus diſsident, has particulas adjeciſſe: † *Et paullo inferius. Et paucis interjectis. Et mox*, aut quid ſimile. Quod non fecimus, quum inferiora cum ſuperioribus optime quadrabant, etiam ſi continua non eſſent: ne hujuſmodi interruptionibus (minime propter rerum conſequentiam neceſſariis) oratio eſſet diſſoluta atque conciſa. Qua obſervatione fit, ut qui collectanea noſtra legit, non centones Senecæ, ſed ipſum Senecam continenti pæne oratione fluentem legere videatur. Atque hoc ipſum, ſimili ratione ducti in Plutarcho fecimus: quem nunc paucis commendare non eſt animus, quum ipſe ſe amplitudine & majeſtate ſua commendet; & juxta proverbium, Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil ſit opus. Alius in eo gravitatem ſententiarum, alius multam maximeque variam omnis generis auctorum lectionem, & hiſtoriarum cognitionem mirabitur: ego vero præceptorum ſanctitatem, & doctrinæ ſinceritatem in eo ita demiror, ut quum illum quibuſdam in locis (præſertim ubi de profectu morum, de cohibenda ira, & vitioſa verecundia, & cupiditate divitiarum, de auditoris officio, & tranquillitate animi) lego, non mihi ethnicum Philoſophum, ſed Chriſtianiſsimum inſtituendæ vitæ magiſtrum legere videar: adeo ſe ad ſingularia præce-

† *Hæc in præſenti editione omiſsimus, ſola punctorum (uti mos eſt) adjectione contenti. Similiter virgulas ſententiam circumſcribentes omiſsimus, ut editionis nitori conſuleremus.*

cepta, & varia adverſus vitiorum peſtem remedia tradenda inſinuat atque demittit. Jam vero in ſimilitudinibus ad ea quæ exponit afferendis, neſcias frequentior ne ſit, an mirabilior: ut quum in aliis doctrinæ partibus ceteros vincat, in hac ſe ipſum ſuperandi locum non reliquerit. Quo nomine haud ſcio an is concionatoribus quam Seneca ſit utilior: propterea quod ſimilium uſus ad populi captum cum primis ſit accommodatus. Quod, quo evidentius vel rudioribus etiam appareret, nos ſimilia in marginibus, ſicut graviores ſententias adnotandas duximus, quo dormitantem lectorem rei pulcherrimæ annotatione excitaremus. Sinceritas vero doctrinæ ejus tanta eſt, ut in hac parte ipſo Seneca virtutis ſtudioſiſsimo ſuperior mihi eſſe videatur. Seneca enim Stoicorum errores mordicus tuetur, apathiam & fatum inducit, omnia honeſta paria, ſimiliter & turpia eſſe contendit; in ſola nudaque virtute ſummum hominis bonum collocat; quum ea tamen non ſummum quidem bonum, ſed rectiſsima ad illud via ſit. Tum etiam manus ſibi afferre adeo non damnat, ut interdum etiam probet: certe in Catone ita laudat, ut ex ejus vulnere plus gloriæ quam ſanguinis manaſſe dicat. Horum nihil in Plutarcho deprehendes: ſed omnia fere purgatiſsimæ rationi, & naturæ lumini conſentanea: fortaſſe quoniam Evangelio Chriſti ejus ſæculo latius coruſcante, major humanis mentibus veritatis lux addita eſſet.

Quo res autem eſſent inventu faciliores, unicuique auctori & ſeriem locorum, & ſuum quoque indicem adjunximus. Deinde in fine operis communem omnibus indicem adjecimus: & quidquid in toto opere ad aliquem locum referri poſſet, appoſitis numeris demonſtravimus. Vale, amice lector: & hoc noſtro exiguo labore, ſed magno tamen munere fruere. Magno, inquam, quoniam quum inter omnia philoſophorum ſcripta hi duo auctores in moralis Philoſophiæ doctrina principem locum teneant, habes in hoc exiguo volumine quidquid præclare illi dixerunt, ſuis in locis digeſtum, ut ſi eorum tibi ſcripta legere non vacat, hic, quæ maxime ſcire refert, comprehenſa teneas: ſi vacat, quum omnia memoriâ complecti nequeas, hic invenias, quæ maxime ad tuos uſus legendo annotare & recondere debuiſſes.

PRI-

PRIMUS TOMUS
COLLECTANEORUM
MORALIS PHILOSOPHIÆ,

QUI SELECTISSIMAS SENTENTIAS
EX OMNIBUS SENECÆ OPERIBUS
PER COMMUNES LOCOS DIGESTAS CONTINET.

PRIMA CLASSIS
in qua ponuntur tituli ad diversa genera statuum & personarum spectantes.

DEUS.

MUltum dare solemus præsumtioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri : itaque Deos esse, inter alia hinc colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est, adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. *Epist.* 117.

Egregie Aristoteles ait, numquam nos verecundiores esse debere, quam quum de Diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur: quanto hoc magis facere debemus, quum de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur? Nec miremur tam tarde erui, quæ tam alte jacent.

Quam multa præter hos per ſecretum eunt, nunquam humanis oculis orientia? neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti noſtris oculis committitur? Ipſe qui iſta tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa ſe, majorque eſt pars operis ſui ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus eſt. *Lib.* 7. *Nat. Quæſt. cap.* 30.

Quid ſit hoc, ſine quo nihil eſt, ſcire non poſſumus. Et miramur ſi quos igniculos parum novimus, quum maxima pars mundi Deus lateat? Quam multa animalia hoc primum cognovimus ſæculo? Et quidem multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris, quum memoria noſtra exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat, omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur. Eleuſis ſervat quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: in veſtibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiſcue, nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet. Quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur? Tarde magna proveniunt, utique ſi labor ceſſat. Id quod unum toto agimus animo, nondum perfecimus, ut peſsimi eſſemus. Adhuc in proceſſu vitia ſunt. Invenit luxuria aliquid novi in quod inſaniat. Invenit impudicitia novam contumeliam ſibi. *Ibidem cap.* 31.

Miraris ſi nondum ſapientia omne opus ſuum implevit? Nondum tota ſe nequitia protulit. Adhuc naſcitur, & huic omnes operam damus: huic oculi noſtri, huic manus ſerviunt. Ad ſapientiam quis accedit? Quis dignam judicat, niſi quam in tranſitu noverit? Quis philoſophiam, aut ullum liberale reſpicit ſtudium, niſi quum ludi intercalantur, quum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet? Itaque tot familiæ philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa invidioſæ turbæ ſchola præceptorem non invenit. Sextiorum nova & Romani roboris ſecta, inter initia ſua, quum magno impetu cœpiſſet, extincta eſt. At quanta cura laboratur,

tur, ne cujus pantomimi nomen intercidat? Stat per ſucceſſores Pyladis & Batilli domus: harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores. *Ibid. cap.* 32.

Quædam ſunt quæ nocere non poſſunt, nullamque vim niſi beneficam & ſalutarem habent; ut Dii immortales, qui nec volunt obeſſe, nec poſſunt. Natura enim illis mitis & placida eſt, tam longe remota ab aliena injuria, quam a ſua. Dementes itaque & ignari veritatis, illis imputant ſævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hiemis: quum interim nihil horum, quæ nobis nocent proſuntque, ad nos proprie dirigatur. Non enim nos cauſa mundo ſumus, hiemem æſtatemque referendi: ſuas iſta leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos ſuſpicimus, ſi digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur. Nihil ergo horum in noſtram injuriam fit: immo contra, nihil non ad ſalutem. *Lib.* 2. *de Ira. c.* 27.

Quid eſt Deus? quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur: qua nihil majus excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia, opus ſuum & extra & intra tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars, animus eſt: in illo nulla pars extra animum. Totus ratio eſt. *Lib.* 1. *Natur. Quæſt. in Præfat.*

Dei providentia.

SEpone in præſentia quæ quibuſdam placent. Unicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait, *de plebe Deos.* Ita (a) tamen hoc ſeponas volo, ut memineris, majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe. *Epiſt.* 110.

Quum videris bonos viros acceptoſque Diis laborare, ſudare, per arduum adſcendere; malos autem laſcivire & voluptatibus fluere; cogita filiorum nos modeſtia delectari, vernularum licentia: illos diſciplina triſtiori contine-

(a) *Quos nos cuſtodes angelos, hic inferiores quoſdam Deos pædagogos noſtros facit.*

ri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet. Experitur, indurat, ſibi illum præparat. *In lib. de Divina provid. cap.* 1.

Quare multa bonis viris adverſa eveniunt? Nihil accidere bono viro mali poteſt. Non miſcentur contraria. Quemadmodum (a) tot amnes, † tantum ſuperne dejectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium non mu-
* tant ſaporem maris, nec remittunt quidem: ita adverſarum impetus rerum, viri fortis non vertit animum. Manet in ſtatu, & quicquid evenit, in ſuum colorem trahit. Eſt enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non ſentit illa: ſed vincit, & alioquin quietus placiduſque contra incurrentia attollitur. Omnia adverſa, exercitationes putat. Quis autem, vir modo, & erectus ad honeſta, non eſt laboris appetens juſti, & ad officia cum periculo promtus?
* Cui non induſtrio otium pœna eſt? Athletas videmus, quibus virium cura eſt, cum fortiſsimis quibuſque confligere, & exigere ab his per quos certamini præparantur, ut totis contra ipſos viribus utantur: cædi ſe vexarique patiuntur: & ſi non inveniunt ſingulos pares, pluribus ſimul objiciuntur. Marcet (b) ſine adverſario virtus. Tunc apparet quanta ſit, quantum valeat polleatque, quum quid poſsit, patientia oſtendit. Scias licet, idem viris bonis eſſe faciendum, ut dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur. Quicquid accidit, boni conſulant, in bonum
* vertant. Non quid, ſed quemadmodum feras, intereſt. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari jubent liberos ad ſtudia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, & interdum lacrimas excutiunt. At matres fovere in ſinu, continere in umbra volunt: nunquam flere, nunquam triſtari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adverſus bonos viros animum, & illos fortius amat: & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. Languent per inertiam ſaginata: nec labore tantum, ſed mole, & ipſo ſui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illæſa felicitas. At ubi aſsidua fuit cum incommodis ſuis ri-

(a) *Tit. Patient.* † *Al.* Tot ſupernæ dejectiones imbrium. (b) *Tit. Tentat.*

rixa, callum per injurias ducit, nec ulli malo cedit, sed etiamsi ceciderit, de genu pugnat. Miraris (a) tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si quando voluptatem capiunt Dii, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis (b) interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit.... Ecce* spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si & provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. *Ibid. cap.* 2.

Magis urgent sæva inexpertos. Grave est teneræ cervici jugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpe vicisse post sanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur* insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit, male de me imperator meruit; sed, bene judicavit. Idem dicant quicunque jubentur pati, timidis ignavisque flebilia: digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite (c) delicias, fugite enervatam felicitatem, qua ani-

(a) *Deus bonorum amantissimus etiam ethnici judicio.* (b) *Tit. Fortitudo.* (c) *Tit. Voluptatis periculum.*

mi permadeſcunt, niſi aliquid intervenit, quod humanæ ſortis admoneat, velut perpetua ebrietate ſopiti. Quem ſpecularia ſemper ab afflatu vindicarunt, cujus pedes inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt, cujus cœnationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperavit; hunc levis aura non ſine periculo ſtringet. Quum omnia, quæ exceſſerunt modum, noceant; periculoſiſsima felicitatis intemperantia eſt. Movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falſum ac verum mediæ caliginis fundit. Quidni ſatius ſit, perpetuam infelicitatem, quæ advocat ad virtutem, ſuſtinere, quam infinitis atque immodicis bonis rumpi?

* Hanc itaque rationem Dii ſequuntur in bonis viris, quam in diſcipulis ſuis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt. Numquid tu inviſos eſſe Lacedæmoniis liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipſi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac ſemianimes rogant, perſeverent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum, ſi dure generoſos ſpiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum eſt. Verberat nos & lacerat fortuna. Patiamur. Non eſt ſævitia: certamen eſt. Quo ſæpius adierimus, fortiores erimus.

Omnes conſidera gentes, in quibus Romana pax deſinit: Germanos dico, & quicquid circa Iſtrum vagarum gentium occurſat. Perpetua illos hiems, triſte cælum premit, maligne ſolum ſterile ſuſtentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, ſuper durata glacie ſtagna perſultant, in alimentum feras captant. Miſeri tibi videntur? Nihil miſerum eſt, quod in naturam conſuetudo perduxit. Paullatim (a) enim voluptati ſunt, quæ neceſsitate cœperunt.... Quid *ergo* miraris, bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non (b) eſt arbor ſolida nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat: ipſa * enim vexatione conſtringitur, & radices certius figit. Fragiles ſunt, quæ in aprica valle creverunt. Pro ipſis ergo bonis viris eſt, ut eſſe interriti poſsint, multum inter formidoloſa verſari, & æquo animo ferre quæ non ſunt ma-

(a) *Tit. Conſuetudo.* (b) *Tit. Tribulatio.*

mala, nisi male sustinenti. *In lib. de Provid. cap.* 4.

Hoc *enim* est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere, hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec mala. Apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit: & mala esse, si malis tantum irrogaverit. Detestabilis erit cæcitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt. Itaque careant luce Appius & Metellus. Non sunt divitiæ bonum. Itaque habeat illas & Ellius leno, ut homines pecuniam quum in templis consecraverint, videant & in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita traducere, quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit.

Quid porro? non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem sæpe consulitur, quum illo tempore vilissimus quisque, aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. Idem (a) in hac magna Rep. fit: boni viri laborant, impendunt, impenduntur, & volentes quidem: non trahuntur a fortuna, *sed* sequuntur illam, & æquant gradus. Si sciissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrii fortissimi viri vocem audisse me memini. Hoc unum, inquit, Dii immortales, de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista veniissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rem promitto: cito totum relinquam. Vultis spiritum? quidni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis quod dedistis. A volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergo est? maluissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuistis: sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus: nec servio Deo, sed assentio: eo quidem magis, quod scio omnia, certa & in æternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt, & quantum cuique *temporis* restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, privata ac publica longus or-

(a) *Tit. Fortitudo.*

do rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum eſt : quia non (ut putamus) incidunt cuncta , ſed veniunt. Olim conſtitutum eſt , quid gaudeas , quid fleas : & quamvis magna videatur varietate ſingulorum vita diſtingui , ſumma in unum venit. Accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur ? quid querimur ? Ad hoc parati ſumus. Utatur , ut vult , ſuis natura corporibus. Nos læti ad omnia & fortes cogitemus , nihil perire de noſtro. Quid eſt boni viri ? præbere ſe fato. Grande ſolatium eſt cum univerſo rapi : quicquid eſt quod nos ſic vivere juſsit , ſic mori.... Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata , ſed ſequitur. Semper paret , ſemel juſsit.

Quare tamen Deus tam iniquus in diſtributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem , vulnera , & acerba funera adſcriberet ?... Quædam ſeparari a quibuſdam non poſſunt, cohærent , individua ſunt. Languida ingenia , & in ſomnum itura , aut in vigiliam ſomno ſimillimam , inertibus nectuntur elementis : ut efficiatur vir cum cura dicendus , fortiore fato opus eſt. Non erit illi planum iter : ſurſum oportet ac deorſum eat , fluctuetur , ac navigium in turbido regat. Contra fortunam illi tenendus eſt curſus. Multa accident dura , aſpera , ſed quæ molliat & complanet ipſe. Ignis aurum probat , miſeria fortes viros. *Ibid. cap.* 5.

Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri ? Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis removit , ſcelera , & flagitia , & cogitationes improbas , & avida conſilia , & libidinem cæcam , & alieno imminentem avaritiam. Ipſos tuetur ac vindicat. Nunquid hoc quoque a Deo aliquis exigit , ut bonorum virorum etiam ſarcinas ſervet ? Remittunt ipſi hanc Deo curam , externa contemnunt. Democritus divitias projecit , onus illas bonæ mentis exiſtimans. Quid ergo miraris , ſi id Deus bono accidere patitur , quod vir bonus aliquando vult ſibi accidere ?.... Puta itaque Deum dicere: Quid habetis quod de me queri poſsitis vos , quibus recta placuerunt? Aliis (a) bona falſa circumdedi , & animos inanes , velut longo fallacique ſomnio luſi. Auro illos , argento & ebore ornavi : intus boni nihil eſt. Iſti quos pro fe-

(a) *Tit. Felicitas falſa.*

felicibus aſpicitis, ſi non qua occurrunt, ſed qua latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas: cruſta eſt, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent, & imponunt: quum aliquid incidit, quod diſturbet ac detegat, tunc apparet quantum altæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſconderit. Vobis dedi bona certa, manſura: quanto † magis verſaveritis & undique inſpexeritis meliora majoraque: permiſi vobis, metuenda contemnere, cupienda faſtidire. Non fulgetis extrinſecus. Bona veſtra introrſus obverſa ſunt.

Ferte fortiter *adverſa*, hoc eſt, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum eſt, vos ſupra patientiam. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper vivit, quam natus eſt. Contemnite dolorem: aut ſolvetur, aut ſolvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem, quæ vos aut finit, aut transfert vos. *Ibid. cap. 6.*

Vide etiam hac de re Tit. Adverſitas, *& Tit.* Patientia.

Gratia Dei, ſive divinum auxilium.

PRope eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos. Hic prout a nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adjutus exſurgere? Ille dat conſilia magnifica & erecta. In uno quoque bonorum virorum (quis Deus incertum eſt) habitat Deus. Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitata maltitudinem egreſsis frequens lucus, & conſpectum cæli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens; illa proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem ti-

† *Aliter.* Quanto magis verſaverit aliquis, & undique inſpexerit, tanto videbit meliora, majoraque: permiſi vobis, *cet.*

tibi numinis facit.... Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes: & ſtagna quædam, vel opacitas, vel immenſa altitudo ſacravit. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, ex æquo Deos: non ſubibit te veneratio ejus? Non dices, iſta res major eſt altiorque, quam ut credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſsit? Vis iſthuc divina deſcendit: animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quicquid timemus optamuſque ridentem, cæleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare. Itaque ma-
* jore ſui parte illic eſt, unde deſcendit. Quemadmodum radii ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt unde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, ut propius divina noſſemus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. *Epiſt.* 41.

Miraris homines ad Deos ire? Deus ad homines venit, immo (quod propius eſt) in homines venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt. Semina in corporibus humanis divina diſperſa ſunt: quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta ſunt, ſurgunt. *Epiſt.* 73.

Dei Beneficia.

NOn dat Deus, *inquis*, beneficia. Unde ergo iſta quæ poſsides? quæ das? quæ negas? quæ ſervas? quæ rapis? Unde hæc innumerabilia, oculos, aures, & animum mulcentia? Unde illa luxuriam quoque inſtruens copia? Neque enim neceſsitatibus tantummodo noſtris proviſum eſt: uſque in delicias amamur. Tot arbuſta, non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum per totum annum digeſtæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Jam animalia omnis generis alia in ſicco ſolidoque, alia in humido innaſcentia, alia per ſublime di-

dimiſſa, ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amœniſsimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commerciis viam, vaſto & navigabili curſu vadentia: ex quibus quædam ſtatis diebus mirabile incrementum trahunt, ut anhela, & ferventi ſubjecta cælo loca ſubita vis æſtivi torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venæ? Quid in ipſis littoribus aquarum calentium exundatio? *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 5.

Si pauca quis tibi donaſſet jugera, accepiſſe te diceres beneficium: immenſa terrarum late patentium ſpatia, negas eſſe beneficium? Si pecuniam tibi aliquis donaverit, & arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) impleverit, beneficium vocabis: tot metalla defodit, tot flumina emiſit in aëra, ſuper quæ decurrunt ſola aurum vehentia, argenti, æris, ferri immane pondus omnibus locis obrutum; cujus inveſtigandi tibi facultatem dedit, ac latentium divitiarum in ſumma terra ſigna diſpoſuit: negas te accepiſſe beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid reſplendeat, & rectum nitidius auro, aut coloribus ſparſum, num mediocre munus vocabis? Ingens tibi domicilium, ſine ullo incendii, aut ruinæ metu ſtruxit, in quo vides non tenues cruſtas, & ipſa qua ſecantur lamina graciliores, ſed integras lapidis pretioſiſsimi moles, ſed totas, variæ diſtinctæque materiæ, cujus tu parvula fruſta miraris, tectum vero aliter nocte, aliter interdiu fulgens: negas te ullum munus accepiſſe? Et quum iſta quæ habes magno æſtimes, quod eſt ingrati hominis, nulli debere te judicas? Unde tibi iſtum quem trahis ſpiritum? Unde iſtam, per quam actus vitæ tuæ diſponis atque ordinas, lucem? Unde ſanguinem, cujus curſu vitalis continetur calor? Unde iſta palatum tuum ſaporibus exquiſitis ultra ſatietatem laceſſentia? Unde hæc irritamenta jam laſſæ voluptatis? Unde iſta quies, in qua putreſcis ac marces? Nonne ſi gratus es, dices:

——— *Deus nobis hæc otia fecit.*
Namque erit ille mihi ſemper Deus. Illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves (ut cernis) & ipſum
Ludere quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Ille Deus eſt, non qui paucas boves, ſed qui per totum orbem armenta dimiſit, qui gregibus ubique paſsim vagantibus pabulum præſtat, qui paſcua hibernis æſtiva ſubſtituit, qui non calamo tantum cantare, & agreſte atque incondit um carmen ad aliquam tantum oblectationem modulari docuit; ſed tot artes, tot vocum varietates, tot ſonos, alios (a) ſpiritu noſtro, alios externo cantus edituros, commentus eſt.

Neque enim noſtra iſta quæ invenimus dixeris, non magis, quam quod creſcimus, quam quod ad conſtitutum tempus ſua corpori officia reſpondent. Nunc puerilium dentium lapſus, nunc ad ſurgentem jam ætatem & in robuſtiorem gradum tranſeuntem pubertas, & ultimus ille dies fugienti vitæ terminum ponens. Inſita ſunt nobis omnium ætatum, omniumque artium ſemina, magiſterque ex occulto Deus, producit ingenia. *Ibid. cap. 6.*

Natura, inquit, hæc mihi præſtat. Non intelligis te, quum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud eſt natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inſerta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare, & Jovem illum optimum ac maximum rite dices, & tonantem, & ſtatorem: qui non (ut hiſtorici tradiderunt) ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit; ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, Stator, Stabilitorque eſt: hunc eundemque & Fatum ſi dixeris, non mentieris. Nam quum fatum nihil aliud ſit quam ſeries implexa cauſarum, ille eſt prima omnium cauſa, ex qua ceteræ pendent. Quæcunque voles illi nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cæleſtem continentia. Tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera. *Ibid. cap.* 7.

Dii autem prima illa conſtitutione quum univerſa diſponerent, etiam noſtra viderunt, rationemque hominis habuerunt. Itaque non poſſunt videri ſua tantum cauſa decurrere, & explicare opus ſuum, quia pars operis ſumus & nos. Debemus ergo, & Soli, & Lunæ, & ceteris cæle-

(a) *Etiam quæ arte conſtant, Dei dona ſunt.*

leſtibus beneficium: quia etiamſi potiora illis ſunt, in quæ oriuntur; nos tamen in majora † ituri juvant. Adjice, quod deſtinato juvant. Ideoque obligati ſumus, qui non in beneficium ignorantium incidimus; ſed hæc quæ accipimus, accepturos ſcierunt: & quamquam majus illis propoſitum ſit majorque actus ſui fructus, quam ſervare mortalia: tamen in noſtras quoque utilitates a principio rerum præmiſſa mens eſt, & is ordo mundo datus, ut appareat curam noſtri non inter ultima habitam.

Debemus parentibus noſtris pietatem: & multi, non ut gignerent, coïerunt. Dii non poſſunt videri neſciſſe, quid effecturi eſſent, quum omnibus alimenta protinus, & alia proviserint: nec eos per negligentiam genuere, quibus tam multa genuerant. Cogitavit enim nos ante natura, quam fecit. Nec tam leve opus ſumus, ut illi potuerimus excidere. Vide quantum nobis permiſerit, quam non intra homines humani imperii conditio ſit. Vide in quantum corporibus vagari liceat, quæ non coërcuit fine terrarum, ſed omnem in partem ſui miſit (a). Vide, animi quantum audeant, quemadmodum ſoli aut noverint Deos, aut quærant, & mente in altum data, divina comitentur. Scias non eſſe hominem tumultuarium, & incogitatum opus. Inter maxima rerum ſuarum natura nihil habet, quo magis glorietur, aut certe cui glorietur.

Quantus iſte furor eſt, controverſiam Diis muneris ſui facere? Quomodo (b) adverſus eos hic erit gratus, quibus gratia referri ſine impendio non poteſt, qui negat ab his accepiſſe ſe, a quibus quum maxime accipit, qui & ſemper daturi ſunt, & nunquam accepturi? Quanta autem perverſitas, ob hoc alicui non debere, quia etiam inficianti benignus eſt: & continuationem ipſam, ſeriemque beneficii, argumentum vocare neceſſario dantis? Nolo, *ajunt*: ſibi habeat: quis illum rogat? & omnes alias impudentis animi voces his adſtrue. Non ideo de te minus meretur is, cujus liberalitas ad te, etiam dum negas, pervenit; cujuſque beneficiorum, vel hoc ipſo maximum, quod etiam, querenti daturus eſt. *Lib. 6. de Benefic. cap.* 23.

So-

† *Al.* Itura. (a) *Tit. Homo.* (b) *Tit. Ingratitudo.*

Soli (a) Lunæque plurimum debeo, & non uni mihi oriuntur: anno, temperantique annum Deo privatim obligatus ſum, quamvis non in meum honorem deſcripta ſint. Stulta avaritia mortalium poſſeſsionem proprietatemque diſcernit, nec quicquam ſuum credit eſſe, quod publicum eſt. At ille ſapiens nihil judicat ſuum magis, quam cujus illi cum humano genere conſortium eſt. Nec enim eſſent iſta communia, niſi pars illorum pertineret ad ſingulos. Socium efficit etiam quod ex minima portione commune eſt. Adjice nunc, quod magna & vera bona non ſic dividuntur, ut exiguum in ſingulos cadat: ad unumquemque tota perveniunt. *Epiſt.* 73.

Divinorum Beneficiorum abuſus.

INgens naturæ beneficium *venti ſunt*, ſi illud in injuriam ſuam non vertat hominum furor. Nunc quod de Cæſare olim majore vulgo dictitatum eſt, & a Tito Livio poſitum, in incerto eſſe, utrum illum magis naſci Reipub. profuerit, an non naſci, dici etiam de ventis poteſt: adeo quicquid ex illis utile & neceſſarium eſt, non poteſt his repenſari, quæ in perniciem ſuam generis humani dementia excogitat. Sed (b) non ideo non ſunt iſta natura ſua bona, ſi vitio male utentium nocent. Nimirum (c) in hoc providentia ac diſpoſitor ille mundi Deus, aëra ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, ne quid eſſet ſitu ſqualidum, effudit: non ut nos claſſes partem freti occupaturas compleremus milite armato, & hoſtem in mari, aut poſt mare inquireremus.... Dedit *natura* ventos, ut commoda cujuſque regionis fierent communia: non ut legiones equitemque geſtarent, nec ut pernicioſa gentibus arma tranſveherent.

Si beneficia naturæ utentium pravitate perpendimus, nihil non noſtro malo accepimus. Cui videre expedit? cui loqui? cui non vita tormentum eſt? Nihil invenies tam manifeſtæ utilitatis, quod non in contrarium trans-

(a) *Communia quoque beneficia cujuſque propria ſunt.* (b) *Tit. Providentia.* (c) *Tit. Opificium.*

transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros invenerat : ipsi illos contrarios fecimus. Omnes in aliquod nos malum ducunt. Non eadem est his, & illis causa solvendi; sed justa nulli. Diversis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Itaque alicui vitio navigatur. Egregie Plato dicit, .. minima esse quæ homines emant vita. Immo, Lucili carissime, si bene furorem illorum æstimaveris, .. magis ridebis, quum cogitaveris vita parari ea, in quibus vita consumitur. *Lib.* 5. *Nat. Quæst. cap.* 18.

Dei Opificium. Dei cognitio ex mundi fabrica.

TRiplex causa est. Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant : causam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata; cessatura, si nemo moveat. Causa autem, id est ratio, materiam formal, & quocumque vult versat : ex illa varia opera producit. Esse debet ergo unde aliquid fiat, deinde a quo fiat : hoc causa est, illud materia. Omnis ars imitatio est naturæ : itaque quod de universo dicebam, ad hæc transfer quæ ab homine facienda sunt. Statua & materiam habuit quæ pateretur artificium, & artificem qui materiæ daret faciem. Ergo in statua, materia æs fuit; causa artifex. Eadem conditio rerum omnium est : ex eo constant quod fit, & ex eo quod facit.

Causam Aristoteles putat tribus modis dici. Prima, inquit, causa est ipsa materia, sine qua nihil potest effici. Secunda opifex. Tertia forma, quæ unicuique operi imponitur, tanquam statuæ. Nam hanc Aristoteles Idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propositum totius operis. Quid sit hoc aperiam. Æs prima statuæ causa est : nunquam enim facta esset, nisi fuisset id ex quo ea funderetur, ducereturve. Secunda causa artifex est : non potuisset enim æs illud in habitum statuæ figurari, nisi accessissent peritæ manus. Tertia causa est forma : nec enim statua ista Doryphoros, aut Diadumenos vocaretur, nisi hæc illi esset impressa facies. Quarta causa est, faciendi propositum : nam nisi hoc fuisset, facta non esset.

Quid

Quid eſt propoſitum? quod invitavit artificem, quod ille ſequutus fecit. Vel pecunia eſt hoc, ſi venditurus fabricavit; vel gloria, ſi laboravit in nomen; vel religio, ſi donum templo paravit. Ergo & hæc cauſa eſt propter quam fit. An non putas inter cauſas facti operis numerandum, quo remoto factum non eſſet? His quintam Plato adjicit, exemplar, quam ipſe Ideam vocat: hoc eſt enim ad quod reſpiciens artifex, id quod deſtinabat, efficit. Nihil autem ad rem pertinet utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod ſibi ipſe concepit & poſuit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet, numeroſque univerſorum quæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt: plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt: ipſa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet; & hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nihil patitur. Quinque ergo cauſæ ſunt, ut Plato dicit. Id ex quo, id a quo, id quo, id ad quod, id propter quod.

Hæc omnia mundus quoque (ut ait Plato) habet. Faciens, hic Deus eſt: ex quo fit, hæc materia eſt: forma, hæc eſt habitus & ordo mundi quem videmus: exemplar, ſcilicet id ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit: propoſitum, propter quod fecit. Quæris quid ſit propoſitum Deo? Bonitas: ita certe Plato ait, quæ Deo faciendi mundum cauſa fuit: bonus eſt, bona fecit, bono nulla cujuſquam boni invidia eſt. Fecit itaque quam optimum potuit.... Ego priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, & me prius ſcrutor. Deinde hunc mundum. Nec hoc quidem tempus, ut exiſtimas, perdo.... Ego non quæram quæ ſint initia univerſorum? quis rerum formator? quis omnia in una maſſa & materia inerti convoluta diſcreverit? Non quæram quis ſit artifex hujus mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem & ordinem venerit? quis ſparſa collegerit, confuſa diſtinxerit, nimia deformitate latentibus faciem diviſerit? unde lux tanta fundatur? ignis ſit, an aliquid igne lucidius? Ego iſta non quæram? ego neſciam unde deſcenderim? ſemel mihi videnda ſint, an ſæpe? Neſciam quo hinc iturus ſim? quæ

ſe-

ſedes exſpectet animam ſolutam legibus ſervitutis humanæ? Vetas me cælo intereſſe? id eſt, jubes me vivere capite demiſſo? Major ſum & ad majora natus, quam ut ſim mancipium corporis mei. *Epiſt.* 65.

Circumſpice omnium corpora: nulli non & color proprius eſt, & figura ſua, & magnitudo. Inter cetera, propter quæ mirabile divini artificis ingenium eſt, hoc quoque exiſtimo, quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit: etiam quæ ſimilia videntur, quum contuleris, diverſa ſunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non ſua proprietate ſignatum: tot animalia: nulli ſimilitudo cum altero convenit. Utique aliquid intereſt. Exegit a ſe, ut quæ alia erant, & diſsimilia eſſent & imparia. *Epiſt.* 113.

Quia tutela certiſsima ex proximo eſt, ſibi quiſque commiſſus eſt. Itaque ut in prioribus *epiſtolis* dixi, tenera quoque animalia e materno utero, vel quoquo modo effuſa, quid ſit infeſtum ipſis, protinus norunt, & mortifera devitant: umbram quoque tranſvolantium reformidant, obnoxia avibus rapto viventibus. Nullum animal ad vitam prodit ſine metu mortis. Quemadmodum, inquit, editum animal intellectum habere aut ſalutaris aut mortiferæ rei poteſt? Primum quæritur, an intelligat, non quemadmodum intelligat. Eſſe autem illis intellectum ex eo apparet, quod nihil amplius, ſi intellexerint, faciant. Quid eſt, quare pavonem, quare anſerem gallina non refugiat, quum tanto minorem & ne notum quidem ſibi accipitrem fugiat? Quare pulli felem timent, canem non timent? Apparet illis ineſſe ſcientiam nocituri, non experimento collectam. Nam antequam poſsint experiri, cavent. Deinde, ne hoc caſu exiſtimes fieri, nec metuunt alia quam debent, nec unquam obliviſcuntur. Hujus tutelæ & diligentiæ æqualis eſt illis a pernicioſo fuga. Præterea non fiunt timidiora vivendo. Ex quo quidem apparet, non uſu illa ad hoc pervenire, ſed naturali amore ſalutis ſuæ. Et tardum eſt, & varium, quod uſus docet. Quicquid natura tradit, & æquale eſt omnibus & ſtatim. *Epiſt.* 121.

Inter cetera providentiæ opera, hoc quoque aliquis, ut dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex una cauſa

ventos aut invenit, aut per diverſa diſpoſuit: ſed primum ut aëra non ſinerent pigreſcere, ſed aſsidua vexatione utilem redderent vitalemque tracturis. Deinde ut imbres terris ſubminiſtrarent: iidemque nimios compeſcerent. Nam modo adducunt nubes, modo diducunt, ut per totum orbem pluviæ dividi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam rejicit: Eteſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere. Iidem totam Indiam & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid, quod fruges percipi non poſſunt, niſi flatu ſupervacua ad mixta ſervandis ventilarentur, niſi eſſet quod ſegetem excitaret, & latentem frugem ruptis velamentis ſuis (quæ folliculos agricolæ vocant) adaperiret? Quid, quod omnibus inter ſe populis commercium dedit, & gentes diſsipatas locis miſcuit?... Dedit ille ventos ad cuſtodiendam cæli terrarumque temperiem, ad evocandas ſupprimendaſque aquas, ad alendos ſatorum atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis cauſis adducit ipſa jactatio, attrahens cibum in ſumma, & ne torpeat, promovens. Dedit ventos ad ulteriora noſcenda: fuiſſet enim imperitum animal, & ſine magna experientia rerum homo, ſi circumſcriberetur natalis ſoli fine. *Lib.* 5. *Nat. Quæſt. cap.* 18.

Nemo uſque eo tardus, & hebes, & demiſſus in terram eſt, ut ad divina non erigatur, ac tota mente conſurgat: utique ubi novum aliquod e cælo miraculum fulſit. Nam quandiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo ſubducit. Ita enim compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiam ſi admiratione digna ſunt, tranſeant: contra, minimarum quoque rerum, ſi inſolitæ prodierunt, ſpectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus aſtrorum, quibus immenſi corporis pulchritudo diſtinguitur, populum non convocat. At quum aliquid ex more mutatum eſt, omnium vultus in cælo eſt. Sol ſpectatorem, niſi quum deficit, non habet. Nemo obſervat lunam, niſi laborantem. Tunc urbes conclamant, tunc pro ſe quiſque ſuperſtitione vana trepidat. Quanto illa majora ſunt, quod Sol totidem (ut ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu ſuo claudit: quod a ſolſtitio ſtatim inclinat, & dat ſpatium

no-

noctibus: quod ſidera abſcondit: quod terras, quum tanto major ſit illis, non urit; ſed calorem ſuum intenſionibus ac remiſsionibus temperando fovet: quod lunam nunquam implet, niſi adverſam ſibi, nec obſcurat. Hæc tamen non adnotamus, quandiu ordo ſervatur. Si quid turbatum eſt, aut præter conſuetudinem emicuit, ſpectamus, interrogamus, oſtendimus. Adeo naturale eſt, magis nova, quam magna mirari. Idem in cometis fit. Si rarus, & inſolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non ſcire quid ſit, cupit: & oblitus aliorum, de adventitio quærit, ignarus utrum debeat mirari, an timere. *Lib. 7. Nat. Quæſt. cap.* 1.

Supervacuum eſt in præſentia oſtendere, non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe.... Hanc inoffenſam velocitatem procedere æternæ legis imperio: tantum rerum terra marique geſtantem, tantum clariſsimorum luminum, & ex diſpoſitione lucentium: non eſſe materiæ errantis hunc ordinem, neque quæ temere coïerunt, tanta arte pendere, ut terrarum graviſsimum pondus ſedeat immotum, & circa ſe properantis cæli fugam ſpectet: ut infuſa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum fluminum ſentiant: ut ex minimis ſeminibus naſcantur ingentia... Jam vero ſi quis obſervaverit nudari littora, pelago in ſe recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet cæca quadam volutatione modo contrahi undas & introrſum agi, modo erumpere, & magno curſu repetere ſedem ſuam: quum illæ interim portionibus creſcunt, & ad horam ac diem ſubeunt ampliores minoreſque, prout illas lunare ſidus elicuit, ad cujus arbitrium Oceanus exundat. *Lib. de Divin. provident. cap.* 1.

Iracundia leones adjuvat, pavor cervos, accipitrem impetus, columbam fuga. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 16.

Puta naſcenti me tibi venire in conſilium. Intratura es urbem Diis hominibuſque communem, omnia complexam, certis legibus æterniſque devinctam, indefatigata cæleſtium officia volventem. Videbis illic innumerabiles ſtellas: miraberis uno ſidere omnia impleri: ſolem quotidiano curſu diei noctiſque ſpatia ſignantem, annum in æſtatem hie-

memque æqualiter dividentem. Videbis nocturnam lunæ ſucceſsionem a fraternis occurſionibus lene remiſſumque lumen mutuantem, & modo occultam, modo toto ore terris imminentem, acceſsionibus damniſque mutabilem, ſemper proximæ diſsimilem. Videbis quinque ſidera diverſas agentia vias, & in contrarium præcipiti mundo nitentia: ex horum leviſsimis motibus fortunæ populorum dependent, & maxima ac minima proinde formantur, prout æquum iniquumve ſidus inceſsit. Miraberis conlecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cæli fragorem. Quum ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram oculos dejeceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planicies. Hinc montium magnis, & nivalibus ſurgentium jugis, erecti in ſublime vertices, dejectus fluminum, & ex uno fonte in orientem occidentemque defuſi amnes, & ſummis cacuminibus nemora nutantia, & tantum ſilvarum cum ſuis animalibus, aviumque concentu diſſono. Varii urbium ſitus, & ſecluſæ nationes locorum difficultate, quarum aliæ ſe in erectos ſubtrahunt montes, aliæ ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur: adjuta cultu ſeges, & arbuſta ſine cultore fertilia, & rivorum lenis inter prata diſcurſus, & amœni ſinus, & littora in portum recedentia, ſparſæ tot per vaſtum inſulæ, quæ interventu ſuo maria diſtinguunt. Quid lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens, & in mediis terris medioque rurſus mari nitentes ignium faces, & vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici ſinu ſcindens, & ingenti licentia exæſtuans? Videbis his inquietis, & ſine vento fluctuantibus aquis immani & fidem excedenti magnitudine terrentia animalia, quædam gravia, & alieno ſe magiſterio moventia, quædam velocia, concitatis perniciora remigiis, quædam haurientia undas, & magno præ navigantium periculo efflantia. Videbis hic navigia, quas non novere terras, quærentia. Videbis nihil humanæ audaciæ intentatum, eriſque ei ſpectatrix, & ipſa pars magna conantium. Diſces, docebiſque artes, alias quæ vitam inſtruant, alias quæ ornent, alias quæ regant. *Lib. de Conſolat. ad Marciam, cap.* 18.

Ho-

Homo.

O Quam contemta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit. *Lib.* I. *Nat. Quæſt. in Præfat.*

Quum (a) *homo divina contemplatur*, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum divinitatis ſuæ, quod illum divina delectant, nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis. *Ubi ſup.*

Homo ſemper in ſeſe aliud fert, in alterum aliud cogitat. *Ex Publ. Mim.*

Homo vitæ commodatus, non donatus eſt. *Ex Publ. Mim.*

Nullum (b) moroſius eſt animal, majorique arte tractandum quam homo: & nulli magis parcendum quam homini. *Ex Publ. Mim.*

Quid eſt homini inimiciſsimum? alter homo. *Ex Pub. Mim.*

Mulier.

AUt amat, aut odit mulier, nihil eſt tertium. *Ex Publ. Mim.*

Aperte quum eſt mala mulier, tum demum eſt bona. *Ex Publ. Mim.*

Dediſcere flere feminam, eſt mendacium. *Ex Publ. Mim.*

Mulier quum ſola cogitat, male cogitat. *Ex Publ. Mim.*

Caſta (c) ad virum matrona, parendo imperat. *Ex eodem.*

Anima.

MOrs (d) quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies.... Sed poſtea diligentius docebo, omnia quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Obſerva orbem rerum in ſe remeantium: videbis in

(a) *Tit. Contemplatio.* (b) *Tit. Rex, Judex.* (c) *Tit. Matrimonium.* (d) *Tit. Mors.*

hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere, ac reſurgere. *Epiſtola* 36.

Ratio autem nihil aliud eſt, quam in corpus humanum pars divini ſpiritus merſa. *Epiſt.* 66.

Proſpicere (a) & ultra mundum libet, quo feratur, unde ſurrexerit, in quem exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac divina contemplatione abductum animum, in ſordida & humilia pertraximus, ut avaritiæ ſerviret, ut relicto mundo terminiſque ejus, & dominis cuncta verſantibus terram rimaretur, & quæreret quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. *Epiſt.* 110.

Quum de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium æthera. *Epiſt.* 117.

Multa ſunt quæ eſſe concedimus, qualia ſint, ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio & impellimur & revocamur, omnes fatebuntur : quid tamen ſit animus ille rector dominuſque noſtri, non magis tibi quiſquam expediet, quam ubi ſit. Alius illum dicet eſſe ſpiritum, alius concentum quendam, alius vim divinam & Dei partem, alius tenuiſsimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit qui ſanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non poteſt liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipſe ſe quærat. *Lib.* 7. *Nat. Quæſt. cap.* 24.

Nihil aliud intercidet quam corpus fragilitatis caducæ morbis obnoxium, caſibus expoſitum, proſcriptionibus objectum. Animus vero divina origine hauſtus, cui nec ſenectus ulla, nec mors, oneroſi corporis vinculis exſolutus, ad ſedes ſuas & cognata ſidera recurret. *In Suaſoria 6.*

Quomodo moleſtus eſt jucundum ſomnium videnti qui excitat (aufert enim voluptatem etiamſi falſam, affectum tamen veræ habentem) ſic epiſtola tua mihi fecit injuriam. Revocavit enim me cogitationi aptæ traditum, & iturum, ſi licuiſſet, ulterius. Juvabat de æternitate animarum quærere, immo mehercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratiſsimam promittentium, magis quam probantium. Dabam (b) me ſpei tantæ.

Jam

(a) *Tit. Contemplatio.* (b) *Tit. Æternitas.*

Jam eram faſtidio mihi, jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immenſum illud tempus & in poſſeſsionem omnis ævi tranſiturus: quum ſubito experrectus ſum, epiſtola tua accepta, & tam bellum ſomnium perdidi, quod repetam, ſi te dimiſero, & redimam. *Epiſt.* 102.

Quemadmodum novem menſibus nos tenet maternus uterus, & præparat non ſibi, ſed illi loco, in quem videmur emitti, jam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium quod ab infantia patet in ſenectutem, in † alvum naturæ ſumimur, *& tanquam partum alia origo nos exſpectat, alius rerum ſtatus.* Nondum cælum, niſi ex intervallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quicquid circa te jacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta. Tranſeundum eſt. Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem. Dies iſte quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. Depone onus. Quid cunctaris, tanquam non prius quoque, relicto in quo latebas corpore, exieris? Hæres, & reluctaris: tum quoque magno niſu matris expulſus es. Gemis, ploras: & hoc ipſum flere, naſcentis eſt. Sed tunc debebat ignoſci: rudis & imperitus omnium veneras: ex maternorum viſcerum calido mollique fomento emiſſum, afflavit aura liberior. Deinde offendit duræ manus tactus, tenerque adhuc & nullius rei gnarus obſtupuiſti inter ignota. Nunc tibi non eſt novum ſeparari ab eo, cujus ante pars fueris: æquo animo membra jam ſupervacua dimitte, & iſtud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contriſtaris? Ita ſolet fieri. Pereunt ſæpe velamenta naſcentium. Quid iſta ſic diligis, quaſi tua? Iſtis opertus es. Veniet qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi, atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes, ſubvola: ab aliis (niſi quæ neceſſario cohærebunt) alienus. *Epiſt.* 102.

Hæc quæ vides oſſa circumvoluta nervis, & obductam cutem vultumque, & miniſtras manus, & cetera quibus involuti ſumus, vincula animorum tenebræque ſunt. Obruitur his animus, offuſcatur, inficitur, arcetur a veris & ſuis,

† *Al.* In alium naturæ ſumimur partum. Alia origo *cet.*

ſuis, in falſa conjectus: omne illi cum hac carne gravi certamen eſt, ne abſtrahatur & fidat: nititur illo, unde dimiſſus eſt: ibi illum æterna requies manet, pro confuſis craſsiſque; pura & liquida viſentem. *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap.* 24.

Proinde non eſt quod ad ſepulchrum filii tui curras. Peſsima (a) ejus & ipſi moleſtiſsima iſthic jacent, oſſa cinereſque, non magis illius partes quam veſtes, aliaque tegumenta corporum. Integer (b) ille, nihilque terris relinquens fugit, & totus exceſsit: paullumque ſupra nos commoratus, dum expurgat inhærentia vitia, ſitumque omnis mortalis ævi excutit, deinde ad excelſa ſublatus, inter felices currit animas. *Ibid. cap.* 25.

Affectus, ſive paſsiones animi.

NIhil intereſt quam magnus ſit affectus: quantuſcunque eſt, parere neſcit, conſilium non accipit: quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domeſticum & mite (natura enim illorum eſt ſurda ſuadenti) ſic non ſequuntur, non audiunt affectus quantulicunque ſint.... Facilius eſt enim initia illorum prohibere, quam impetum regere. *Epiſt.* 85.

Quis negat omnes affectus a quodam quaſi naturali fluere principio? Curam nobis noſtri natura mandavit. Sed huic ubi nimium indulſeris, vitium eſt. Voluptatem natura neceſſariis rebus admiſcuit, ut non illam peteremus, ſed ut ea, ſine quibus non poſſumus vivere, gratiora nobis illius faceret acceſsio. *Epiſt.* 116.

Hic erit utilis miles qui ſcit parere conſilio. Affectus quidem tam mali miniſtri, quam duces ſunt. Ideo nunquam aſſumet ratio in adjutorium improvidos & violentos impetus, apud quos nihil ipſa auctoritatis habeat: quos nunquam comprimere poſsit, niſi pares illis, ſimileſque oppoſuerit, ut iræ metum, inertiæ iram, timori cupiditatem. *Lib.* 1. *de Ira, cap.* 9.

Ariſtoteles ait, affectus quoſdam, ſi quis illis bene utatur,

(a) *More Platonis loquitur.* (b) *Tit. Purgatorium.*

tur , pro armis esse. Quod verum foret , si velut bellica instrumenta sumi deponique possent induentis arbitrio. Hæc arma quæ Aristoteles virtuti dat , ipsa per se pugnant , non exspectant manum. Habent , & non habentur. *Ibidem, cap.* 16.

Ea demum velocitas placet , quæ ubi jussa est , vestigium sistit , nec ultra destinata procurrit , & quæ flecti, & a cursu ad gradum reduci potest. Ægros (a) scimus nervos esse, ubi invitis nobis moventur. Senex , aut infirmi corporis est, qui quum ambulare vult , currit. Animi motus eos putemus sanissimos validissimosque , qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur. *Lib.* 2. *de Ira , cap.* 35.

Non (b) sunt præterea cupiditates in longinquum mittendæ , sed in vicinum illis egredi permittamus , quoniam includi ex toto non patiuntur. Relictis his quæ aut non possunt fieri , aut difficulter possunt , prope posita speique nostræ alludentia sequamur. *Lib.* 1. *de Tranquil. animi , cap.* 10.

Proximum ab his erit , ne aut in supervacuis , aut ex supervacuo laboremus : id est , ne aut quæ non possumus consequi , concupiscamus: aut adepti, cupiditatum vanitatem nostrarum sero post multum pudorem intelligamus. Id est , ne aut labor irritus sine effectu sit , aut effectus labore indignus. Fere enim ex his tristitia sequitur , si aut non successit , aut successus pudet. *Ibid. cap.* 11.

Nunquam (c) autem ego a te , ne ex toto mæreas , exigam. Et scio inveniri quosdam duræ magis quam fortis prudentiæ viros , qui negent doliturum esse sapientem. Hi vero videntur nunquam in hujusmodi casum incidisse. Alioquin extudisset illis fortuna superbam sapientiam , & ad confessionem eos veri etiam invitos compulisset. Satis præstiterit ratio, si id unum ex dolore , quod & supersit & abundat , exciderit. Nam ut quidem nullum omnino esse eum patiatur , nec sperandum ulli , nec concupiscendum est. Hunc potius modum servet , qui nec impietatem imitetur, nec insaniam: & nos in eo teneat habitu , qui & piæ mentis est , nec emotæ. Fluant lacrimæ , sed eædem desinant: tra-

(a) *Tit. Affectuum moderatio.* (b) *Tit. Cupiditatum moderatio.*
(c) *Tit. doloris moderatio.*

trahantur ex imo pectore gemitus, ſed iidem & finiantur. Sic rege animum tuum, ut & ſapientibus te approbare poſſis, & fratribus. *Lib. de Conſolat. ad Polyb. cap.* 37.

Animo dolenti nihil oportet credere. *Ex Publ. Mim.*

Omnis affectus habet, ut in eo in quo ipſe inſanit, in idem putet ceteros furere. *Ex Pub. Mi.*

Turpe præbet ſpectaculum animus æger. *Ex Publ. Mim.*

Senectus, & Senex.

ALia genera mortis, ſpei mixta ſunt. Deſinit morbus, incendium extinguitur, ruina quos videbatur oppreſſura depoſuit: mare quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat, ejecit incolumes: gladium miles ab ipſa perituri cervice revocavit. Nihil habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. *Epiſt.* 30.

Ago gratias ſenectuti, quod me lectulo affixit. Quidni gratias illi hoc nomine agam? Quicquid debebam nolle, non poſſum. Cum libellis mihi plurimus ſermo eſt. *Epiſt.* 67.

Nihil turpius eſt, quam grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem. *Lib.* 1. *de Tranq. animi, cap.* 3.

Amare juveni virtus eſt, crimen ſeni. *Ex Publ. Mim.*

Vir, & Uxor.

CAſta ad virum matrona parendo imperat. *Ex Publ. Mim.*

Habent locum maledicti, crebræ nuptiæ. *Ex eodem.*

Magno cum periculo cuſtoditur, quod multis placet. *Ex eodem.*

Bonam uxorem amiſi. Invenies, ſi nihil quæris niſi bonam. Tu modo ne imagines, proavoſque reſpexeris, nec patrimonium, cui jam ipſa nobilitas ceſsit. Iſta diu cum forma non repugnabunt. Facilius reges animum nulla vanitate tumentem. Non multum abeſt a contemtu viri, quæ ſe nimis ſuſpicit. Duc bene inſtitutam, nec maternis inquina-

natam vitiis. Non cujus auriculis utrinque bina patrimonia dependeant. Non quam margaritæ ſuffocent, cui minus ſit in dote quam in veſte: quam in patente ſella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque ut maritus inſpexerit: cujus ſarcinis domus ſit anguſta. Hanc facile ad tuos mores rediges, quam nondum corruperunt publici. *In Excerptis e libris Senecæ adſcriptis.*

Pater, & Filius. Filiorum educatio.

EDucatio maximam diligentiam plurimumque profuturam deſiderat. Facile eſt enim teneros adhuc animos componere. Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt. *Lib.* 2. *de Ira, cap* 18.

Vinum pueris Plato negandum putat: & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi ſunt. Diſtendentur enim corpora, & animi cum corpore tumeſcent. Labor illos citra laſsitudinem exerceat, ut minuatur, non ut conſumatur calor, nimiuſque ille fervor deſpumet. Luſus (a) quoque proderunt. Modica enim voluptas laxat animos & temperat. Humidioribus, ſiccioribus, & frigidis, non eſt ab ira periculum: ſed majora vitia metuenda ſunt, pavor, difficultas, & deſperatio, & ſuſpiciones. *Ibid. cap.* 20.

Plurimum, inquam, proderit pueros ſtatim ſalubriter inſtitui. Difficile autem regimen eſt: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti obſervatione res indiget. Utrumque enim & quod extollendum, & quod deprimendum eſt, ſimilibus alitur. Facile autem etiam attendentem ſimilia decipiunt. Creſcit licentia ſpiritus, ſervitute comminuitur. Aſſurgit, ſi laudatur, & in ſpem ſui bonam adducitur. Sed eadem iſta inſolentiam & iracundiam generant. Sic itaque inter utrumque regendus eſt, ut modo frenis utamur, modo ſtimulis: nihil humile, nihil ſervile patiatur. Nunquam illi neceſſe ſit rogare ſuppliciter: nec proſit rogaſſe: potius cauſæ ſuæ, & prioribus factis, & bonis in futurum promiſ-

---

(a) *Tit. Recreatio.*

miſsis donetur. In certaminibus æqualium, nec vinci illum patiamur, nec iraſci. Demus operam, ut familiaris ſit his, cum quibus contendere ſolet : ut in certamine aſſueſcat, non noſcere velle, ſed vincere. Quoties ſuperaverit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non geſtire patiamur. Gaudium (a) enim exſultatio, exſultationem tumor & nimia æſtimatio ſui ſequitur. Dabimus (b) aliquod laxamentum : in deſidiam vero otiumque non reſolvemus, & procul a contactu delitiarum retinebimus. Nihil enim magis fecit iracundos, quam educatio mollis & blanda. Ideo unicis quo plus indulgetur, pupilliſque quo plus licet, corruptior animus eſt. Non reſiſtet offenſis, cui nihil unquam negatum eſt, cui lacrimas ſollicita ſemper mater abſterſit, cui de pædagogo ſatisfactum eſt. Non (c) vides, ut majorem quamque fortunam major ira comitetur? In divitibus nobilibuſque & magiſtratibus præcipue apparet, quum quicquid leve & inane in animo erat, ſecunda ſe aura ſuſtulit. Felicitas iracundiam nutrit, ubi aures ſuperbas aſſentatorum turba circumſtetit. Tibi (d) enim ille reſpondeat? Non pro faſtigio te tuo metiris: ipſe te projicis: & alia, quibus vix ſanæ & ab initio fundatæ mentes reſtiterint. Longe itaque ab aſſentatione pueritia removenda eſt. Audiat verum, & timeat: interim vereatur, ſemper majoribus aſſurgat. Nihil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur : & divitias parentum in conſpectu habeat, non in uſu. Exprobrentur illi perperam facta. *Ibid. cap.* 21.

Pertinebit ad rem, præceptores pædagogoſque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne quod tenerum eſt, & in eorum ſimilitudinem creſcit : nutricum & pædagogorum retulere mox in adoleſcentia mores. Apud Platonem educatus puer, quum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem; nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Non dubito quin citius patrem imitatus ſit, quam Platonem. Tenuis ante omnia ſit victus, & non pretioſa veſtis, & ſimilis cultus cum æqualibus. Non iraſcetur aliquem ſibi com-

pa-

(a) *Tit. Gaudium.* (b) *Tit. Recreatio.* (c) *Tit. Proſperitas.* (d) *Tit. Adulatio.*

parari, quem ab initio multis parem fecerit. *Ibid. cap.* 22.

Ames parentem, ſi æquus eſt: ſi aliter, feras. *Ex Pub. Mi.*

Malæ naturæ nunquam doctore indigent. *Ex eodem.*

Doctor, & Auditor.

IN hoc gaudeo aliquid diſcere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia ſit & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſum. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enuntiem, rejiciam. Nullius boni ſine ſocio jucunda poſſeſsio eſt. *Epiſt.* 6.

Tu me, inquis, vitare turbam jubes, ſecedere, & conſcientia eſſe contentum: ubi illa præcepta veſtra quæ imperant in actu mori? Quid? ego tibi videor interim ſedere? in hoc me recondidi, & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſem. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctis ſtudiis vindico: non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos cadenteſque in opere detineo. Seceſsi non tantum ab hominibus, ſed etiam a rebus, & primum a meis. Poſterorum negotium ago. Illis aliqua quæ poſſint prodeſſe, conſcribo: ſalutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compoſitiones, litteris mando, eſſe illas efficaces in meis ulceribus expertus: quæ etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt. Rectum iter quod ſero cognovi, & laſſus errando, aliis monſtro. *Epiſt.* 8.

Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Quibuſdam remedia monſtranda, quibuſdam inculcanda ſunt. *Epiſt.* 27.

Si agricolam arbor ad fructum perducta delectat; ſi paſtor ex fœtu gregis ſui capit voluptatem; ſi alumnum ſuum nemo aliter intuetur, quam ut adoleſcentiam illius ſuam judicet: quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, & quæ tenera formaverunt, adulta ſubito vident? Aſſero te mihi: meum opus es. *Epiſt.* 34.

Eum elige† adjutorem, quem magis admireris quum videris, quam quum audieris. *Epiſt.* 52.

Nul-

---

† *Al.* Doctorem.

Nullos autem pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui philoſophiam velut aliquod artificium venale didicerunt : qui aliter vivunt, quam vivendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſeipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur, obnoxii. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quam gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela. Quid me poteſt adjuvare rector navigii attonitus, & vomitans? Quanto majore putas vitam tempeſtate jactari, quam ullam ratem? Non eſt loquendum, ſed gubernandum. *Epiſt.* 108.

Omnium (a) honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur : non aliter quam ſcintilla flatu le-
* vi adjuta, ignem ſuum explicat. Erigitur virtus quum tacta eſt & impulſa.... Ingenii vis præceptis alitur & creſcit, novaſque perſuaſiones adjicit innatis, & depravata corrigit. *Epiſt.* 94.

Quædam inſident nobis quæ nos ad alia pigros, ad alia temerarios faciunt. Nec hæc audacia reprimi poteſt, nec illa inertia ſuſcitari, niſi cauſæ eorum eximantur, falſa admiratio, falſa formido. Hæc nos quandiu poſsident, dicas licet : hoc patri præſtare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hoſpitibus : tentantem avaritia retinebit. Sciet pro patria pugnandum eſſe : diſſuadebit timor. Sciet pro amicis deſudandum eſſe, ad extremum uſque ſudorem : ſed diliciæ vetabunt. Sciet in uxorem graviſsimum eſſe genus injuriæ, habere pellicem : ſed illum libido in contraria im-
* pinget. Nihil ergo proderit dare præcepta, niſi prius amoveris obſtantia præceptis : non magis quam proderit arma in conſpectu poſuiſſe propiuſque admoviſſe, niſi uſuræ manus expediuntur. Ut ad præcepta quæ damus, poſsit animus ire, ſolvendus eſt. *Epiſt.* 95.

Si quis ex iſtis qui philoſophiam conlatrant, quod ſolent, dixerit : Quare ergo tu fortius loqueris, quam vivis? Quare ſuperiori verba ſubmittis, & pecuniam neceſſarium tibi inſtrumentum exiſtimas, & damno moveris, & lacrimas,

(a) *Tit. Educatio.*

mas, audita conjugis aut amici morte, dimittis, & reſpicis famam, & malignis ſermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi eſt, quam naturalis uſus deſiderat? Cur non ad præſcriptum tuum cœnas? Cur tibi mundior ſupellex eſt? Cur apud te vinum ætate tua vetuſtius bibitur? Cur autem domus diſponitur? Cur arbores præter umbram nihil daturæ conſeruntur? Quare uxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit? Quare pædagogium pretioſa veſte ſuccingitur? Quare ars eſt apud te, miniſtrare: nec temere & ut libet, collocatur argentum, ſed perite ſervitur, & eſt aliquis ſcindendi obſonii magiſter? Adjice, ſi vis, cur trans mare poſsides? Cur plura quam noſti, poſsides? Turpiter aut tam negligens es, ut non noveris pauculos ſervos: aut tam luxurioſus, ut plures habeas, quam quorum notitiæ memoria ſufficiat. Adjuvabo poſtmodum convicia, & plura mihi, quam putas, objiciam. Nunc hoc reſpondebo tibi: non ſum ſapiens, & ut malevolentiam tuam paſcam, nec ero. Exigo (a) itaque a me, non ut optimis par ſim; ſed ut malis melior. Hoc mihi ſatis eſt, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, & errores meos objurgare. Non pervenio ad ſanitatem, ne perveniam quidem: delinimenta magis quam remedia podagræ meæ compono, contentus ſi rarius accedit, & ſi minus † irata minatur. Veſtris quidem pedibus comparatus, debilis curſor ſum. *Lib. de Vita beata, cap.* 17.

Hæc non pro me loquor: ego enim in alto vitiorum omnium ſum: ſed pro illo cui aliquid † actum eſt. Aliter inquit, loqueris; aliter vivis. Hoc per maligniſsima capita & optimo cuique inimiciſsima, Platoni objectum eſt, objectum Epicuro, objectum Zenoni. Omnes enim iſti docebant, non quemadmodum ipſi viverent, ſed quemadmodum vivendum eſſet. De virtute, non de me loquor. Et quum vitiis convicium facio, in primis meis facio: quum potuero, vivam quomodo oportet. Nec malignitas me iſta multo veneno tincta deterrebit ab optimis. Ne virus quidem iſtud quo alios ſpargitis, vos necatis, me impediet, quo minus perſeverem laudare vitam, non quam ago, ſed quam

(a) *Tit. Proficientes.* † *Al.* Verminatur. † *Al.* Acti.

quam agendam ſcio: quo minus virtutem adorem, & ex intervallo ingenti reptabundus ſequar. *Ibid. cap.* 18.

Non præſtant philoſophi quæ loquuntur? multum tamen præſtant, quod loquuntur, quod honeſta mente concipiunt. Nam ſi & paria dictis agerent, quid eſſet illis beatius? Interim non eſt quod contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena præcordia. Studiorum ſalutarium, etiam citra effectum, laudanda tractatio eſt. Quid mirum ſi non aſcendunt in altum? *Ibid. cap.* 20.

Non eſt ergo quod perperam exaudiatis, quæ honeſte, fortiter, animoſe, a ſtudioſis ſapientiæ dicuntur. Et hoc primum attendite. Aliud eſt ſtudioſus ſapientiæ, aliud jam adeptus ſapientiam. Ille tibi dicet: optime loquor; ſed adhuc inter mala volutor plurima. Non eſt quod me ad formulam meam exigas, quum maxime facio me & formo, & ad exemplar ingens attollo: ſi proceſſero quantum propoſui, exige ut dictis facta reſpondeant. Aſſecutus vero humani boni ſummam, aliter tecum aget & dicet: primum non eſt, quod tibi permittas de melioribus ferre ſententiam. Mihi (a) jam (quod argumentum eſt recti) contigit, malis diſplicere. *Ibid. cap.* 24.

Nec enim is ſolus Reipub. prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque cenſet: ſed qui juventutem exhortatur; qui in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute inſtruit animos; qui ad pecuniam luxuriamque curſu ruentes prenſat ac retrahit; & ſi nihil aliud certe moratur, in privato publicum negotium agit. An ille plus præſtat, qui inter peregrinos & cives, aut urbanus prætor † præeuntibus aſſeſſoribus tria verba pronuntiat, quam qui docet quid ſit juſtitia, quid pietas, quid ſapientia, quid fortitudo, quid mortis contemtus, quid Deorum intellectus, † quam gratuitum bonum ſit bona conſcientia? Ergo (b) ſi tempus in ſtudia conferas, quod ſubduxeris officiis, non deſerueris, nec munus detrectaveris. Neque enim ille ſolus militat, qui in acie ſtat, nec cornu dextrum lævumque defendit: ſed & qui portas tuetur, & ſtatione minus periculoſa, non otioſa tamen fungitur, vi-

gi-

(a) *Tit. Perſecutiones bonorum.* † *Al.* Adeuntibus aſſeſſoris verba. † *Al.* Quantum bonum. (b) *Tit. Studium.*

giliaſque ſervat , & armamentario præeſt. Quæ miniſteria quamvis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt. Si te ad ſtudia revocaveris , omne vitæ faſtidium effugeris: nec noctem fieri optabis tædio lucis , nec tibi gravis eris, nec aliis ſupervacuus : multos in amicitiam attrahes , affluetque ad te optimus quiſque. Nunquam (a) enim (quamvis obſcura) virtus latet : ſed mittit ſui ſigna. Quiſquis dignus fuerit , veſtigiis illam colliget. *Lib. de Tranquil. animi , cap.* 3.

Nobilis profeſsio ſapientia eſt , quæ diſtributa ſuſcipit incrementum , avarum dedignata poſſeſſorem , cito , niſi publicetur , elabitur. *Ex Publ. Mim.*

Omnis doctor in vitæ ratione peccans , turpior eſt ob hoc quod in officio , cujus magiſter eſſe vult , labitur. *Ex eodem.*

Dominus. Servus.

BEllo civili proſcriptum dominum ſervus abſcondit , & quum annulos ejus ſibi aptaſſet , ac veſtem induiſſet, ſpeculatoribus occurrit : nihil ſe deprecari , quo minus imperata peragerent , dixit , & deinde cervicem porrexit. Quanti viri eſt , pro domino eo tempore mori velle , quo erat rara fides ?... Inveniri in publica perfidia fidelem ? & quum præmia proditionis ingentia oſtendantur , præmium fidei , mortem concupiſcere ? *Lib.* 3. *de Benef. cap.* 25.

Libenter ex his qui a te veniunt cognovi , familiariter te cum ſervis tuis vivere : hoc prudentiam tuam , hoc eruditionem decet. Servi ſunt ? immo homines. Servi ſunt ? immo contubernales. Servi ſunt ? immo humiles amici. Servi ſunt ? immo conſervi , ſi cogitaveris tantumdem in utroſque licere fortunæ. Itaque rideo iſtos , qui turpe exiſtimant cum ſervo ſuo cœnare. *Epiſt.* 47.

Heu quam miſerum eſt diſcere ſervire , ubi ſis doctus dominari. *Ex Pub. Mim.*

Minus eſt quam ſervus , dominus qui ſervos timet. *Ex eod.*

Qui ſervis crudelis eſt , oſtendit , in alios voluntatem ſibi non deeſſe , ſed poteſtatem. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Virtus.*

Servis imperare moderate, laus est. *Ex eodem.*

Incipientium status.

HOc interest inter consummatæ sapientiæ virum, & alium procedentis, quod inter sanum & ex morbo gravi & diutino emergentem, cui sanitatis loco est levior accessio. Hic nisi attendit, subinde gravatur, & in eadem revolvitur. *Epist.* 72.

Molestum est semper vitam inchoare. Aut si hoc modo magis sensus potest exprimi: male vivunt, qui semper vivere incipiunt.... Quidam vivere tunc incipiunt, quum desinendum est. Si hoc judicas mirum, adjiciam quod magis admireris. Quidam ante vivere desierunt, quam inciperent. *Epist.* 23.

Proficientium.

MAgna pars est profectus, velle proficere. *Epist.* 71. Properemus. Ita demum vita beneficium erit: alioqui mora est, & quidem turpis inter fœda versantibus. Id agamus, ut nostrum omne tempus sit. Non erit autem, nisi prius nos nostri esse cœperimus. *Ead. Epist.* 71.

Generosa res est, respicientem non ad suas, sed ad naturæ suæ vires, conari alta, tentare, & mente majora concipere, quam quæ etiam ingenti animo adornatis effici possint. *Lib. de Vita beata, cap.* 20.

Eorum, qui nondum perfectam virtutem assecuti sunt, mentem ac statum Seneca in persona sua describit his verbis. Dicam (a) quæ accidant mihi: tu morbo nomen invenies. Tenet me summus amor parsimoniæ: fateor. Placet non in ambitionem cubile compositum: non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa; sed domestica & vilis, nec servata, nec sumenda sollicite. Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec spe-

(a) *Tit. Parsimonia.*

ſpectent, nec multos ante paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus: ſed parabilis faciliſque, nihil habens accerſiti † pretio: ſed ubi libet non defuturus, nec patrimonio gravis nec corpori, nec rediturus qua intraverat. Placet miniſter incultus, & rudis vernula: argentum grave ruſtici patris, ſine ullo opere & nomine artificis: & menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum ſucceſsiones civitati nota; ſed in uſum poſita, quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidia. Quum bene iſta placuerunt, præſtringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius † quam jam intra privatum larem veſtita & auro culta mancipia, & agmen ſervorum nitentium. Jam domus etiam qua calcatur pretioſa; & divitiis per omnes angulos diſsipatis, tecta ipſa fulgentia; & aſſectator comeſque patrimoniorum pereuntium populus. Quid (a) perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipſa convivia: quid epulas loquar ſcæna ſua dignas? Circumfudit me ex longo frugalitatis ſitu venientem multo ſplendore luxuria, & undique circumſonuit. Paullum titubat acies. Facilius adverſus illam animum quam oculos attollo. Recedo itaque non pejor, ſed triſtior. Nec inter illa frivola mea tam lætus incedo: tacituſque morſus ſubit & dubitatio, nunquid illa meliora ſint. Nihil horum me mutat; nihil tamen non concutit.

Placet (b) vim præceptorum ſequi, & in mediam ire Remp. Placet honores faſceſque, non purpura, aut aureis virgis adductum, capeſſere: ſed ut amicis propinquiſve & omnibus civibus, omnibus deinde mortalibus paratior utiliorque ſim, propius poſitus. Sequor Zenonem, Cleanthem, Chryſippum: quorum tamen nemo ad Remp. acceſsit, nemo non miſit. Ad † (c) quam quum animum inſolitum arietare permiſi, ubi aliquid occurrit indignum (ut in omni vita humana multa ſunt) ... ad otium convertor: & quemadmodum pecoribus fatigatis quoque, velocior domum gradus eſt. Placet intra parietes ſuos vitam coërcere. ✲

† *Al.* Pretioſive. † *Al.* Quam in privato lare veſtita. (a) *Hæc proficientis ſunt, non perfecti.* (b) *Tit. Reſpub.* † *Al.* Ubi aliquid animam inſolitam arietari percuſsit. (c) *Tit. Quies.*

Nemo ullum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus: ſibi ipſe animus hæreat, ſe colat, nihil alieni agat, nihil quod ad judicem ſpectet. Ametur expers publicæ privatæque curæ tranquillitas.

Sed (a) ubi lectio fortior erexit animum, & aculeos ſubdiderunt exempla nobilia, proſilire libet in forum: commodare alteri vocem, alteri operam, etſi nihil profuturam, tamen conaturam prodeſſe: alterius coërcere in foro ſuperbiam, male ſecundis rebus elati.... Ne ſingula diutius perſequar, in omnibus rebus hæc me ſequitur bonæ mentis infirmitas, cui ne paullatim defluam vereor, aut quod eſt ſollicitius, ne ſemper caſuro ſimilis pendeam.... Rogo itaque, ſi quod habes remedium quod hanc fluctuationem meam ſiſtas, dignum putes me qui tibi tranquillitatem debeam.... Ut vera tibi ſimilitudine id de quo queror exprimam, non tempeſtate vexor, ſed nauſea. Detrahe ergo quicquid hoc eſt mali, & ſuccurre in conſpectu terrarum laboranti. *Lib. de Tranquil. animi, cap.* 1.

Quæro mehercule jam dudum, Serene, ipſe tacitus, ✻cui talem affectum animi ſimilem putem? Nec ullius propius admoneor exemplo, quam eorum qui ex longa & gravi valetudine expliciti, motiunculis levibuſque interim offenſis perſtringuntur; & quum reliquias effugerint, ſuſpicionibus tamen inquietantur, mediciſque jam ſani manum porrigunt, & omnem † calorem corporis ſui calumniantur. Horum, Serene, non parum ſanum eſt corpus, ſed ſanitati parum aſſuevit. *Ibid. cap.* 2.

Perfectorum ſtatus.

QUi *ſint perfecti viri mores & actiones, graviter & eleganter Seneca ad Lucilium, imperfecti hominis collatione, deſcribit his verbis.* Hunc, *ait*, vidimus in bello fortem, in foro timidum, animoſe paupertatem ferentem, humiliter infamiam: factum laudavimus, contemſimus virum. Alium vidimus adverſus amicos benignum, ad-

(a) *Tit. Lectio. Tit. Exemplum. Tit. Reſpub.* † *Al.* Colorem.

adverſus inimicos temperatum, & publica & privata ſancte ac religioſe adminiſtrantem : non deeſſe ei & in his quæ toleranda erant, patientiam; & in his quæ agenda, prudentiam. Vidimus ubi tribuendum eſſet, plena manu dantem : ubi laborandum, pertinacem & obnoxium, & laſſitudinem corporis animo ſublevantem. Præterea idem erat ſemper, & in omni actu par ſibi : jam non conſilio bonus, ſed more eo perductus, ut non tantum recte facere poſſet; ſed niſi recte, facere non poſſet. Intelleximus in illo perfectam eſſe virtutem. *Epiſt.* 120.

Quam anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt: quæ omnia extra publicas tabulas ſunt? *Lib.* 2. *de Ira, cap.*27.

Vir ſapiens atque perfectus, hanc ſibi vitam proponere, ſic ſecum agere debet. Ego mortem eodem vultu videbo, quo audiam. Ego laboribus, quanticunque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus. Ego divitias & præſentes & abſentes æque contemnam : nec ſi alicubi jacebunt, triſtior, nec ſi circa me fulgebunt, animoſior. Ego fortunam nec venientem ſentiam, nec recedentem. Ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium. Ego (a) ſic vivam, quaſi ſciam aliis me natum : & naturæ rerum hoc nomine gratias agam. Quo enim melius genere negotium meum agere potuit? Unum me donavit omnibus : uni mihi omnes. Quicquid habebo nec ſordide cuſtodiam, nec prodige ſpargam. Nihil magis poſsidere me credam, quam bene donata. Non numero, nec pondere beneficia, nec ulla niſi accipientis æſtimatione pendam. Nunquam id mihi multum erit, quod dignus accipiet. Nihil (b) opinionis cauſa; omnia conſcientiæ faciam. Populo ſpectante fieri credam, quicquid me conſcio faciam. Edendi (c) erit bibendique finis, deſideria naturæ reſtinguere; non implere alvum & exinanire. Ego (d) amicis jucundus, inimicis mitis & facilis, exorabor antequam roger, honeſtis precibus occurram. Patriam (e) meam eſſe mundum ſciam : & præ-

(a) *Tit. Liberalitas.* (b) *Tit. Conſcientia.* (c) *Tit. Abſtinentia.* (d) *Tit. Dilectio inimicorum.* (e) *Tit. Providentia.*

ſides Deos ſupra me, circaque me ſtare, factorum dictorumque cenſores. Quandocunque autem natura ſpiritum repetet, aut ratio dimittet, teſtatus exibo, bonam me conſcientiam amaſſe, bona ſtudia: nullius per me libertatem imminutam, a nemine meam. *Lib. de Vita beata, cap.* 20.

Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad Deos iter faciet: næ ille, etiam ſi non tenuerit, magnis tamen excidet auſis. *Ibid. cap.* 21.

Quæ ſint perfecti viri officia oſtendit iterum Seneca exemplo amici Lucilii Siciliæ præfecti: quum ſic inducit adulatoribus ſuis reſpondentem. I tu, *inquit*, iſta verba quæ jam ab alio magiſtratu ad alium cum lictoribus tranſeunt, ferto ad aliquem, qui paria facturus, vult quicquid dixeris, audire. Ego nec decipere volo, nec decipi poſſum. Laudari me a vobis, niſi laudaretis etiam malos, vellem.... Quum cupieris (*ait Sen.*) bene laudari, quare hoc ulli debeas? Ipſe te lauda: dic, liberalibus me ſtudiis tradidi, quamquam paupertas alia ſuaderet, & ingenium eo duceret, ubi præſens ſtudii pretium eſt. Ad gratuita carmina deflexi me, & ad ſalutare philoſophiæ ſtudium contuli. Oſtendi in omne pectus cadere virtutem: & eluctatus natalium anguſtias, nec ſorte me ſed animo menſus, par maximis ſteti. Non mihi inimicitia Getulici, Caji fidem eripuit. Non in aliorum perſonam infeliciter armati † Meſſala & Narciſſus, diu publici hoſtes, antequam ſui, propoſitum meum potuerunt evertere. Cervicem pro fide appoſui. Nullum verbum mihi, quod non ſalva conſcientia procederet, excuſſum eſt. Pro amicis omnia timui: pro me nihil, niſi ne parum bonus amicus fuiſſem. Non mihi muliebres fluxere lacrimæ. Non e manibus ullius ſupplex pependi. Nihil indecorum nec bono, nec viro feci. Periculis meis major, paratus ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quod experiri voluiſſet quanti æſtimarem fidem. Non debebat mihi parvo res tanta conſtare. Nec examinavit me quidem diu: neque enim paria pendebant, utrum ſatius eſſet me perire pro fide, an fidem pro me. Non præcipiti impetu in ultimum conſilium, quo me eriperem furori potentium, miſi.

† *Al.* Amatorum.

ſi. Videbam apud Cajum tormenta, videbam ignes. Sciebam olim ſub illo in eum ſtatum res humanas decidiſſe, ut inter miſericordiæ opera haberetur, occidi. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto ore deſilui; ne viderer pro fide tantum mori poſſe. Adjice nunc invictum muneribus animum, & in tanto avaritiæ certamine, numquam ſuppoſitam manum lucro. Adjice nunc victus parſimoniam, ſermonis modeſtiam, adverſus minores humanitatem, adverſus majores reverentiam. Poſt hoc ipſe te conſule, vera ne an falſa memoraveris. Si vera ſunt, coram magno teſte laudatus es: ſi falſa, ſine teſte deriſus es. Poſſum & ipſe nunc videri te aut captare, aut experiri. Utrumlibet crede, & omnes timere a me incipe. Virgilianum illud excute: *Nuſquam tuta fides. In Præfatione Lib. 4. Natural. Quæſt.*

Rex Princeps.

HOc eſt regnum, nolle regnare, quum poſsis. *Lib. 3. de Benef. cap. 37.*

Si vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi: multos reges, ſi ratio te rexerit. *Epiſt. 37.*

Naturæ eſt, potioribus deteriora ſubmittere. Mutis qui- *
dem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſsima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris ceteros mares vicit. Elephantorum gregem excelſiſsimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus. Animo itaque rector *olim* eligebatur. Ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior. Tantum enim quantum vult poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat poſſe. Illo ergo ſæculo quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſsidonius judicat. Hi continebant manus, & infirmiores a validioribus tuebantur. Suadebant diſſuadebantque, & utilia atque inutilia monſtrabant. Horum prudentia, ne quid deeſſet ſuis providebat. Fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat, ornabatque ſubjectos. Officium erat imperare,

non regnum. Nemo quantum poſſet adverſus eos experiebatur, per quos cœperat poſſe. *Epiſt.* 90.

Perierunt omnia, ubi quantum ſuadet ira, fortuna permittit: nec diu poteſt, quæ multorum malo exercetur potentia, ſtare. Periclitantur enim, ubi eos qui ſeparatim gemunt, communis metus junxit. Pleroſque itaque modo ſinguli mactaverunt, modo univerſi, quum illos conferre in unum iras publicus dolor coëgiſſet. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 16.

Nullum clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam (a) peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum quotidie experiuntur. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 3.

Clementia in quamcumque domum pervenerit, eam felicem tranquillamque præſtabit. Sed in regia, quo rarior, eo mirabilior. Quid (b) enim eſt mirabilius, quam eum, cujus iræ nihil obſtat; cujus graviori ſententiæ ipſi qui pereunt, aſſentiuntur; quem nemo interrogaturus eſt, immo ſi vehementius excanduit, ne deprecaturus quidem; ipſum ſibi manum injicere, & poteſtate ſua in melius placidiuſque uti, hoc ipſum cogitantem: occidere contra legem nemo non poteſt; ſervare, nemo præter me? Magnam (c) fortunam magnus animus decet: qui niſi ſe ad illam extulit, & altior ſtetit, illam quoque infra terram deducit. Magni autem animi eſt proprium, placidum eſſe tranquillumque, & injurias atque offenſiones ſemper deſpicere. Muliebre eſt, furere in ira. Ferarum vero, nec generoſarum quidem, præmordere & urgere projectos. Elephantes leoneſque tranſeunt quæ impulerunt. Ignobilis beſtiæ pertinacia eſt. Non decet regem ſæva, nec inexorabilis ira. Non multum enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 5.

Clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque

(a) *Tit. Potentia mala & bona.* (b) *Tit. Victoria ſui.* (c) *Tit. Magnanimitas.*

que diſcrimen ſit, uterque licet non minus armis valletur: ſed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur, alter, ut magno timore, magna odia compeſcat. Nec illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus aſpicit. Contrariis in contraria agitur. Nam & inviſus eſt quia timetur, & timeri vult quia inviſus eſt: & illo exſecrabili verſu, qui multos dedit præcipites, utitur: *Oderint, dum metuant.* Ignarus quanta rabies oriatur, ubi ſupra modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet animos: aſſiduus vero & acer & extrema admonens, in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri ſuadet. Sic † feras lineæ & pinnæ clauſas continent: ſi vero eaſdem a tergo eques telis inceſſat, tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem. Acerrima (a) virtus eſt, quam ultima neceſsitas extundit. Relinquat oportet ſecuri aliquid metus, multoque plus ſpei quam periculorum oſtentet. Alioquin ubi quieſcenti paria metuuntur, incurrere in pericula juvat, & aliena anima abuti. Placido tranquilloque regi fida ſunt auxilia ſua, quibus ad communem ſalutem utatur. Glorioſuſque miles (publicæ enim ſecuritati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, ut parentis cuſtos. At illum acerbum & ſanguinarium neceſſe eſt graventur ſtipatores ſui. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 12.

Agat princeps curam non tantum ſalutis, ſed etiam honeſtæ cicatricis. Nulli regi gloria eſt ex ſæva animadverſione. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 17.

Natura (b) commenta eſt regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum regi ampliſsimum cubile eſt, medioque ac tutiſsimo loco. Præterea onere vacat, exactor alienorum operum: & amiſſo rege, totum delabitur examen. Nec unquam plus unum patiuntur, melioremque pugna quærunt. Præterea inſignis regis forma eſt, diſsimiliſque ceteris, tum magnitudine, tum nitore. Hoc tamen maxime diſtinguitur: iracundiſsimæ, ac pro corporis captu pugnaciſsimæ ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illum na-

† *Al.* Si feras lineis & pinna clauſas contineas: eaſdem *cet.*

(a) *Tit. Neceſsitas.* (b) *Tit. Opificium Dei.*

natura nec ſævum eſſe, nec ultionem magno conſtaturam petere: telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Eſt enim illi mos exſerere ſe in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, quum tanto hominum moderatior eſſe animus debeat, quanto vehementius nocet. Utinam quidem eadem homini lex eſſet, & ira cum telo ſuo frangeretur: nec ſæpius liceret nocere quam ſemel, nec alienis viribus exercere odia. Facile enim laſſaretur furor, ſi per ſe ſibi ſatisfaceret, & ſi mortis periculo vim ſuam effunderet. Sed ne nunc quidem illi curſus tutus eſt. Tantum enim neceſſe eſt timeat, quantum timeri voluit: & manus omnium obſervet, & eo quoque tempore quo non captatur, peti ſe judicet, nullumque momentum immune a metu habeat. Hanc aliquis ægram vitam ſuſtinet, quum liceat innoxium, & ob hoc ſecurum, ſalutare potentiæ, jus lætis omnibus, tractare? Errat enim ſi quis exiſtimat tutum eſſe ibi regem, ubi nihil a rege tutum eſt. Securitas ſecuritate mutua paciſcenda eſt. Non opus eſt inſtruere in altum editas arces, nec in aſcenſum arduos colles emunire, nec latera montium abſcindere, multiplicibus ſe muris turribuſque ſepire. Salvum regem in aperto clementia præſtabit. Unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius eſt, quam vivere optantibus cunctis, & vota non ſub cuſtode nuncupantibus? Si paullum valetudo titubavit, non ſpem hominum excitari, ſed metum? Nihil eſſe cuiquam tam pretioſum, quod non pro ſalute præſidis ſui commutatum velit? Omne quod illi contingit, ſibi quoque evenire deputet? In hoc aſſiduis bonitatis argumentis probavit, non Rempub. ſuam eſſe, ſed ſe Reipub. Quis huic audeat ſtruere aliquod periculum? ... Hoc affectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, ut optimus ſimul habeatur. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 19.

Nunc *ergo regem* hortamur, ut manifeſte læſus, animum in poteſtate habeat: & pœnam, ſi tuto poterit, donet: ſin minus, temperet: longeque ſit in ſuis, quam in *alienis exorabilior injuriis. Nam (a) quemadmodum non eſt ma-

(a) *Tit. Clementia.*

magni animi qui de alieno liberalis eſt, ſed ille qui quod alteri donat, ſibi detrahit: ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem; ſed eum qui quum ſuis ſtimulis exagitetur, non proſilit: qui intelligit magni (a) animi eſſe, injurias in ſumma potentia pati, nec quicquam eſſe glorioſius principe impune læſo. *Ibid. cap.* 20.

Nihil quicquam pulchrius exiſtimo in faſtigio collocatis quam multarum rerum veniam dare, nullius petere. *Lib. de Conſolatione ad Marciam, cap.* 4.

Cæſari ipſi cui omnia licent, propter hoc ipſum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit: omnium otium illius labor: omnium delicias illius induſtria: omnium vacationem illius occupatio. Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum dedicavit, ſibi eripuit: & ſiderum modo (quæ irrequieta ſemper curſos ſuos explicant) nunquam illi licet, nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere. *Lib. de Conſolatione ad Polyb. cap.* 26.

Hæc clementia principem decet, ut quocumque venerit, manſuetiora omnia facit. *Ex Pub. Mim.*

Haud minus turpia ſunt principi multa ſupplicia, quam medico multa funera. *Ex eodem.*

Male imperando ſummum imperium amittitur. *Ex eod.*

Non alia facies eſt quieti moderatique imperii, quam ſereni cæli & nitentis. *Ex eodem.*

Principum ſævitia, bellum eſt. *Ex eodem.*

Regibus eſt pejus multo quam ſervientibus: re vera quia iſti ſingulos, illi univerſos timent. *Ex eodem.*

Regibus certior eſt ex manſuetudine ſecuritas. *Ex eodem.*

Tyrannus a rege diſtat factis, non nomine. *Ex eodem.*

Judex, Magiſtratus.

HOc ſemper in omni animadverſione *judex* ſervabit, ut ſciat alteram adhiberi, ut emendet malos; alteram ut tollat. In utroque non præterita, ſed futura intuebitur. Nam, ut Plato ait, nemo (b) prudens punit, quia peccatum

(a) *Tit. Magnanimitas.* (b) *Tit. Caſtigatio.*

tum eſt, ſed ne peccetur. Revocari enim præterita non poſſunt: futura prohibentur: & quos volet nequitiæ male cedentis exempla fieri, palam recidet, non tantum ut pereant ipſi, ſed ut alios pereundo deterreant. Hæc cuique expendenda æſtimandaque ſunt. Vides quam debeat omni perturbatione liber accedere ad rem ſumma diligentia tractandam, poteſtatem vitæ neciſque. Male irato ferrum committitur. *Lib.* 1. *de Ira, cap.* 16.

Remiſsius imperanti melius paretur. Natura contumax eſt humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens; ✻ ſequiturque facilius quam ducitur. Et ut generoſi ac nobiles equi melius facili freno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur.... Plus itaque hac via proficitur. Crudelitas (a) minime humanum malum eſt, indignum tam miti animo. Ferina iſta rabies eſt, ſanguine gaudere ac vulneribus: & abjecto homine in ſilveſtre animal tranſire. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 24.

Non licet tibi flere immodice, ne hoc tantummodo non licet, nec ſomnum quidem extendere in partem diei licet, aut a tumultu rerum in otium ruris, gratia quietis confugere, ... aut ſpectaculorum varietate animum detinere, aut ex tuo arbitrio diem diſponere. *Lib. de Conſolat. ad Polyb. cap.* 25.

Multa tibi non licent, quæ humillimis, & in angulo jacentibus licent. Magna ſervitus eſt, magna fortuna. Non licet (b) tibi quicquam arbitrio tuo facere. Audienda ſunt tot hominum millia, tot diſponendi libelli, tantus rerum ex orbe toto accurrentium congeſtus. Ut poſsit per ordinem ſuum principis † maximi officium geri, quieti animi eſt. Non licet tibi, inquam, flere, ut multos flentes audire poſsis. Ut periclitantium, & ad miſericordiam mitiſsimi Cæſaris pervenire cupientium lacrimæ proſint, tibi tuæ aſsiccandæ ſunt. Hoc tamen etiam non levioribus remediis adjuvabit. Quum voles omnium rerum oblivi ſci, cogita Cæſarem: vide quantam hujus in te indulgentiæ fidem, quantam induſtriam debeas: intelliges non magis tibi incurvari li-

(a) *Tit. Crudelitas.* (b) *Tit. Potentia.* † *Al.* Principis maximi animo ſubjici, exigendus is, *vel ut alii*, erigendus tuus eſt.

licere, quam illi (ſi quis modo eſt † *fabulis traditus favor*) cujus humeris mundus innititur.... Ad quendam itaque modum tibi quoque eadem neceſsitas injungitur: non licet tibi ad utilitates tuas, ad ſtudia tua reſpicere. Cæſare orbem terrarum poſsidente, impartiri te nec voluptati, nec dolori, nec ulli rei potes: totum te Cæſari debes. *Ibid. cap.* 26.

Bonis nocet, quiſquis pepercit malis. *Ex Publ. Mim.*

Bono juſtitiæ proxima eſt ſeveritas. *Ex eodem.*

Crudelem medicum intemperans æger facit. *Ex eodem.*

Quum vitia proſunt, peccat qui recte facit. *Ex eodem.*

Difficilius eſt moderari ubi dolori detur ultio, quam ubi exemplo. *Ex eodem.*

In judicando criminoſa eſt celeritas. *Ex eodem.*

Judex damnatur, quum nocens abſolvitur. *Ex eodem.*

Legem nocens veretur; fortunam innocens. *Ex eodem.*

Prope eſt ut libenter damnet, qui cito. Prope eſt ut non æque damnet, qui nimis. *Ex eodem.*

Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas. *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam Tit. præcedentem*, Rex Princeps.

Potens, Potentia.

SI in medio urbium fremitu collocati ſumus, ſtet ad latus monitor: & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet parvo divitem, & uſu opes metientem. Contra illos qui gratiam ac potentiam attollunt, otium ipſe ſuſpiciat traditum litteris, & animum ab externis ad ſua reverſum. Oſtendat ex conſtitutione vulgi beatos, in iſto invidioſo faſtigio ſuo trementes & attonitos, longeque aliam de ſe opinionem habentes, quam ab aliis habetur. Nam quæ aliis videntur excelſa, ipſis prærupta ſunt. Itaque exanimantur & trepidant, quoties deſpexerunt in illud magnitudinis ſuæ præceps. Cogitant enim varios caſus, & in ſublimi maxime lubricos. Tunc appetita formidant: & quæ illos graves aliis reddit, gravior ipſis felici-

---

† *Hæc verba in aliis Exempl. deſunt.*

citas incumbit. Tunc laudant otium lene & ſui juris : odio eſt fulgor : & fuga jam a rebus adhuc ſtantibus quæritur. Tunc demum videas † philoſophantes metu , & ægræ fortunæ ſana conſilia. Nam (a) quaſi iſta inter ſe contraria ſint , bona fortuna & mens bona ; ita melius in malis ſapimus : ſecunda rectum auferunt. *Epiſt.* 94.

Non ſum potens. Gaude : impotens non eris. Injuriam accipere potero. Gaude : facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum judicas ? arca eſt. Quis (b) ærario , quis plenis loculis invidet ? Et iſte quem dominum pecuniæ exiſtimas , *pecuniæ* loculus eſt. Multum habet. Utrum avarus an prodigus eſt ? Si avarus , non habet : ſi prodigus , non habebit. Iſte (c) quem beatum credis , ſæpe dolet, * ſæpe ſuſpirat. Multi illum comitantur. Mel muſcæ ſequuntur , cadavera lupi , frumenta formicæ. Prædam ſequitur iſta turba , non hominem. *Lib. de Remed. fortuit. ſive in Excerptis poſter.*

Sciamus omnia æque levia eſſe , extrinſecus diverſas facies habentia , introrſus pariter vana. Nec invideamus altius ſtantibus. Quæ (d) excelſa videntur , prærupta ſunt. Illi rurſus quos ſors iniqua in ancipiti poſuit , tutiores erunt ſuperbiam detrahendo rebus per ſe ſuperbis , & fortunam ſuam quam maxime poterunt , in planum deferendo. Multi quidem ſunt , quibus neceſſario hærendum ſit in faſtigio ſuo , ex quo non poſſunt niſi cadendo deſcendere. Sed hoc ipſo teſtantur maximum onus ſuum eſſe , quod aliis graves eſſe coguntur : nec ſublevatos ſe , ſed ſuffixos. Juſtitia , manſuetudine , humana lege , & benigna manu præparent multa ad ſequentes caſus præſidia , quorum ſpe ſecurius pendeant. Nihil tamen æque hos ab his animi fluctibus vindicaverit , quam ſemper aliquem incrementis terminum figere : nec fortunæ arbitrium deſinendi dare ; ſed ipſos , & quidem ultro , citra extrema conſiſtere. Sic & aliquæ cupiditates animum acuent , ſed finitæ : non in immenſum incertumque producent. *Lib.* 1. *de Tranq. animi , cap.* 10.

In-

† *Al.* Philoſophantis metus. (a) *Tit. Adverſitas. Tit. Proſperitas.* (b) *Tit. Dives.* (c) *Tit. Amicitia falſa.* (d) *Tit. Proſperitas. Tit. Adverſitas.*

Inhoneſta res eſt ſuos vincere: ſatis eſt potuiſſe punire. *Ex Publ. Mim.*

Peſtifera vis eſt valere ad nocendum. *Ex eodem.*

Si (a) in clientelam felicis hominis potentiſque perveneris, aut veritas aut amicitia perdenda eſt. *Ex eodem.*

Nobiles, Ignobiles.

PLato ait, neminem regem non ex ſervis eſſe oriundum; neminem non ſervum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit; & ſurſum deorſum fortuna verſavit. Quis ergo generoſus? Ad virtutem bene a natura compoſitus. Hoc unum eſt intuendum.... Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere. *Epiſt.* 44.

Quid ſtultius quam aliquem eo ſibi placere, quod ipſe non fecit? *Epiſt.* 74.

Vulgus, Vulgi errores & opiniones.

TRitiſsima quæque via & celeberrima maxime decipit. Nihil (b) ergo magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla multa ſunt: nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Inde iſta tanta coacervatio aliorum ſupra alios ruentium. Quod in ſtrage hominum magna evenit, quum ipſe ſe populus premit: nemo ita cadit, ut non alium in ſe attrahat: primi exitio ſequentibus ſunt. Hoc in omni vita accidere videas licet: nemo ſibi tantum errat, ſed alii erroris cauſa & auctor eſt. Nocet enim applicari antece-

*

den-

(a) *Tit. Veritas.* (b) *Tit. Exemplum.*

dentibus: & dum unuſquiſque mavult credere quam judicare; nunquam de vita judicatur, ſemper creditur. Verſatque nos & præcipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis. Sanabimur, ſi modo ſeparemur a cœtu. Nunc vero ſtat contra rationem defenſor mali ſui populus. Itaque idem evenit quod in comitiis, in quibus eos factos prætores iidem qui fecere mirantur, quum ſe mobilis favor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus eſt omnis judicii, in quo lis ſecundum plures datur. *Lib. de Vita beata, cap.* 1.

Quum de beata vita agitur, non eſt quod mihi illud diſceſsionum more reſpondeas: hæc pars major eſſe videtur. Ideo enim pejor eſt. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſsimi turba eſt. Quæramus quid optime factum ſit, non quid uſitatiſsimum: & quid nos in poſſeſsione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo veritatis peſsimo interpreti probatum ſit. Vulgum autem tam clamydatos, quam coronam voco. Non enim colorem veſtium, quibus prætexta corpora ſunt, aſpicio: oculis de homine non credo. Habeo melius certiuſque lumen, quo a falſis vera dijudicem. Animi bonum animus inveniat. Hic ſi unquam illi reſpirare, & recedere in ſe vacaverit; o quam ſibi ipſi verum, tortus a ſe fatebitur ac dicet: † Quicquid feci adhuc, infectum eſſe mallem! Quicquid optavi, inimicorum exſecrationem puto! Quicquid timui, dii boni, quanto melius fuit, quam quod concupivi! *Ibid. cap.* 2.

Malis diſplicere, laudari eſt. *Ex Publ. Mim.*

Nondum felix es, ſi nondum te turba deridet. *Ex eodem.*

Non quam multis placeas; ſed quibus, ſtude. *Ex eodem.*

Si multis placuerit vita tua, tibi placere non poterit. *Ex eodem.*

SE-

† *Al.* Quicquid dixi, quum recogito, in multis video.

SECUNDA CLASSIS LOCORUM COMMUNIUM:
in qua de virtutibus & vitiis agitur.

Virtus.

OPortet cupiditates refrenari, metus comprimi, facienda provideri, reddenda distribui. Comprehendimus temperantiam, fortitudinem, prudentiam, justitiam: & suum cuique dedimus officium. Ex quo ergo virtutem intelleximus? Ostendit illam nobis ordo ejus, & decor & constantia, & omnium inter se actionum concordia, & magnitudo super omnia efferens sese. Hinc intellecta est illa beata vita secundo defluens cursu, arbitrii sui tota. *Epist.* 120.

Bona (a) mens nec commendatur, nec emitur: & puto, si venalis esset, non haberet emtorem. At mala quotidie emitur. *Epist.* 27.

Si æger esses, curam intermisisses rei familiaris, & fo-* rensia tibi negotia excidissent: nec quemquam tanti putares, cui advocatus in causam descenderes. Toto animo id ageres, ut quam primum morbo liberareris. Quid ergo? Non (b) & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. Nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet philosophia regnum suum: dat tempus, non accipit. Non est res subsiciva. Ordinaria est, domina est: adest, & jubet. Alexander, cuidam civitati partem agrorum & dimidium rerum omnium promittenti, eo, inquit, proposito veni in Asiam, ut non id acciperem quod dedissetis; sed ut id haberetis quod reliquissem. Idem philosophia rebus omnibus: non sum id tempus acceptura quod vobis superfuerit: sed id habebitis quod ipsa erogavero. Totam huc converte mentem: huic aside: hanc cole: ingens intervallum inter te & ceteros fiat. Omnes mortales multo antecedes; non multo te dii antecedent. Quid inter te & illos interfuturum sit, quæris? Diutius erunt. *Epist.* 53.

(a) *Tit. Corrupti mores.* (b) *Tit. Occupatio.*

Parem Deo pecunia non faciet. Deus nihil habet. Prætexta non faciet. Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui, & in populos nominis dimiſſa notitia. Nemo novit Deum. Multi de illo male exiſtimant, & impune. Non turba ſervorum lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium. Deus ille maximus potentiſsimuſque, ipſe vehit omnia. Ne forma quidem & vires bonum te facere poſſunt. Nihil horum non patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo quod non fiat in dies deterius: cui non poſsit obſtari: quo nil melius poſsit optari. Quid hoc eſt? animus: ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in humano corpore hoſpitantem? *Epiſt.* 31.

Quid eſt ſtultius quam in homine aliena laudare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quæ in alium protinus tranſ-
*ferri poſsint? Non faciunt meliorem equum aurei freni.... Vitem laudamus, ſi fructu palmites onerat; ſi ipſa ad terram, pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ uvæ, aurea folia dependent? Propria virtus eſt in vite fertilitas. In homine quoque id laudandum eſt, quod ipſius eſt. Familiam pulchram habet, & domum pulchram: multum ſerit, multum fenerat: nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum. Lauda in ipſo, quod nec eripi poteſt, nec dari: quod proprium eſt hominis. Quæris quid ſit? Animus, & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal eſt homo. Conſummatur itaque ejus bonum, ſi id adimplevit cui naſcitur. Quid eſt autem quod ab illo ratio hæc exigit? Rem facillimam: ſecundum naturam ſuam vivere: ſed hanc difficilem facit communis inſania. *Epiſt.* 41.

Summum bonum eſt, quod honeſtum eſt. Et quod magis admireris: unum bonum eſt, quod honeſtum eſt. Cetera falſa & adulterina bona ſunt. Hæc ſi perſuaſeris tibi, & virtutem adamaveris (amare enim parum eſt) quicquid illa contigerit, id tibi, qualecumque aliis videbitur, fauſtum felixque erit. *Epiſt.* 71.

Omnia ſuo bono conſtant. Vitem fertilitas commendat,
*ſapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorſo jumen-

ta ſint, quæris? quia eorum hic unus eſt uſus, ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inveſtigare debet feras: curſus, ſi conſequi: audacia, ſi mordere & invadere. Id in quoque optimum eſt cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecedit animalia, deos ſequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum eſt: cetera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Valet? & leones. Formoſus eſt? & pavones. Velox eſt? & equi. Non dico: in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat; ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ & vermes. Habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniæ? Quid in homine proprium? Ratio: hæc recta & conſummata, felicitatem hominis implevit. Ergo ſi omnis res quum bonum ſuum perfecit, laudabilis eſt, & ad finem naturæ ſuæ pervenit; homini autem ſuum bonum ratio eſt: ſi hanc perfecit; laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit. Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eademque honeſtum eſt. Id itaque unum bonum eſt in homine, quod unum hominis eſt. Nunc enim non quærimus quid ſit bonum; ſed quod ſit hominis bonum. Si nullum aliud eſt hominis quam ratio; hæc erit unum ejus bonum: ſed penſandum cum omnibus. Si ſit aliquis malus, puto improbabitur: ſi bonus, puto probabitur. Id ergo in homine proprium ſolumque eſt, quo & probatur, & improbatur. Non dubitas an hoc ſit bonum: dubitas an ſolum bonum ſit. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium; ſed malus ex confeſſo ſit: improbabis illum. Item, ſi quis nihil quidem illorum quæ retuli habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate, & avorum proavorumque ſerie; ſed ex confeſſo bonus ſit: probabis illum. Ergo eſt unum bonum hominis: quod qui habet, etiam ſi aliis deſtituitur, laudandus eſt: qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac rejicitur. *Epiſt. 76.*

Quæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Navis * bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt; nec

cui argenteum aut aureum roſtrum eſt ; nec cujus tutela ebore cælata eſt; nec quæ fiſcis ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis & firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox, & conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt balteus; nec cui vagina gemmis diſtinguitur : ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula, non quam formoſa, ſed quam recta ſit quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum feneret, a quam multis ſalutetur, quam pretioſo incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat : ſed quam bonus ſit. Bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus. Hoc eſt honeſtum, & unicum hominis bonum. Nam quum ſola ratio perficiat hominem ; ſola ratio perfecta beatum facit. *Ead. Epiſt. 76.*

Non dat natura virtutem. Ars eſt, bonum fieri.... Virtus non contingit animo, niſi inſtituto & edocto, & ad ſummum aſsidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcimur : & in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus eſt. *Epiſt. 90.*

Sciant omnia præter virtutem, mutare nomen : modo mala fieri, modo bona. *Epiſt. 99.*

Inter bonos viros ac Deum amicitia eſt, conciliante virtute. Amicitiam dico? immo etiam neceſsitudo & ſimilitudo: quandoquidem bonus, tempore tantum a Deo differt; diſcipulus ejus, æmulatorque, & vera progenies : quem (a) parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, ſicut ſeveri patres, durius educat. *Lib. de Divin. provid. cap.* 1.

Nihil eſt bonum niſi quod honeſtum eſt. Quod honeſtum eſt, utique bonum. Supervacuum judico adjicere quid inter iſta diſcriminis ſit, quum ſæpe dixerim. Hoc unum dicam. Nihil nobis bonum videri, quo quis & male uti poteſt. Vides autem, divitiis, nobilitate, viribus quam multi male utantur. *Epiſt.* 120.

Si

(a) *Tit. Adverſitas.*

Si ullum aliud eſt bonum quam honeſtum, ſequetur nos aviditas vitæ; aviditas rerum vitam inſtruentium: quod eſt intolerabile, infinitum, vagum. Solum ergo bonum eſt honeſtum. *Epiſt.* 76.

Virtus partim facilis, partim difficilis.

OMne honeſtum in arduo eſt: etiam quod vicinum honeſto eſt. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 18.

Quemadmodum virtutes retentæ exire non poſſunt, faciliſque earum tutela eſt: ita initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, ut incipiat. Deinde non eſt acerba medicina: protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt: philoſophia pariter ſalutaris & dulcis eſt. *Epiſt.* 50.

Cui tandem vitio advocatus defuit? Non eſt quod dicas excidi non poſſe. Sanabilibus ægrotamus malis: ipſaque nos in rectum genitos natura, ſi emendari velimus, juvat. Nec ut quibuſdam viſum eſt, arduum in virtutes & aſperum iter eſt: plano adeuntur. Non vanæ vobis auctor rei venio. Facilis eſt ad beatam vitam via: inite modo bonis auſpiciis, ipſiſque diis bene juvantibus. Multo (a) difficilius eſt facere iſta quæ facitis. Quid (b) enim quiete otioſius animi? Quid ira laborioſius? Quid clementia remiſsius? Quid crudelitate negotioſius? Vacat pudicitia: libido occupatiſsima eſt. Omnium denique virtutum tutela facilior eſt: vitia magno coluntur. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 13.

Modum tenere in eo difficile eſt, quod honeſtum eſſe credideris. *Epiſt.* 23.

Ardua per quæ vocamur & confragoſa ſunt. Quid enim? Plano aditur excelſum? Sed ne tam abrupta quidem ſunt, quam quidam putant. Prima tantum pars ſaxa rupeſque habet. *Lib.* 2. *de Tranq. ſive quod in Sap. non cad. injur. cap.* 1.

Non eſt quod ullam exiſtimes eſſe ſine labore virtutem: ſed quædam virtutes ſtimulis; quædam frenis egent. Quem- ad-

(a) *Tit. Gratia.* (b) *Tit. Vitium.*

admodum corpus in proclivi retineri debet, in ardua impelli : ita quædam virtutes in proclivi ſunt ; quædam clivum ſubeunt. An dubium ſit quin aſcendat, nitatur, obluctetur patientia, fortitudo, perſeverantia, & quæcumque alia duris oppoſita virtus eſt, & fortunam ſubigit? Quid ergo ? Non æque manifeſtum eſt, per devexum ire liberalitatem, temperantiam, manſuetudinem? In his continemus animum ne prolabatur. In illis exhortamur, incitamuſque. Acerrimas ergo paupertati adhibebimus illas (*ſubaudi virtutes*) † quæ impugnatæ fiunt fortiores : divitiis illas diligentiores, quæ ſuſpenſum gradum ponunt, & pondus ſuum ſuſtinent. *Lib. de Vita beata, cap.* 25.

Intentio recta in virtutis opere.

RErum honeſtarum pretium in ipſis poſitum eſt. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 1.

Fixum eſt illud a quo in cetera probationes noſtræ exeunt : honeſtum ob nullam aliam cauſam, quam quia honeſtum ſit, coli. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 16.

Nulla lex amare parentes, indulgere liberis jubet. Supervacuum eſt enim, quo natura imus, impelli. Quemadmodum nemo in amorem ſui cohortandus eſt, quem quum naſcitur, trahit: ita ne ad hoc quidem ut honeſta per ſe petat. Placet ſuapte natura : adeoque gratioſa virtus eſt, ut inſitum ſit etiam malis, probare meliora. *Ibid. cap.* 17.

Propoſitum eſt nobis ſecundum rerum naturam vivere, & deorum exemplum ſequi. Dii (a) autem quodcumque faciunt, in eo nihil præter ipſam faciendi rationem ſequuntur : niſi forte exiſtimas illos fructum operum ſuorum ex fumo extorum, & turis odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur : quanta diſtribuant : quantis terras fructibus impleant : quam opportunis & in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant : quantis imbribus repente dejectis ſolum molliant : venaſque fontium arentes redintegrent,

† *Al.* Quæ pugnare ſciunt. (a) *Tit. Dei beneficia.*

grent, & infuſo per occulta nutrimento renovent. Omnia iſta ſine mercede, ſine ullo ad ipſos perveniente commodo faciunt. Hæc (a) quoque noſtra ratio, ſi ab exemplari ſuo non aberrat, ſervet, ne ad res honeſtas conducta veniat. Pudeat ullum venale eſſe beneficium. Gratuitos habemus Deos. Si Deos, inquit, imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 25.

Hoc ante omnia ſibi quiſque perſuadeat. Me juſtum eſſe gratis oportet.... Non eſt quod exſpectes, quod ſit juſtæ rei præmium majus quam juſtum eſſe. Illud adhuc tibi affige, quod paullo ante dicebam: nihil ad rem pertinet, quam multi æquitatem tuam noverint. Qui (b) virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat ſed gloriæ. Non vis eſſe juſtus ſine gloria. At mehercules ſæpe juſtus eſſe debebis cum infamia. Et tunc ſi ſapis, mala opinio bene parta delectat. *Epiſt.* 113.

Non in facto laus eſt, ſed in eo quemadmodum fiat.... Amico ægro aliquis aſsidet: probamus. At hoc ſi hæreditatis cauſa facit, vultur eſt: cadaver exſpectat. Eadem aut turpia ſunt, aut honeſta. Refert, quare aut quemadmodum fiant.... Ergo infigi debet perſuaſio ad totam pertinens vitam.... Qualis hæc perſuaſio fuerit; talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur.... Marcus Brutus in eo libro quem (c) *de Officio* inſcripſit, dat multa præcepta & parentibus, & liberis, & fratribus. Hæc nemo faciet quemadmodum debet, niſi habuerit quo referat. Proponamus oportet finem ſummi boni ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum dictumque reſpiciat: veluti navigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus. Vita ſine propoſito vaga eſt. *Epiſt.* 95.

Virtutum omnium pretium in ipſis eſt.... *Itaque* recte facti feciſſe merces eſt. *Epiſt.* 81.

Malus eſt vocandus, qui ſua eſt cauſa bonus. *Ex Pub. Mim.*

Non aſpicias quam plenas quiſque manus Deo, ſed quam puras admoveat. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Liberalitas.* (b) *Tit. Inanis gloria.* (c) περὶ καθήκοντος, id eſt, *de Officio*, ut Priſcianus; vel *de Virtute*, ut Cicero vocat.

Nihil intereſt, quo animo facias quod feciſſe vitioſum eſt. Nam facta cernuntur: animus non videtur. *Ex eodem.*

Odium oportet peccandi; non metum facias. *Ex eodem.*

Plerique metu ceſſant peccare; non innocentia. Profecto tales timidi, non innocentes ſunt dicendi. *Ex eodem.*

Voluntarium in virtute.

NIhil honeſtum eſt quod ab invito, quod a coacto fit. Omne honeſtum voluntarium eſt. Admiſce illi pigritiam, querelam, tergiverſationem, metum. Quod habet in ſe optimum perdidit: ſibi placere. *Epiſt. 66.*

Conſcientia bona & mala.

SIngulos dies tibi meos, & quidem totos indicari, *Lucili*, jubes. Bene de me judicas, ſi nihil eſſe in illis putas quod abſcondam. Sic certe vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus. Sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſsit. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil (a) Deo clauſum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit. *Epiſt. 83.*

Bona conſcientia prodire vult & conſpici. Ipſas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto: poteſt (b) nocenti contingere ut lateat; latendi fiducia non poteſt. Aut ſi hoc modo melius hunc explicari poſſe judicas ſenſum: ideo non prodeſt latere peccantibus, quia latendi etiam ſi facultatem habeant, fiduciam non habent. Ita eſt. Tuta ſcelera eſſe; ſecura non poſſunt. Hoc ergo repugnare ſectæ noſtræ, ſi ſic expediatur, non judico. Quare? quia prima & maxime peccantium eſt pœna, peccaſſe. Nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominus & hæc

&

(a) *Tit. Providentia.* (b) *Tit. Peccatum.*

& illa ſecundæ pœnæ premunt ac ſequuntur, timere ſemper & expaveſcere, & ſecuritati diffidere. Quare ego hoc ſupplicio nequitiam liberem? Quare non ſemper illam in ſuſpenſo relinquam? Illhic diſſentiamus cum Epicuro, ubi dicit nihil juſtum eſſe natura; & crimina vitanda eſſe, quia vitari metus non poſsit. Hic conſentiamus, mala facinora conſcientia flagellari. Et plurimum illi tormentorum eſſe: eo quod perpetua illam ſollicitudo urget ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. Hoc enim ipſum argumentum Epicuri eſt, natura nos a ſcelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor eſt. Multos fortuna liberat pœna; metu neminem. Quare? quia infixa nobis ejus rei averſatio eſt, quam natura damnavit. Ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium trepidare. Male de nobis actum erat, quod multa ſcelera legem & judicem effugiunt & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia & gravia de præſentibus ſolverent, & in locum pœnitentiæ timor cederet. *Epiſt.* 97.

Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum aureſque vitare? Bona conſcientia turbam advocat: mala etiam in ſolitudine anxia atque ſollicita eſt. Si honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant: ſi turpia, quid refert neminem ſcire, quum tu ſcias? O te miſerum ſi contemnis hunc teſtem. *Epiſt.* 43.

Nullum putaris eſſe locum ſine teſte. *Ex Pub. Mim.*

Plerique famam, pauci conſcientiam verentur. *Ex eod.*

Quis ſis, intereſt, non quis habearis. *Ex eodem.*

Quam magnum eſt non laudari, & eſſe laudabilem. *Ex eod.*

In felice felicitas eſt innocentia: nequitia ipſa pœna ſui eſt. *Ex eodem.*

Peccatum, Peccati mala & cruciatus.

PEdes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt: adhuc diſſimulamus, & aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laboraſſe. Dubio & incipiente morbo,

bo, quæritur nomen : qui ubi ad talaria cœpit tendere,
* neceſſe eſt podagram fateri. Contra evenit in iis moribus quibus afficiuntur animi : quo quis pejus ſe habet, minus ſentit. *Epiſt.* 53.

Innumerabiles proprietates ſunt, ſed unus effectus vitii, diſplicere ſibi. Hoc (a) oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis aut parum proſperis : ubi aut non audent quantum concupiſcunt ; aut non conſequuntur, & in ſpem toti prominent : ſemper inſtabiles mobileſque. Quod neceſſe eſt accidere pendentibus *ad vota ſua.* Omni vita pendent, & ubi ſine præmio labor eſt, torquet illos irritum dedecus.... Tunc illos & pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor : ſurrepitque illa jactatio animi non invenientis exitum, quia nec cupiditatibus ſuis imperare, nec obſequi poſſunt : & cunctatio vitæ parum ſe explicantis, & inter deſtituta vota torpentis animi ſitus. Quæ omnia graviora ſunt, ubi odio infelicitatis operoſæ ad otium profugerunt, & ad ſecreta ſtudia : quæ (b) pati non poteſt animus ad civilia erectus, agendique cupidus, & natura inquietus ; parum ſcilicet in ſe ſolatiorum habens. Ideoque detractis oblectationibus, quas ipſæ occupationes diſcurrentibus præbent ; domum, ſolitudinem, parietes non fert : invitus aſpicit ſe ſibi relictum. Hinc illud eſt tædium & diſplicentia ſui, & nuſquam reſidentis animi volutatio, & otii ſui triſtis atque ægra patientia : utique ubi cauſas fateri pudet, tormenta introrſus egit verecundia : in anguſto incluſæ cupiditates ſine exitu ſe ipſas ſtrangulant. Inde mœror marcorque, & mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent ſuſpenſam ; deplorata triſtem. Inde ille affectus otium ſuum deteſtantium, querentiumque nihil ipſos habere quod agant, & alienis incrementis inimiciſsima invidia. Alit (c) enim livorem infelix inertia : & omnes deſtrui cupiunt, quia ſe non potuerunt provehere. Et ex hac deinde averſatione alienorum proceſſuum, & ſuorum deſperatione, obiraſcens (d) fortunæ animus, & de ſæculo querens, & in angulos ſe retrahens, & pœnæ incubans ſuæ,

dum

(a) *Tit. Cupiditatis tormenta.* (b) *Improbi otio ſuo cruciatur.* (c) *Tit. Inertia livoris parens.* (d) *Tit. Zelus ex livore.*

dum tædet ſui pigetque. Natura enim humanus animus agilis eſt, & pronus ad motus. Grata omnia illi excitandi ſe *attollendique* materia eſt: gratior peſsimis quibuſdam ingeniis, quæ occupationibus libenter deteruntur. Ut ulcera * quædam nocturas manus appetunt, & tactu gaudent; & fœdam corporum ſcabiem delectat quicquid exaſperat: non aliter dixerim his mentibus in quas cupiditates velut mala ulcera eruperunt, voluptati eſſe laborem vexationemque. Sunt (a) enim quædam quæ corpus quoque noſtrum cum quodam dolore delectant: ut verſare ſe, mutare nondum feſſum latus, & alio atque alio poſitum ventilari. Qualis ille Homericus Achilles eſt, modo pronus, modo ſupinus, in varios habitus ſe ipſe componens. Quod proprium ægri eſt, nihil diu pati, & mutationibus ut remediis uti. Inde peregrinationes ſuſcipiuntur vagæ, & littora pererrantur, & modo mari ſe, modo terra experitur ſemper præſentibus infeſta levitas. Nunc Campaniam petamus. Jam delicata faſtidio ſunt: inculta videantur. Bruttios & Lucanos ſaltus perſequamur. Aliquid tamen inter deſerta amœni requiratur, in quo luxurioſi oculi longo locorum horrentium ſqualore releventur. Tarentum petatur, laudatuſque portus, & hiberna cœli mitioris, & tecta vel antiquæ ſatis opulenta turbæ. Jam flectamus curſum ad urbem: nimis diu applauſu & fragore aures vacaverunt. Juvat jam & humano ſanguine frui. Aliud ex alio iter ſuſcipitur, & ſpectacula ſpectaculis mutantur. Ut ait Lucretius:

Hoc ſe quiſque modo ſemper fugit.

Sed quid prodeſt, ſi non effugit? Sequitur ſe ipſe, & urget graviſsimus comes. Itaque ſcire debemus, non locorum vitium eſſe quo laboramus, ſed noſtrum. Infirmi ſumus ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec noſtræ, nec ullius rei diutius. Hoc quoſdam egit ad mortem, quod propoſita ſæpe mutando, in eadem revolvebantur, & non reliquerant novitati locum. Faſtidio illis eſſe cœpit vita, & ipſe mundus: & ſubit illud rabidarum deliciarum: quouſque eadem? *Lib.* 1. *de Tranquil. animi, cap.* 2.

To-

(a) *Tit. Cupiditatis tædium & mutationes inquietæ.*

Tolerabilior eſt qui mori jubet, quam qui male vivere. *Ex Publ. Mim.*

¶ *Contrarius huic eſt, Tit.* Virtus, Affinis vero, *Tit.* Conſcientia mala. *Tit.* Felicitas falſa. *Tit.* Divitiæ, Divites. *Tit.* Voluptas. *Tit.* Cupiditas. *In his enim omnibus invenies quæ ad peccati deteſtationem valeant.*

Peccati occaſiones eſſe vitandas.

* QUemadmodum ei qui amorem exuere conatur, evitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis; nihil enim facilius quam amor recrudeſcit: ita (a) qui deponere vult deſideria rerum omnium quarum cupiditate flagravit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, avertat. Cito rebellat affectus. Quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ aſpiciet. *Epiſt. 69.*

Sapienti non ſollicite cuſtodire ſe tutum eſt, & lacrimas ſuas & voluptates ubi volet, ſiſtet. Nobis quia non eſt regredi facile, optimum eſt omnino non progredi. Eleganter mihi videtur Panætius reſpondiſſe adoleſcentulo cuidam quærenti, an ſapiens amaturus eſſet? De ſapiente, (b) inquit, videbimus: mihi & tibi (qui adhuc a ſapiente longe abſumus) non eſt committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem ſibi. Sive enim nos reſpexit, humanitate ejus irritamur; ſive contemſit, ſuperbia accendimur. Æque facilitas amoris, quam difficultas nocet. Facilitate capimur; cum difficultate certamus. Itaque conſcii nobis imbecillitatis noſtræ, quieſcamus. Nec † vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec ullis rebus blande trahentibus. Quod Panætius de amore quærenti reſpondit, hoc ego de omnibus dico. Quantum poſſumus nos a lubrico recedamus. In ſicco quoque parum fortiter ſtamus. *Epiſt.* 116.

Eripere telum, non dare, irato decet. *Ex Pub. Mim.*

Male facere qui vult, nuſquam non cauſam invenit. *Ex eodem.*

Pec-

(a) *Tit. Cupiditas.* (b) *Tit. Amor.* † *Al.* Vitio.

Peccatorum, hoc est, improborum hominum contubernia fugienda; contraque bonorum appetenda.

VEniet aliquod tempus quod nos iterum jungat ac miſceat. Quantumlibet ſit illud, longum faciet ſcientia utendi: nam ut Poſsidonius ait, unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longiſsima ætas. *Epiſt.* 78.

Peſsimum genus hominum videbatur, qui verba geſtarent. Sunt quidam, qui vitia geſtant. Horum ſermo multum nocet. Nam etiam ſi non ſtatim proficit; ſemina in animo relinquit: ſequiturque nos (etiam quum ab illis diſceſſerimus) reſurrecturum poſtea malum. Quemadmodum qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit nec ad ſeria patitur intendi: ſic (a) adulatorum & prava laudantium ſermo diutius hæret, quam auditur. Nec facile eſt animo dulcem ſonum excutere: proſequitur, & durat, & intervallo recurrit. *Epiſt.* 123.

Nulla res magis animos honeſta induit, dubioſque & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio. Paullatim enim deſcendit in pectora: & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus mehercule ipſe ſapientium juvat: & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.... Minuta quædam (ut ait Phædon) animalia, quum mordent, non ſentiuntur: adeo tenuis illis & fallens in periculum vis eſt. Tumor indicat morſum: & in ipſo tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in converſatione virorum ſapientium eveniet. Non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi proſit: profuiſſe deprehendes. *Epiſt.* 94.

Incendent libidines tuas adulterorum ſodalicia. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum eſt. Avarus, corruptor, ſævus, fraudulentus, multum nocituri ſi prope te fuiſſent; intra te ſunt. Ad meliores tranſi. Cum Ca-

(a) *Tit. Adulatio.*

Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone: quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone verſare. Alter te docebit mori, ſi neceſſe erit: alter, antequam neceſſe erit. Vive cum Chryſippo, cum Poſsidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam. *Epiſt.* 104.

Cum placidiſsimo, & facillimo, & minime anxio moroſoque vivendum eſt. Sumuntur a converſantibus mores. Et ut quædam ad contactus corporis vitia tranſiliunt: ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem quoque & ſiliceum virum emolliit. Avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem ex diverſo ratio virtutum eſt; ut omne quod ſecum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit utilis regio & ſalubrius cælum; quam animis parum firmis, in turba meliorum verſari. Quæ res quantum poſsit intelliges, ſi videris feras quoque convictu noſtro manſueſcere: nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt. Retunditur omnis aſperitas, paullatimque inter placida dediſcitur. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 7.

Accedit huc, quod non tantum exemplo melior ſit qui cum quietis hominibus vivit; ſed quod cauſas iraſcendi non invenit, nec vitium ſuum exercet. Fugere itaque debebit omnes, quos irritaturos iracundiam ſciet. Qui ſunt, inquit, iſti? Multi ex variis cauſis idem facturi. Offendet te ſuperbus, contemtu: dives, contumelia: petulans, injuria: lividus, malignitate: pugnax, contentione: ventoſus & mendax, vanitate. Non feres a ſuſpicioſo timeri, a pertinace vinci, a delicato faſtidiri. Elige ſimplices, faciles, moderatos: qui iram tuam non evocent, ſed ferant. Magis adhuc proderunt ſubmiſsi & humani & dulces: non tamen uſque in adulationem. Nam iracundos nimia aſſentatio offendit. Erat certe amicus noſter, vir bonus; ſed iræ paratioris: cui non magis erat tutum blandiri, quam maledicere. *Ibid. cap.* 8.

Serpunt vitia, & proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque ut in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſsideamus,

mus, quia pericula trahemus afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Initium morbi est, ægris sana miscere. Nec hoc præceperim tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris aut attrahas. Ubi enim istum invenies, quem tot sæculis quærimus? Pro optimo est minime malus. Vix tibi esset facultas delectus felicioris, si inter Platonas & Xenophontas, & illum Socratici fetus proventum, bonos quæreres. *Lib.* 1. *de Tranq. cap.* 7.

Peccantium multitudo, sive corrupti sæculi mores.

SEneca *lib.* 3. *Natur. Quæst. sentit mundum diluvio propter corruptos hominum mores finiendum, & protinus instaurandum. Ita, quod nos credimus factum, ille asserit futurum. Ejus hæc verba sunt.* Undique ergo erunt causæ diluvio, quum aliæ aquæ subinfluunt terras, aliæ circumfluunt: quæ diu coërcitæ, vincent; & amnes amnibus jungent; paludibus stagna. Omnium tunc mare ora fontium implebit, & majore hiatu solvet.... Ut ignis diversis locis ortus cito miscet incendium, flammis coïre properantibus: sic momento redundantia maria se committent. Nec ea semper licentia undis erit: sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris in quarum homines ingenia transierant, iterum aquas terra sorbebit: natura pelagus stare, aut intra terminos suos furere coget: & rejectus e nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus: antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo insçius scelerum, & melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt. Cito nequitia subrepit. Virtus (a) difficilis inventu est, rectorem ducemque desiderat. Etiam sine magistro vitia discuntur. *Lib.* 3. *Natur. Quæst. cap.* 30.

Voluptas ab omni parte quæritur. Nullum intra se manet vitium. In avaritiam præceps luxuria est: honesti oblivio invasit. Nihil turpe est, cujus placet pretium. Homo sa-

(a) *Tit. Virtus difficilis.*

ſacra res homini, jam per luſum & jocum occiditur. *Epiſt.* 95.

In quod unum toto agimur animo, nondum perfecimus, ut peſsimi eſſemus. Adhuc in proceſſu vitia ſunt. Invenit luxuria aliquid novi in quod inſaniat. Invenit impudicitia novam contumeliam ſibi. Invenit deliciarum diſſolutio, & tabes aliquid tenerius molliuſque quo pereat. Nondum ſatis robur omne projecimus. Adhuc quicquid eſt boni moris extinguimus levitate & politura corporum. Muliebres mundicias anteceſsimus: colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli inceſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed repimus. Exornamus annulis digitos: in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat injuria, ut traducatur: quia non poteſt exui. *Lib.* 7. *Natur. Quæſt. cap.* 31.

Erras, mi Lucili, ſi exiſtimas noſtri ſæculi eſſe vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia quæ objicit ſuis quiſque temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum. Nulla ætas vacavit a culpa. Et ſi æſtimare licentiam cujuſque ſæculi incipias, pudet dicere: nunquam apertius quam coram Catone peccatum eſt. Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo judicio, in quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Cæſaris uxore in operto commiſerat, violata religione ejus ſacrificii quod pro populo fieri dicitur: ſic ſubmotis extra † conſpectum omnibus viris; ut picturæ quoque maſculorum animalium contegantur. Atqui dati judicibus nummi ſunt: & (quod hac etiamnum pactione turpius eſt) ſtupra inſuper matronarum, & adoleſcentulorum nobilium, ſalarii loco exacta ſunt. Minus crimine, quam abſolutione peccatum eſt. Adulterii reus adulteria diviſit: nec ante fuit de ſalute ſecurus, quam ſimiles ſui judices ſuos reddidit. Hæc in eo judicio facta ſunt in quo (ſi nihil aliud) Cato teſtimonium dixerat.... Credat hoc quiſquam? qui damnabatur uno adulterio, abſolutus eſt multis. Omne tempus Clodios; non omne Catones feret. Ad deteriora faciles ſumus, quia nec dux

† *Al.* Conſeptum.

dux poteſt, nec comes deeſſe : & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit. Non pronum iter eſt tantum ad vitia, ſed præceps. Et (a) (quod pleroſque inemendabiles facit) omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntque † deerrantem : vitæ peccata delectant. Non gaudet navigio gubernator everſo: non gaudet ægro medicus elato : non gaudet orator, ſi patroni culpa reus cecidit. At contra, omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, in quod irritatus eſt ipſa difficultate. Lætatur ille circumſcriptione furtoque. Nec ante illi culpa, quam culpæ fortuna diſplicuit. *Epiſt.* 97.

Si iraſci ſapiens debet turpiter factis, & concitari contriſtarique ob ſcelera ; nihil eſt ærumnoſius ſapiente. Omnis illi per iracundiam mœroremque vita tranſibit. Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat? Quoties proceſſerit domo ; per ſceleratos illi avaroſque & prodigos & impudentes, & ob iſta felices, incedendum erit. Nuſquam oculi ejus flectentur, ut non quod indignentur inveniant. Deficiet ; ſi toties a ſe iram, quoties cauſa poſcet, exegerit. Hæc tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites ; quanto turpiores advocatos habent? Alius judicio patrem accuſat, quem demereri ſatius fuit. Alius cum matre conſiſtit. Alius delator venit ejus criminis, cujus manifeſtior reus eſt: & judex damnaturus quæ fecit, eligitur: & corona pro mala cauſa, bona patroni voce corrupta. Quid ſingula perſequor? Quum videris forum multitudine refertum, & ſepta concurſu omnis frequentiæ plena, & illum circum in quo maximam ſui partem populus oſtendit ; hoc ſcito, iſthic tantumdem eſſe vitiorum, quantum hominum. Inter iſtos quos togatos vides, nulla pax eſt: alter in alterius exitium levi compendio ducitur. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 7.

Nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt. Felicem oderunt, infelicem contemnunt: majore gravantur, minori graves ſunt: diverſis ſtimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob levem voluptatem prædamque cupiunt. Non alia quam

(a) *Tit. Peccatum.* † *Al.* Offenduntque: errantem in vita, *cet. ſed minus recte.*

in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viventium pugnantiumque. Ferarum iſte conventus eſt: niſi quod illæ inter ſe placidæ ſunt, morſuque ſimilium abſtinent; hi mutua laceratione ſatiantur. Hoc uno ab animalibus mutis differunt: quod illa manſueſcunt alentibus; horum rabies ipſos, a quibus eſt nutrita, depaſcitur. Nunquam iraſci deſinet ſapiens, ſi ſemel cœperit. Omnia ſceleribus ac vitiis plena ſunt. Plus committitur quam quod poſsit coërcitione ſanari. Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine. Major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt. Expulſo melioris æquioriſque reſpectu, quocumque viſum eſt libido ſe impingit. Nec furtiva jam ſcelera ſunt: præter oculos eunt. Adeoque in publicum miſſa nequitia eſt, & in omnium pectoribus evaluit: ut innocentia non rara, ſed nulla ſit. Numquid enim ſinguli aut pauci rupere legem? undique velut ſigno dato, ad fas nefaſque miſcendum coorti ſunt.

——— *Non hoſpes ab hoſpite tutus:*
Non ſocer a genero: fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis; illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Eod. lib. cap. 8.

Adde nunc publica perjuria gentium, & rupta fœdera, & in prædam validioris quicquid non reſiſtebat abductum: circumſcriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non ſufficiunt fora. Si tantum iraſci vis ſapientem, quantum ſcelerum indignitas exigit; non iraſcendum illi, ſed inſaniendum eſt.... Inter cetera mortalibus incommoda, & hoc eſt, caligo mentium: nec tantum neceſsitas errandi, ſed errorum amor. *Ibid. cap.* 9.

Inter cetera mala illud peſsimum eſt, quod vitia ipſa mutamus. Sic, ne hoc quidem nobis contingit; permanere in malo jam familiari. Aliud ex alio placet, vexatque nos. Hoc quoque, quod judicia noſtra non tantum prava, ſed etiam levia ſunt. Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus, relicta repetimus. Alternæ inter cupiditatem noſtram & pœnitentiam vices ſunt. Pende-

demus (a) enim toti ex alienis judiciis : & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet; non id quod laudandum petendumque est. *Lib. de Vita beata, cap.* 28.

¶ *Vide etiam hac de re, Tit.* Luxus.

Peccatorum excusatio.

NUllum est vitium sine patrocinio : nulli non initium est verecundum & exorabile. *Epist.* 116.

Vitia nostra, quia amamus, defendimus : & malumus excusare illa, quam excutere. Satis natura homini dedit roboris si illo utamur; si vires nostras colligamus; ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in causa est : non posse prætenditur. *Epist.* 116.

Omitte excusationem : nemo peccat invitus. *Ex Pub. Mim.*

Omne vitium habet patrocinium suum. *Ex eodem.*

Tentatio, quæ ad peccandum sollicitat.

NUllum sine auctoramento malum est. Avaritia pecuniam promittit : luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest. Mercede te vitia sollicitant : *at in virtutis curriculo* tibi gratis vivendum est. *Epist.* 69.

Sextium quum maxime lego, virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philosophantem, movet me imago ab illo posita : ire *videlicet* quadrato agmine exercitum, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratum. Idem, inquit, sapiens facere debet. Omnes virtutes suas undique expandat : & ubicumque infesti aliquid oritur, illhic parata præsidia sint. *Epist.* 59. *

Multum adjicit sibi virtus lacessita. *Epist.* 13.

Non obtinebis ut *affectus* desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primo omnis affectus : deinde ipse se con-

(a) *Tit. Vulgus.*

citat, & vires quum procedit, parat : excluditur facilius quam expellitur.... Ergo intrantibus reſiſtamus : quia facilius, ut dixi, non recipiuntur, quam exeunt. Aliquatenus, inquis, dolere; aliquatenus timere permitte : ſed illud aliquatenus longe producitur; nec ubi vis, accipit finem. *Epiſt.* 116.

Facilius eſt excludere pernicioſa, quam regere : & non admittere, quam admiſſa moderari. Nam quum ſe in poſſeſsione poſuerunt, potentiora rectore ſunt : nec recidi ſe minuive patiuntur. Deinde ratio ipſa cui freni traduntur, tamdiu potens eſt, quamdiu diducta eſt ab affectibus. Si miſcuit ſe illis & inquinavit, non poteſt continere, quos ſubmovere potuiſſet. Commota enim ſemel & concuſſa mens, ei ſervit † quo impellitur. Quarumdam rerum initia in noſtra poteſtate ſunt. Ulteriora nos ſua vi rapiunt; * nec regreſſum relinquunt. Ut in præceps datis corporibus nullum ſui arbitrium eſt; nec reſiſtere morarive dejecta potuerunt, ſed conſilium omne & pœnitentiam irrevocabilis præcipitatio abſcidit; & non licet eo non pervenire, quo non ire licuiſſet : ita animus, ſi in iram, amorem, alioſque ſe projecit affectus, non permittitur reprimere impetum : rapiat illum oportet, & ad imum agat ſuum pondus, & jam vitiorum natura proclivis. *Lib.* 1. *de Ira, cap.* 7.

Optimum eſt, primum irritamentum iræ protinus ſpernere, ipſiſque repugnare ſeminibus, & dare operam ne incidamus in iram : nam ſi cœperit ferre tranſverſos, difficilis ad ſalutem recurſus eſt. Quoniam nihil rationis eſt, ubi ſemel affectus eſt inductus, juſque illi aliquod voluntate noſtra datum eſt. Faciet de cetero quantum volet; non quantum permiſeris. In primis, inquam, finibus hoſtis arcendus eſt. Nam quum intravit & portis ſe intulit, modum a captivis non accipit. Neque enim ſepoſitus eſt animus, & extrinſecus ſpeculatur affectus, ut illos non patiatur ultra quam oportet procedere : ſed † etiam affectum ipſum imitamur. Ideoque non poteſt utilem illam vim & ſalutarem, proditam jam infirmatamque, revocare. *Ibid. cap.* 8.

Fi-

† *Al.* A quo expellitur. † *Rectius* : In affectum ipſe mutatur.

Fides.

FIdem qui perdit, quo ſe ſervat in reliquum? *Ex Pub. Mim.*

Fidem qui perdit, perdere ultra nihil poteſt. *Ex eodem.*

Fides, ut anima, unde abiit, eo nunquam redit. *Ex eod.*

Fidem nemo unquam perdit, niſi qui non habet. *Ex eod.*

Credulitas.

QUædam falſa, veri ſpeciem ferunt. Dandum ſemper eſt tempus. Veritatem enim dies aperit. Ne ſint aures criminantibus faciles. Hoc (a) humanæ naturæ vitium ſuſpectum, notumque nobis ſit: quod quæ inviti audimus, libenter credimus: & antequam judicemus, iraſcimur. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 22.

Agenda *ergo* eſt contra ſe cauſa abſentis, & in ſuſpenſo ira retinenda. Poteſt enim pœna dilata exigi; non poteſt exacta revocari. Notus eſt ille tyrannicida, qui imperfecto opere comprehenſus, & ab Hippia tortus ut conſcios indicaret, circumſtantes amicos tyranni nominavit, quibus quam maxime caram ſalutem ejus ſciebat. Et quum ille ſingulos, ut nominati fuerant, occidi juſſiſſet, interrogavit: ecquis ſupereſſet? Tu, inquit, ſolus: neminem enim alium cui carus eſſes, reliqui. Effecit ira, ut tyrannus tyrannicidæ manus commodaret; & præſidia ſua gladio ſuo cæderet. Quanto (b) animoſius Alexander, qui quum legiſſet epiſtolam matris qua admonebatur ut a veneno Philippi medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit. Plus ſibi de amico ſuo credidit. Dignus fuit qui innocentem haberet, dignus qui faceret. Hoc eo magis in Alexandro laudo, quia nemo tam obnoxius iræ fuit. Quo rarior autem moderatio in regibus, hoc laudanda magis eſt. Fecit hoc & C. Cæſar, ille qui victoria civili clementiſſime uſus eſt. Quum † ſarcinam deprehendiſſet epiſtolarum

(a) *Tit. Veritas. Tit. Caſtigatio.* (b) *Fiducia. Amicitia.* † *Al.* Scrinia.

ad Pompejum miſſarum ab his qui videbantur aut in adverſis, aut in neutris fuiſſe partibus; combuſsit. Quamvis enim moderate ſoleret iraſci; maluit tamen non poſſe. Gratiſsimum putavit genus veniæ, neſcire quid quiſque peccaſſet. Plurimum mali credulitas facit. Sæpe ne audiendum quidem eſt: quoniam in quibuſdam rebus ſatius eſt decipi, quam diffidere. *Ibid. cap.* 23.

Nihil niſi quod in oculos incurret manifeſtumque erit, credamus. Et quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, objurgemus credulitatem. Hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet non facile credendi. *Eod. lib. cap.* 24.

Utrumque vitium eſt: & omnibus credere & nulli. Sed alterum honeſtius dixerim vitium: alterum tutius. *Epiſt.* 3.

Ad calamitatem quilibet rumor valet. *Ex Pub. Mim.*

Animo dolenti nihil oportet credere. *Ex Pub. Mim.*

Difficilem habere oportet aurem ad crimina. *Ex Pub. Mim.*

Spes, Deſperatio.

ACerrima virtus eſt, quam ultima neceſsitas excutit. *Ex Pub. Mim.*

Ex ſpe præmii ſolatium fit laboris. *Ex eodem.*

Heu quam eſt timendus qui mori tutum putat. *Ex eod.*

In malis ſperare bonum, niſi innocens, nemo ſolet. *Ex eodem.*

Amor in communi.

AMor, animi arbitrio ſumitur; non ponitur. *Ex Pub. Mim.*

Amans iratus multa mentitur ſibi. *Ex eodem.*

Amans quid cupiat, ſcit; quid ſapiat, non videt. *Ex eodem.*

Amans, quod ſuſpicatur vigilans, ſomniat. *Ex eodem.*

Amor extorqueri non poteſt; elabi poteſt. *Ex eodem.*

Ab amante, lacrimis redimas iracundiam. *Ex eodem.*

Ama-

Amare & ſapere vix Deo conceditur. *Ex eodem.*

Amoris vulnus, idem qui ſanat, facit. *Ex eodem.*

Amor otioſæ cura eſt ſollicitudinis. *Ex eodem.*

Honeſtius eſt quum judicaveris, amare; quam quum amaveris, judicare. *Ex eodem.*

In amore ſemper mendax iracundia eſt. *Ex eodem.*

Si vis amari, ama. *Ex eodem.*

Amor ſui, ſive Cupiditas.

FAteor inſitam eſſe nobis corporis noſtri caritatem. Fateor nos hujus gerere tutelam. Nec nego indulgendum illi: ſerviendum nego. Multis enim ſerviet, qui cordi ſervit: qui pro illo nimium timet: qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus; ſed tanquam non poſsimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumeliis objicit. Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum eſt. Agatur ejus diligentiſsime cura: ita tamen, ut quum exiget ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignem ſit. *Epiſt.* 14.

Una eſt catena quæ nos alligatos tenet; amor vitæ. Qui ut non eſt abjiciendus; ita minuendus eſt: ut ſi quando res exiget, nihil nos detineat nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere. *Epiſt.* 26.

Major ſum & ad majora genitus, quam ut mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter aſpicio, quam vinculum libertati meæ circumdatum. Hoc itaque oppono fortunæ, inquo reſiſtat. Nec per illud ad me ullum tranſire vulnus ſino.... Nunquam me caro iſta compellet ad metum: nunquam ad indignam bono ſimulationem: nunquam in honorem hujus corpuſculi mentiar. Quum viſum fuerit, diſtraham cum illo ſocietatem. Et nunc tamen dum hæremus, non erimus æquis partibus ſocii: animus ad ſe omne jus ducet. Contemtus (a) corporis ſui, certa libertas eſt. Ut

(a) *Tit. Libertas.*

ad propoſitum revertar, huic libertati multum conferet & illa, de qua modo loquebamur, inſpectio. Nempe univerſa ex materia, & ex Deo conſtant. Deus iſta temperat, quæ circumfuſa rectorem ſequuntur & ducem. Potentius autem eſt quod facit, quod eſt Deus, quam materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus. Quod eſt illhic materia, id in nobis corpus eſt. Serviant ergo deteriora melioribus. *Epiſt.* 65.

Amor mundi rerumque labentium; contraque contemtus earum.

COntemnere omnia aliquis poteſt: omnia habere nemo poteſt. Breviſsima ad divitias per contemtum divitiarum via eſt. *Epiſt.* 62.

Si vis beatus eſſe; ſi fide bona vir bonus; ſine contemnat te aliquis. *Epiſt.* 71.

Æquo animo audienda ſunt imperitorum convicia: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemtus. *Epiſt.* 76.

Quæ latebra eſt, in quam non intret metus mortis? Quæ tam munita & in altum ſubducta vitæ quies, quam non dolor territet? Quocumque te abdideris, mala humana circumſtrepent. Multa extra ſunt quæ circumeunt nos, quo aut fallant, aut urgeant. Multa intus, quæ etiam in media ſolitudine exæſtuant. Philoſophia (a) circumdanda eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat. Infra illum omne telum cadit. Non habet (ut putamus) fortuna longas manus: neminem occupat, niſi hærentem ſibi. *Epiſt.* 82.

Relinque iſta jamdudum ad quæ diſcurritur. Relinque divitias, aut periculum poſsidentium aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates: molliunt, & enervant. Relinque ambitum: tumida (b) res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum: tam ſollicita eſt ne quem ante ſe videat,

---

(a) *Tit. Philoſophia.* (b) *Tit. Ambitio.*

deat, quam ne alium poſt ſe: laborat invidia, & quidem duplici. Vides autem quam miſer ſit is cui invidetur, ſi & invidet.... Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem libet, cui ſe fortuna ſubmiſit; omnia quidem ſub te, quæ pro excelſiſsimis habentur, aſpicies: ſed tamen venies ad ſumma per planum. *Epiſt.* 84.

Attalum memini cum magna admiratione omnium hæc dicere: diu mihi, inquit, impoſuere divitiæ. Stupebam ubi aliquid ex illis alio atque alio loco fulſerat. Exiſtimabam ſimilia eſſe quæ laterent, his quæ oſtenderentur. Sed in quodam apparatu vidi totas opes urbis cælatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri argentique vicerunt: exquiſitos colores: & veſtes ultra non tantum noſtrum, ſed ultra finem hoſtium advectas. Hinc puerorum perſpicuos cultu atque forma greges: hinc feminarum, & alia quæ res ſuas recognoſcens ſummi imperii fortuna protulerat. Quid hoc eſt (inquam) aliud, quam irritare cupiditates hominum per ſe incitatas? Quid ſibi vult iſta pecuniæ pompa? Ad diſcendam avaritiam convenimus. At mehercules minus cupiditatis iſthinc effero, quam attuleram. Contemſi divitias: non quia ſupervacuæ, ſed quia puſillæ ſunt. Vidiſtine, quam intra paucas horas ille ordo, quamvis lentus diſpoſituſque, tranſierit?... Hoc itaque ipſe mihi dico, quoties tale aliquid præſtrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus ſplendida; cohors culta ſervorum; lectica formoſis impoſita calonibus: quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum placent, tranſeunt. Ad veras (a) potius te converte divitias. Diſce parvo eſſe contentus. Et illam vocem magnus ac animoſus exclama: *habeamus aquam*; *habeamus polentam*; *Jovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.* Faciamus oro te, etiam ſi iſta defuerint. Turpe eſt beatam vitam in auro & argento reponere: æque turpe eſt, in aqua & polenta. Quid ergo faciam, ſi iſta non fuerint? Quæris, quod ſit remedium inopiæ? Famem fames finit. Alioqui quid intereſt, magna ſint an exigua, quæ ſervire te cogunt? Quid refert quantum ſit, quod tibi poſsit negа-

(a) *Tit. Paupertas.*

gare fortuna ? Hæc ipſa aqua & polenta in alienum cadit arbitrium. Liber (a) eſt autem, non in quem parum licet fortunæ; ſed in quem nihil. Ita eſt: nihil deſideres oportet, ſi vis Jovem provocare nihil deſiderantem. Hæc nobis Attalus dixit: natura omnibus dixit. Quæ ſi voles frequenter cogitare; id ages ut ſis felix, non ut videaris: & ut tibi videaris, non aliis. *Epiſt.* 110.

Si prudentes erimus, malitiam & (b) ærumnoſi animi veternum perſpiciemus: quamvis multus circa divitiarum radiantium ſplendor impendeat; & intuentem, hinc honorum, illhinc magnarum poteſtatum falſa lux verberet. Tunc intelligere nobis licebit, quam contemnenda miremur: ſi-
* millimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt. Parentibus quippe, nec minus fratribus præferunt parvo ære emta monilia. Quid ergo inter nos & illos intereſt (ut Ariſto. ait) niſi quod nos circa tabulas & ſtatuas inſanimus, carius inepti? Illos reperti in littore calculi leves, & aliquid habentes varietatis delectant: nos ingentium maculæ columnarum: ſive ex Ægyptiis † arenis, ſive ex Africæ ſolitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur (c) parietes tenui marmore indutos, quum ſciamus quale ſit quod abſconditur. Oculis noſtris imponimus. Et quum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? Scimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium iſtorum quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Inſpice, & diſces ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat. Hæc ipſa res, quæ tot magiſtratus, tot judices detinet; quæ magiſtratus & judices facit, pecunia; ex quo in honore eſſe cœpit, verus honor rerum cecidit: mercatoreſque & venales invicem facti, quærimus non quale ſit quidque, ſed quanti. Ad mercedem pii ſumus; ad miſericordiam impii. Honeſta, quandiu aliqua illis ſpes ineſt, ſequimur: in contrarium tranſituri, ſi plus ſcelera promitterent. Admirationem nobis parentes auri argentique fe-

(a) *Tit. Libertas.* (b) *Tit. Felicitas falſa.* † *Al.* Etemis. (c) *Tit. Felicitas falſa.*

fecerunt: & teneris infusa cupiditas altius sedit, crevitque nobiscum. Deinde totus populus in alia discors, in hoc convenit: hoc suspiciunt: hoc suis optant: hoc diis velut rerum humanarum maximum, quum grati videri volunt, consecrant. Denique eo mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroque sit, contemta divitibus, invisa pauperibus. Accedunt deinde carmina Poëtarum quæ affectibus nostris facem subdant, quibus divitiæ velut unicum vitæ decus ornamentumque laudantur. Nihil illis melius nec dare videntur dii immortales posse, nec habere.

Regia solis erat, sublimibus alta columnis,
Clara micante auro.

Ejusdem currum aspice.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Denique quod optimum videri volunt sæculum, aureum appellant. Nec apud Tragicos desunt qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutant.

Sine me vocari pessimum, simul ut dives vocer.
An dives sit, omnes quærimus: nemo an bonus.
Non quare, & unde: quid habeas tantum rogant.
Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, quis dum moritur, lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum:
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis: non sacer meritis parens.

. . . . . .

Quum hi novissimi versus in Tragœdia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad ejiciendum & actorem & carmen consurrexit uno impetu: donec Euripides in medium ipse prosiluit, petens ut exspectarent viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula pœnas Bellorophontes, quas in sua quisque dat. Nulla enim avaritia sine pœna est, quamvis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lacrimarum! o quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera partis est! Adjice quotidia-

dianas ſollicitudines, quæ pro modo habendi quemque diſcruciant. Majore tormento pecunia poſsidetur, quam quæritur. Quantum damnis ingemiſcunt, quæ & magna incidunt, & majora videntur. Denique ut nihil illis fortuna detrahat; quicquid non acquiritur, damnum eſt. At felicem illum homines & divitem vocant: & conſequi optant quantum ille poſsidet. Fateor. Quid ergo? Tu ullos eſſe conditionis pejoris exiſtimas, quam qui habent & miſeriam & invidiam? Utinam qui divitias appetituri eſſent, cum divitibus deliberarent! Utinam honores petituri, cum ambitioſis & ſummum adeptis dignitatis ſtatum! Profecto vota mutaſſent: quum interim illi nova ſuſcipiunt, qui priora damnaverant. Nemo enim eſt, cui felicitas ſua, etiam ſi curſu venit, ſatisfaciat. Queruntur & de conſiliis, & de proceſsibus ſuis: maluntque ſemper, quæ reliquerunt. Itaque hoc tibi philoſophia præſtabit, quo equidem nihil majus exiſtimo. Nunquam te pœnitebit tui. Ad hanc tam ſolidam felicitatem, quam tempeſtas nulla concutiat, non perducent te apte verba contexta, & oratio fluens leniter. Eant ut volent, dum animo compoſitio ſua conſtet; dum ſit magnus, & opinionum ſecurus; & ob ipſa quæ aliis diſplicent, ſibi placens: qui profectum (a) ſuum vita æſtimet: & tantum ſcire ſe judicet, quantum non cupit; quantum non timet. *Epiſt.* 115.

Hoc eſt, mi Lucili, egregium: hoc ſecurum ac liberum: nihil petere, & tota fortunæ comitia tranſire. Quam putas eſſe jucundum, tribubus vocatis, quum candidati † in templis ſuis pendeant, & alius nummos pronuntiet; alius per ſequeſtrum agat; alius eorum manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt; & omnes attoniti, vocem præconis exſpectent: ſtare otioſum, & ſpectare illas nundinas, nec ementem quicquam nec vendentem? Quanto hic majore gaudio fruitur, qui non prætoria aut conſularia comitia ſecurus intuetur; ſed magna illa, in quibus alii honores anniverſarios petunt, alii perpetuas poteſtates, alii bellorum eventus proſperos triumphoſque, alii divitias, alii matrimonia atque

(a) *Tit. Scientiæ.* † *Al.* Latenti ſuis pendeant.

que liberos, alii ſalutem ſuam ſuorumque? Quanti animi res eſt, ſolum nihil petere, nulli ſupplicare, & dicere: nihil mihi tecum fortuna; non facio mei tibi copiam? Scio apud te Catones repelli; Vatinios fieri. Nihil rogo. Hoc eſt privatam facere fortunam. Libet ergo hæc invicem ſcribere, & hanc integram ſemper egerere materiam, circumſpicientibus tot millia hominum inquieta: qui ut aliquid peſtiferi per mala conſequantur, nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda. Cui enim aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? Non eſt, ut exiſtimant homines, avida felicitas, ſed puſilla. Itaque neminem ſatiat. Tu iſta credis excelſa, quia longe ab illis jaces. Ei vero qui ad illa pervenit, humilia ſunt. Mentior, niſi adhuc quærit aſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas, gradus eſt. Omnes autem male habet ignorantia veri. Tanquam ad bona feruntur, decepti rumoribus. Deinde: mala eſſe aut inania, aut minora quam ſperaverint, adepti ac multa paſsi vident. Majorque pars miratur ex intervallo fallentia: & vulgo magna pro bonis ſunt. *Epiſt.* 118.

Ego nihil magis ſuaſerim, quam ſumere ingentem animum: & hæc propter quæ litigamus, diſcurrimus, anhelamus; videre quam humilia & abjecta ſint: nulli qui altum quiddam aut magnificum cogitat reſpicienda. Circa (a) pecuniam plurimum vociferationis eſt. Hæc fora defatigat: patres liberoſque committit: venena miſcet: gladios tam percuſſoribus quam legionibus tradit. Hæc eſt ſanguine noſtro delibuta. Propter hanc vxorum maritorumque noctes ſtrepunt litibus: & tribunalia magiſtratuum premit turba. Reges ſæviunt, rapiunt, & civitates longo ſæculorum labore conſtructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium ſcrutentur. *Lib.* 3. *de Ira*, *cap.* 32.

Si totam mihi ex omnibus metallis, quæ quum maxime depromimus, pecuniam proferas: ſi in medium projicias quicquid theſauri tegunt... omnem iſtam congeriem dignam non putem, quæ frontem viri boni contrahat. Quanto riſu proſequenda ſunt, quæ nobis lacrimas educunt. *Ibid. cap* 33.

Cre-

(a) *Tit. Divitiæ.*

Crede mihi : levia ſunt ; propter quæ non leviter excandeſcimus, qualia quæ pueros in rixam & jurgium concitant. Nihil ex his quæ tam triſtes agimus , ſerium eſt: nihil magnum. Inde , inquam , vobis ira & inſania eſt, *quod exigua magno æſtimatis. *Ibid. cap.* 34.

Iter anguſtum rixas tranſeuntium concitat : diffuſa & late patens via , ne populos quidem collidit. Iſta quæ appetitis , quia exigua ſunt , nec poſſunt ad alterum , niſi alteri erepta , transferri : eadem affectantibus pugnam & jurgia excitant. *Eod. lib. cap.* 35.

Optaverunt tibi alia parentes tui : ſed ego tibi contra, omnium tibi eorum contemtum opto , quorum illi copiam. *Epiſt.* 32.

Qui omne bonum honeſto circumſcripſit , intra ſe felix eſt. Nam (a) qui alia bona judicat , in fortunæ venit poteſtatem, alienique arbitrii fit. Hic amiſsis liberis mœſtus, ſollicitus ægris ; hic turpibus & aliquam paſsis infamiam triſtis. Illum videbis alienæ uxoris amore cruciari ; illum ſuæ. Non deerit quem repulſa diſtorqueat : erunt quos honor ipſe vexet. Illa vero maxima ex omni mortalium populo turba miſerorum , quam exſpectatio mortis exagitat, *undique impendens. Nihil enim eſt, unde non ſubeat. Itaque ut in hoſtili regione verſantibus , huc & illhuc circumſpiciendum eſt , & ad omnem ſtrepitum circumagenda cervix. Niſi hic timor e pectore ejectus eſt , palpitantibus præcordiis vivitur. Occurrent acti in exſilium , & evoluti bonis ... occurrent naufragi , ſimiliave naufragis paſsi.... Omnium animos mala aliena ac repentina ſollicitant. *Quemadmodum aves etiam inanis fundæ ſonus territat: ita nos non ad ictum tantum exagitamur , ſed ad crepitum. Non poteſt ergo quiſquam beatus eſſe , qui huic ſe opinioni credidit. Non enim beatum eſt , niſi quod intrepidum. Inter ſuſpecta male vivitur. Quiſquis ſé multum fortuitis dedit , ingentem ſibi materiam perturbationis & inexplicabilem fecit. Una hæc via eſt ad tuta vadenti : & externa deſpicere , & honeſto contentum eſſe. *Epiſt.* 74.

Ni-

(a) *Tit. Felicitas.*

Nihil magnum eſt in rebus humanis, niſi animus magna deſpiciens. *Ex Publ. Mim.*

Qui propter pecuniæ aut libidinis amorem moritur, oſtendit ſe nunquam ſui cauſa vixiſſe. *Ex eodem.*

Zelus ex virtute.

HEraclitus quoties prodierat, & tantum circa ſe male viventium, immo male pereuntium viderat; flebat, miſerabatur omnium, qui ſibi læti feliceſque occurrebant: miti animo, ſed nimis imbecillo: & ipſe inter deplorandos erat. Democritum contra ajunt, nunquam ſine riſu in publico fuiſſe. Adeo nihil illi videbatur ſerium eorum, quæ ſerio gerebantur. Ubi iſthic iræ locus eſt? Aut ridenda omnia, aut flenda ſunt. Non iraſcetur ſapiens peccantibus. Quare? Quia ſcit neminem naſci ſapientem, ſed fieri. Scit pauciſsimos omni ævo ſapientes evadere: quia conditionem humanæ vitæ perſpectam habet. Nemo autem naturæ ſanus iraſcitur. Quid enim ſi mirari velit, non in ſilveſtribus dumis poma pendere? Quid ſi miretur ſpineta ſenteſque non utili aliqua fruge compleri? Nemo iraſcitur, ubi vitium natura defendit. Placidus itaque ſapiens & æquus erroribus, non hoſtis, ſed correptor peccantium, hoc quotidie procedit animo. Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinoſi, multi ingrati, multi avari, multi furiis ambitionis agitati. Omnia iſta tam propitius aſpiciet, quam * ægros ſuos medicus. Numquid ille, cujus navigium multam undique laxatis compagibus aquam trahit, nautis ipſique navigio iraſcitur? Occurrit potius, & aliam excludit undam; deinde aliam egerit; manifeſta foramina præcludit; latentibus & ex occulto ſentinam ducentibus labore continuo reſiſtit: nec ideo intermittit, quia quantum exhauſtum eſt, ſubnaſcitur. Lento adjutorio opus eſt contra mala continua & fecunda: non ut deſinant, ſed ne vincant. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 10.

Dicetur aliquis male de te locutus. Cogita an prior feceris: cogita de quam multis loquaris. Cogitemus, inquam,

alios

alios non facere injuriam, ſed reponere.... Aut dulcedine urbanitatis prolapſus eſt: aut fecit aliquid, non ut nobis obeſſet; ſed quia conſequi ipſe non poterat, niſi nos repuliſſet. Sæpe adulatio, dum blanditur, offendit. Quiſquis ad ſe retulerit quoties ipſe in ſuſpicionem falſam inciderit; quam multis officiis ſuis fortuna ſpeciem injuriæ induerit; quam multos poſt odium amare cœperit; poterit non ſtatim iraſci: utique ſi ſibi tacitus ad ſingula quibus offenditur, dixerit: hæc & ipſe commiſi. Sed ubi tam æquum judicem invenies? Is qui nullius non uxorem concupiſcit, & ſatis juſtas cauſas putat amandi, quod aliena eſt; idem uxorem ſuam aſpici non vult: & fidei acerrimus exactor, eſt perfidus: & mendacia perſequitur, ipſe perjurus: & litem ſibi inferri ægerrime calumniator patitur.... Aliena (a) vitia in oculis habemus: a tergo noſtra ſunt. Inde eſt, quod tempeſtiva filii vitia, pater deterior filio caſtigat. Nihil alienæ luxuriæ ignoſcit, qui nihil ſuæ negavit: & homicidæ tyrannus iraſcitur: & punit furta ſacrilegus. Magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur, ſed peccantibus. Faciet nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuluerimus nos. Nunquid & ipſi aliquid tale commiſimus? Nunquid ſic erravimus? Expedit ne nobis iſta damnare? Maximum remedium (b) eſt iræ, mora. *Eod. lib. cap.* 28.

Amor proximi, contraque odium.

EGo tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama... Attalus philoſophus dicere ſolebat, jucundius eſſe amicum facere, quam habere: quo modo artifici jucundius eſt pingere, quam pinxiſſe. Illa in opere ſuo occupata ſollicitudo, ingens oblectamentum habet in ipſa occupatione. Non æque delectatur, qui ab opere perfecto removit manum. Jam fructu artis ſuæ fruitur: ipſa fruebatur arte quum pingeret. Fructuoſior eſt adoleſcentia liberorum; ſed infantia dulcior. *Epiſt. 9.*

In

(a) *Tit. Caſtigatio.* (b) *Tit. Ira.*

In commune vivitur. Nec poteſt (a) quiſquam beate degere, qui ſe tantum intuetur: qui omnia ad utilitates ſuas convertit. Alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere. *Epiſt.* 48.

Ecce altera quæſtio, quomodo hominibus ſit utendum. Quid agimus? quæ damus præcepta? ut parcatur ſanguini humano? † Quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus ut naufrago manum porrigat; errantī viam monſtret; cum eſuriente panem ſuum dividat? Quando omnia quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam: quum poſsim breviter hanc illi formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina ac humana concluſa ſunt, unum eſt. Membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa æquum juſtumque compoſuit. Ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi. Ex illius imperio paratæ ſunt juvantis manus. Iſte verſus & in pectore & in ore ſit:

Homo ſum: humani nihil a me alienum puto.

Coëamus: in commune nati ſumus. Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt: quæ caſura, niſi invicem obſtarent; hoc ipſo ſuſtinetur. *Epiſt.* 95.

Benevolus animus maxima eſt cognatio. *Ex Pub. Mim.*

Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. *Ex eodem.*

Amor inimicorum.

INimicos graves habeo. Quo modo adverſus feras munimenta conquiris, quo modo adverſus ſerpentes: ſic adverſus inimicos auxilia circumſpice, quibus illos aut arceas, aut compeſcas; aut quod optimum eſt, places. *In Excerptis.*

Gravior inimicus, qui latet ſub pectore. *Ex Pub. Mim.*

Injuriarum remedium eſt oblivio. *Ex eodem.*

Miſerrima eſt fortuna, quæ inimico caret. *Ex eodem.*

Pejora ſunt tecta odia, quam aperta. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Intentio.* † *Al.* Quam tutum.

Quam inimicum eſt, quia oderis lædere: quanto iniquius odiſſe, quia læſeris? *Ex eodem.*

Quam magnarum virium eſt, negligere lædentem? Qui enim vindicat, ſentit. *Ex eodem.*

Quamvis agas id, ut ne quis merito tuo te oderit: erunt tamen ſemper qui oderint. *Ex eodem.*

Ridiculum eſt, odio nocentis perdere innocentiam. *Ex eodem.*

Amicitia vera & falſa.

NEminem tam alte ſecunda poſuerunt, ut non illi eo magis amicus deſit, quia nihil abſit. *Lib. 6. de Benef. cap.* 29.

Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantumdem credis quantum tibi, vehementer erras: & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ.... Tu omnia cum amico delibera; ſed de ipſo prius. Poſt amicitiam, credendum eſt: ante amicitiam, judicandum. Iſti vero præpoſtere officia permiſcent: qui contra præcepta Theophraſti, quum amaverint, judicant; & non amant, quum judicaverint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit. Quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. Tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem ita vive, ut nihil committas, niſi quod committere etiam inimico tuo poſsis.... Fidelem ſi putaveris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: & aliis jus peccandi ſuſpicando fecerunt. *Epiſt.* 3.

Sapiens etiam ſi contentus eſt ſe; tamen habere amicum vult: ſi ob nihil aliud; ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus jaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat ... ut habeat qui ſibi ægro aſsideat; ſuccurrat in vincula conjecto vel inopi: ſed ut habeat aliquem cui ipſe ægro aſsideat; quem ipſe circumventum hoſtili cuſtodia liberet. Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit; male cogitat. Quemadmodum cœpit, ſic deſinet. Paravit amicum, adverſus vincula laturum opem: quum primum

mum crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Quæ causa utilitatis assumta est; tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet. Circa eversos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, ubi probantur. Ideo tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Necesse est initia inter se & exitus congruant. Qui amicus esse cœpit, quia expedit; placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si ullum in illa placeat pretium præter ipsam. In quid igitur amicum paro? Ut habeam pro quo mori possim: ut habeam quem in exsilium sequar: cujus me morti opponam, & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia; quæ ad commodum accedit: quæ, quid consecutura sit, spectat. *Epist. 9.*

Mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est: habui enim illos tanquam amissurus; amisi tanquam habeam. Fac ergo (mi Lucili) quod tuam æquitatem decet. Define beneficium naturæ male interpretari: abstulit, sed dedit.... Hæc tibi scribo, is qui Annæum Serenum carissimum mihi tam immodice flevi, ut (quod minime vellem) inter exempla sim eorum quos dolor vicit. Hodie tamen factum meum damno: & intelligo maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quod numquam cogitaveram, mori eum ante me posse. Hoc unum mihi occurrebat, minorem esse, & multo minorem: tanquam ordinem fata servarent.... Cogitemus ergo (Lucili carissime) cito nos eo perventuros, quo illum pervenisse mœremus. Et fortasse (a) (si modo sapientium vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periisse, præmissus est. *Epist. 63.*

Amicum perdidi. Alium quære: & ibi eum quæras, ubi invenire possis. Quære inter liberales artes; inter honesta & recta officia: quære in laboribus. Ad Mensam ista res non quæritur: quære aliquem frugi. Perdidi amicum. Fortem animum habe, si unum: erubesce, si unicum. Quid tu in tanta tempestate ad unam anchoram stabas? *In Excerptis.*

(a) *Tit. Anima.*

Nihil æque oblectaverit animum, quam amicitia fidelis. Quantum bonum eſt, ubi ſunt præparata pectora in quæ tuto ſecretum omne deſcendat; quorum conſcientiam minus quam tuam timeas; quorum ſermo ſollicitudinem leniat; ſententia conſilium expediat; hilaritas triſtitiam diſsipet; conſpectus ipſe delectet? Quos ſcilicet vacuos (quantum fieri poterit) a cupiditatibus eligamus. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. *Lib.* 1. *de Tranq. animi, cap.* 7.

Amicos res opimæ parant; adverſa probant. *Ex Pub. Mim.*

Conjunctio animi maxima eſt cognatio. *Ex eodem.*

Nulla puſilla domus, quæ multos recipit amicos. *Ex eodem.*

Succurre paupertati amicorum; immo potius occurre. *Ex eodem.*

Secrete amicos admone; lauda palam. *Ex eodem.*

Talem diligentiam exhibe in amicitiis comparandis, ne incipias amare, quem deinceps poſsis odiſſe. *Ex eodem.*

Turpius nihil eſt, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. *Ex eodem.*

Ita amicum habeas, ut poſſe fieri inimicum putes. *Ex eodem.*

Pax, Concordia.

SApiens numquam potentium iras provocabit, immo declinabit; non aliter quam in navigando procellam.... Circumſpiciendum nobis eſt *etiam* quo modo a vulgo tuti eſſe poſsimus. Primum nihil inde concupiſcamus, unde rixa eſt inter competitores. Deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poſsit. Quam minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum. Nemo ad humanum ſanguinem propter ipſum venit.... Nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt.... Non conturbabit ſapiens publicos mores: nec populum in ſe vitæ novitate convertet. Quid ergo? Utique erit tutus, qui hoc pro-

propoſitum ſequetur? Promittere tibi hoc non magis poſ- *
ſum, quam homini temperanti bonam valetudinem: & tamen facit temperantia bonam valetudinem. Perit aliqua navis in portu. Sed quid tu accidere in medio mari credis? Quanto huic periculum paratius foret, multa agenti molientique: cui ne otium quidem tutum eſt? Pereunt aliquando innocentes. Quis negat? Nocentes tamen ſæpius. *Epiſt.* 14.

Marcus Agrippa, vir ingentis animi (qui ſolus ex his quos civilia bella claros potenteſque fecerunt, felix in publicum fuit) dicere ſolebat, multum ſe huic debere ſententiæ. Nam concordia parvæ res creſcunt; diſcordia maximæ dilabuntur. Hac ſe ajebat & fratrem & amicum optimum factum. *Epiſt.* 94.

Auxilia humilia, firma conſenſus facit. *Ex Pub. Mim.*

Semper diſſenſio ab alio incipiat; a te reconciliatio. *Ex eodem.*

Bellum.

QUæ nos dementia exagitat, & in mutuum compellit exitium? Vela ventis damus, bellum paraturi: & periclitamur periculi cauſa. Incertam fortunam experimur: vim tempeſtatum nulla ope humana ſuperabilem: mortem ſine ſpe ſepulturæ. Non erat tanti, ſi ad pacem per iſta veheremur. Nunc autem quum evaſerimus tot ſcopulos latentes, & inſidias vadoſi maris: quum effugerimus procelloſos deſuper montes, in quos præceps navigantes ventus impingit: quum involutos nubilo dies, & nimbis ac tonitruis horrendas noctes: quum turbinibus divulſa navigia: quis erit hujus laboris ac metus fructus? Quis nos feſſos tot malis portus excipiet? Bellum ſcilicet, & obvius in littore hoſtis; & trucidandæ gentes, tracturæ magna ex parte victorem; & antiquarum urbium flamma. Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus ſcribimus directuros aciem in mediis fluctibus? Quid maria inquietamus? Parum videlicet ad mortes noſtras terra late patet. Nimis delica-

te fortuna nos tractat. Nimis dura dedit nobis corpora ; felicem valetudinem. Non depopulatur nos casus incurrens. Emetiri cuique annos suos ex commodo licet , & ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus : & vocemus in nos fata cessantia. Miseri quid quæritis ? Mortem , quæ ubique supersest ? Petet illa vos & ex lectulo : sed ubique innocentes petat. Occupabit vos in vestra domo : sed occupet nullum molientes malum. Hoc vero quid aliud quis dixerit , quam insaniam : circumferre pericula , & ruere in ignotos ; iratum sine injuria occurrentia devastantem ; ac ferarum more occidere quem non oderis ? Illis tamen in ultionem , aut ex fame morsus est : nos sine ulla parsimonia nostri alienique sanguinis , movemus maria , & navigia deducimus , salutem committimus fluctibus , secundos optamus ventos : quorum felicitas est , ad bella perferri. Quousque nos malos mala nostra rapuere ? Parum est intra orbem suum furere. Sic Persarum rex (a) stolidissimus in Græciam trajecit : quam exercitus non vincet , quum impleverit. Sic Alexander ulterior Bactris & Indis volet quærere quid sit ultra magnum mare : & indignabitur , aliquid esse ultimum sibi. Sic Parthis avaritia Crassum dabit.... Ergo non immerito quis dixerit , rerum naturam melius acturam fuisse nobiscum , si ventos flare vetuisset : & inhibito discursu furentium , in sua quemque terra stare jussisset. Si nihil aliud , certe suo quisque tantum ac suorum malo nasceretur. Nunc parum vi domestica , externis quoque laborandum est. Magna pars erat pacis humanæ , maria præcludi. Non tamen , ut paullo ante dicebam , queri possumus de auctore nostri Deo , si beneficia ejus corrumpimus ; & ut essent contraria efficimus. *Lib.* 5. *Nat. Quæst. cap.* 18.

Mi-

(a) *Xerxem intelligit.*

Miſericordia. Eleemoſina.

EST vitium puſilli animi *miſericordia* (a) ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis. Itaque peſsimo cuique familiariſsima eſt. Anus & mulierculæ ſunt, quæ lacrimis nocentiſsimorum moventur: quæ ſi liceret, carcerem effringerent. Miſericordia non cauſam, ſed fortunam ſpectat. Clementia rationi accedit. *Lib.* 2. *de Clem. cap.* 5.

Miſericordia vicina eſt miſeriæ: habet enim aliquid trahitque ex ea. Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur: tam mehercule, quam morbum eſſe, non hilaritatem; ſemper arridere ridentibus, & ad omnium oſcitationem ipſum quoque os diducere. *Ibid. cap.* 6.

Bona comparat præſidia miſericordia. *Ex Pub. Mim.*

Eleemoſina non tam accipientibus, quam dantibus prodeſt. *Ex eodem.*

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. *Ex eodem.*

Minus decipitur, cui negatur celeriter. *Ex eodem.*

Miſericordia non cauſam, ſed fortunam ſpectat. *Ex eod.*

Qui ſucurrere perituro poteſt, quum non ſuccurrit, occidit. *Ex eodem.*

Homo qui in homine calamitoſo eſt miſericors, meminit ſui. *Ex eodem.*

¶ *Vide multa hac de re, Tit.* Liberalitas.

Conſolatio mœſtorum.

VIrum bonum concedas neceſſe eſt, ſummæ pietatis erga Deos eſſe. Itaque (b) quidquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit. Sciet (c) enim id accidiſſe divina lege, qua univerſa procedunt. *Epiſt.* 76.

Levis dolor eſt, ſi nihil illi opinio adjecerit. Contra, ſi exhortari te cœperis ac dicere: nihil eſt, aut certe exiguum eſt; duremus; jam deſinet: leve illum, dum putas, fa-

(a) *Hoc dicit Stoicorum more.* (b) *Tit. Patientia.* (c) *Tit. Providentia.*

facies. Omnia ex opinione ſuſpenſa ſunt: non ambitio tantum ad illam reſpicit, & luxuria, & avaritia. Ad opinionem dolemus. Tam miſer eſt quiſquam, quam credit.... Etiam ſi ſunt vera iſta, tranſierunt. Quid juvat præteritos dolores retractare, & miſerum eſſe, quia fueris?.... Naturale eſt mali ſui fine gaudere. Circumcidenda ergo duo ſunt; & futuri timor, & veteris incommodi memoria. Hoc ad me jam non pertinet; illud nondum. In ipſis poſitus difficultatibus dicat:

——*Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.*

Toto contra illam pugnet animo: vincetur, ſi ceſſerit: vincet, ſi ſe contra dolorem ſuum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt: attrahunt in ſe ruinam, cui obſtandum eſt. Iſtud quod premit, quod impendet, quod urget; ſi ſubducere te cœperis, ſequetur & gravius incumbet: ſi contra ſteteris, & obniti volueris, repelletur.... Dolorem gravem ſentio. Quid ni ſentias? ſi illum muliebriter tuleris.

* Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus: ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti & averſo.... Illud quoque proderit, ad alias cogitationes avertere animum & a dolore diſcedere. Cogita quid honeſte, quid fortiter feceris. Bonas partes tecum ipſe tracta. Memoriam in ea quæ maxime miratus es, ſparge. Tunc tibi fortiſſimus quiſque & victor doloris occurrat.... Mortem deſinamus horrere. Deſinemus autem, ſi fines bonorum atque malorum cognoverimus. Ita demum nec vita tædio erit, nec mors timori. *Epiſt.* 78.

Supervacuum eſt dolere, ſi nihil dolendo proficias. Deinde iniquum eſt queri de eo quod uni accidit, & omnibus reſtat. Deinde deſiderii ſtulta conqueſtio eſt, ubi minimum intereſt inter amiſſum & deſiderantem. Eo itaque æquiore animo eſſe debemus, quod quos amiſimus, ſequimur. Reſpice celeritatem rapidiſsimi temporis. Cogita brevitatem hujus ſpatii, per quod citatiſsimi currimus. Obſerva hunc comitatum generis humani eodem tendentis, minimis intervallis diſtinctum, etiam ubi maxima videntur. Quem putas periiſſe, præmiſſus eſt. Quid autem dementius quam quum idem tibi iter emetiendum ſit, flere eum qui

an-

anteceſsit? Flet aliquis factum, quod non ignoravit futurum. At ſi mortem in homine non cogitavit, ſibi impoſuit. Flet aliquis factum, quod ajebat non poſſe non fieri. Quisquis aliquem queritur mortuum eſſe, queritur hominem fuiſſe. Omnes eadem conditio devinxit. Cui naſci contigit, mori reſtat. Intervallis diſtinguimur: exitu æquamur. Hoc quod inter primum diem & ultimum jacet, varium & incertum eſt. Si moleſtias æſtimas, etiam puero longum: ſi velocitatem, etiam ſeni anguſtum. Nihil non lubricum & fallax, & omni tempeſtate mobilius. *Epiſt. 99.*

Morieris. Iſta hominis natura eſt, non pœna. Morieris. Hac conditione intravi, ut exirem. Morieris. Gentium jus eſt, quod acceperis reddere. Morieris. Peregrinatio eſt vita. Quum multum deambulaveris, domum redeundum eſt. Morieris. Putabam te aliquid novi dicere. Ad hoc veni: hoc ago: huc me ſinguli dies adducunt. Naſcenti mihi natura protinus hunc poſuit terminum. Quid habeo quod indigner? In hæc verba juravi. Morieris. Stultum eſt timere, quod vitare non poſsis. Iſtud non effugit, etiam qui diſtulit. Morieris. Nec primus nec ultimus. Multi me anteceſſerunt; omnes ſequentur. Morieris. Hic eſt humani officii finis. Quis ſanus exauctorari moleſte tulit? Quo tranſit orbis, ego tranſibo. † Quid? Ego neſcio, me eſſe animal rationale mortale? Ad hanc conditionem cuncta gignuntur. Quod cœpit; & deſinit. Morieris. Quid grave eſt, quod ſemel? Æs alienum; non meum novi. Hoc equidem cum eo creditore contraxi, de quo queri non poſſum. *In Excerptis poſter.*

Juvenis morieris. Fortaſſe alicui malo ſubducit me fortuna: ſi nulli alii, certe vel ſenectuti. Juvenis morieris. Non refert quot annos habeam, ſed quot acceperim. Si plus vivere non poſſum, hæc eſt ſenectus mea. Inſepultus jacebis. Quid aliud reſpondeam, quam illud Maronis:

——*Facilis jactura ſepulcri?*

Si nihil ſentio; non pertinet ad me jactura corporis inſepulti. Si ſentio, omnis ſepultura tormentum eſt. Inſepultus jacebis. Cæ-

† *Quæ ſeq. varie in diverſis exempl. leguntur. Sed Granatenſis lectionem ceteris longe prætulerim.*

——*Cælo tegitur, qui non habet urnam.*

Quid intereſt, ignis me an fera conſumat, an † tempus ultima omnium ſepultura? Iſtud non ſentienti ſupervacuum eſt; ſentienti onus. Inſepultus jacebis. At tu combuſtus: at tu obrutus: at tu incluſus: at tu putridus: at tu eviſceratus & conſtrictus, aut traditus lapidi, qui te paullatim edat & exſiccet. Nulla eſt ſepultura: non ſepelimur, ſed projicimur. Non ſepelieris. Quid inter tutiſsima trepidas? Ultra pœnarum omnium terminum iſte locus eſt. Vitæ multa debemus: morti nihil. Non defunctorum cauſa, ſed vivorum, inventa eſt ſepultura; ut corpora & viſu & odore fœda amoverentur: alios terra obruit, alios flamma conſumſit, alios lapis † ad oſſa redacturus incluſit. Non defunctis, ſed noſtris oculis parcimus. *Ibidem.*

Oculos perdidi. Quam multis cupiditatibus via inciſa eſt? Quam multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem? Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcant: huic urbem & mala omnia. Certe irritamenta ſunt vitiorum, duceſque ſcelerum. *Ibidem.*

Amiſi liberos. Stultus es, qui defles caſus mortalium. Quid iſtud, aut novum aut mirum eſt? Quam rara eſt ſine iſto caſu domus? Quid ſi infelicem voces arborem, quod ſtante ipſa, cadunt poma? Et hic tuus fructus eſt. Nemo extra ictum vulneris poſitus eſt. Ducuntur ex plebeja domo immatura funera; ducuntur & ex regia. Non eſt idem ordo fati, qui & ætatis. Non quo modo quiſque venit, emittitur. Quid tamen eſt quo indigneris? Quid contra exſpectationem tuam evenit? Periere perituri. Sed ego illos ſuperſtites optabam. Verum hoc nemo tibi promiſerat. Perierunt liberi mei. Habebant illi, cujus eſſent magis quam tui: apud te precario morabantur. Educandos tibi fortuna mandaverat: recepit illos, non abſtulit. *Ibidem.*

Naufragium feci. Cogita non quid perdideris, ſed quod evaſeris. Nudus exii. Sed exiſti. Omnia perdidi. Sed perire potuiſti una cum omnibus. *Ibidem.*

Uxorem bonam amiſi. Verum inveneras bonam, an fece-

† *Al.* Tellus. † *Al.* Oſſa redditurus.

ceras? Si inveneras: habere adhuc te posse ex hoc intelligas licet, quod habuisti. Si feceras: bene spera. Res periit: salvus est artifex. Amisi uxorem bonam. Quid in illa probabas? Pudicitiam? Quam multæ diu custoditam perdidere?... Uxorem bonam amisi. Non erubescis flere, & intolerabilem vocare jacturam?.... Quum maritum te cogitaveris, cogita & virum. Amisi uxorem bonam. Soror bona non potest recuperari, nec mater. Uxor adventitium bonum est: non est inter illa quæ semel unicuique contingunt. Multos tibi numerare possum, quibus bonam uxorem lugentibus successit melior. Mors, exsilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed tributa vivendi. Neminem illæsum fata transmittunt. *Lib. de Remed. Fortuit. sive in Excerpt.*

Corpora nostra... caduca sunt. Quid enim immortale manus mortales fecerint? Septem illa miracula, & si qua illis mirabiliora sequentium annorum exstruxit ambitio; aliquando solo æquata visentur. Ita est. Nihil perpetuum: paucа diuturna sunt. Aliud alio modo fragile est: rerum exitus variantur. Ceterum quicquid cœpit; & desinit. Mundo quidam minantur interitum. Et hoc universum quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis disipabit. Et in confusionem veterem tenebrasque demerget. Eat nunc aliquis, & singulas complorет animas: Carthaginis ac Numantiæ Corinthique cinerem, & si quid aliud altius cecidit, lamentetur: quum etiam hoc, quod non habet quo cadat, sit interiturum. Eat aliquis, & fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non peperciſſe conqueratur. *Lib. de Consol. ad Polyb. cap.* 20.

Quis tam superbæ impotentisque arrogantiæ est, ut in hac naturæ necessitate omnia ad eundem finem revocantis, se unum ac suos seponi velit; ruinæque etiam ipsi mundo imminenti aliquam domum subtrahat? Maximum ergo solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri. Et ideo mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fecit, commune fecisse; ut crudelitatem fati consolaretur æqualitas. Illud quoque te non minimum adjuverit, si cogitaveris nihil profuturum dolorem tuum, nec illi quem desideras, nec tibi: nolles enim lon-

longum esse, quod irritum est. Nam si quicquam tristitia profecturi sumus, non recuso quicquid lacrimarum fortunæ meæ superfuit, tuæ affundere. *Ibid. cap.* 21.

Parcamus lacrimis nihil proficientibus. Facilius enim nos illis dolor iste adjiciet, quam illas a nobis reducet. Qui si nos torquet, non adjuvat. Primo quoque tempore deponendus est: & ab inanibus solatiis, atque amara quadam libidine dolendi animus recipiendus. Nam lacrimis nostris, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum (a) mortales circumspice. Larga ubique flendi, & assidua materia est. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat. Alium ambitio nunquam quieta sollicitat. Alius divitias quas optaverat, metuit; & voto laborat suo. Alium sollicitudo, alium labor torquet: alium semper vestibulum obsidens turba. Hic habere se dolet liberos; hic perdidisse. Lacrimæ nobis deerunt, antequam causæ dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit. Hoc principio edimur. Huic omnis sequentium annorum ordo consentit. Sic vitam agimus: ideoque moderate id fieri debet a nobis, quod sæpe faciendum est. Et respicientes quantum a tergo rerum tristium immineat; si non finire lacrimas, at certe reservare debemus. Nulli parcendum est rei magis quam huic, cujus tam frequens usus est. Illud quoque te non minimum adjuverit, si cogitaveris nulli minus gratum esse dolorem tuum, quam ei cui præstari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit. Nulla itaque ejus officii ratio est, quod ei cui præstatur, si nihil sentit, supervacuum est: si sentit, ingratum. Neminem toto orbe terrarum esse qui delectetur lacrimis tuis, audacter dixerim. *Eod. lib. cap.* 23.

Pietatem tuam tamen nihil æque a lacrimis tam inutilibus abducet, quam si cogitaveris fratribus te tuis exemplo esse debere, fortiter hanc fortunæ injuriam sustinendi.

* Quod duces magni faciunt rebus afflictis, ut hilaritatem de industria simulent, & adversas res adumbrata lætitia abscondant; ne militum animi (si fractam ducis sui mentem vi-

(a) *Tit. Vita.*

viderint) & ipſi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum eſt. Indue diſsimilem animo tuo vultum: & ſi potes, projice omnem ex toto dolorem: ſin minus, introrſus abde, & contine ne appareat. Et da operam ut fratres tui te imitentur: qui honeſtum putabunt quodcumque facientem viderint, animumque ex vultu tuo ſument. Et ſolatium debes eſſe illorum & conſolator. Non poteris autem horum mœrori obſtare, ſi tuo indulſeris. *Ibid. cap.* 24.

Poteſt & illa res a luctu te prohibere nimio, ſi tibi ipſe renuntiaveris, nihil horum quæ facis, poſſe ſubduci. Magnam tibi perſonam hominum conſenſus impoſuit: hæc tibi tuenda eſt. Circumſtat te omnis iſta conſolantium frequentia: & in animum tuum inquirit, ac perſpicit quantum roboris ille adverſus dolorem habeat: & utrum ne tu tantum rebus ſecundis dextere uti ſcias; an & adverſas poſsis viriliter ferre. Obſervantur oculi tui. Liberiora omnia ſunt iis, quorum affectus tegi poſſunt. Tibi nullum ſecretum liberum eſt. In multa luce fortuna te poſuit. Omnes ſcient quomodo te in iſto tuo geſſeris vulnere, utrum ne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in gradu ſteteris. Olim te in altiorem ordinem & amor Cæſaris extulit, & tua ſtudia deduxerunt. Nihil te plebejum decet, nihil humile. Quid autem tam humile ac muliebre eſt, quam conſumendum ſe dolori committere? Non idem tibi in luctu pari, quod tuis fratribus licet. Multa tibi non permittit opinio de ſtudiis ac moribus tuis recepta: multum a te homines exigunt, multum exſpectant. Si volebas tibi omnia licere, non convertiſſes in te ora omnium. Nunc autem tibi præſtandum eſt, quantum promiſiſti omnibus illis, qui opera ingenii tui laudant, qui deſcribunt: quibus, quum fortuna tua opus non ſit, ingenio opus eſt. Cuſtodes animi tui ſunt. Nihil unquam potes indignum facere perfecti & eruditi viri profeſsione, ut non multos admirationis de te ſuæ pœniteat. *Ead. Conſol. ad Polyb. cap.* 25.

Fruitur nunc *frater tuus* aperto & libero cælo: ex humili ac depreſſo in eum emicuit locum, quiſque ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu: & nunc illhic libere vagatur, omniaque rerum naturæ bona cum ſumma

ma voluptate perſpicit. Erras : non perdidit lucem frater tuus ; ſed ſecuriorem ſortitus eſt. Omnibus illhuc nobis commune eſt iter. Quid fata deflemus ? Non reliquit ille nos, ſed anteceſsit. *Ibid. cap.* 28.

Illud quoque † (*quia juſtitia in omnibus rebus eſt*) te adjuvet cogitantem, non injuriam tibi factam, quod talem fratrem amiſiſti: ſed beneficium datum, quod tam diu pietate ejus tibi uti fruique licuit. Iniquus eſt, qui muneris ſui arbitrium danti non reliquit. Avidus, qui non lucri loco habet quod accepit ; ſed damni quod reddidit. Ingratus eſt, qui injuriam vocat finem voluptatis. Stultus, qui nullum fructum eſſe putat bonorum, niſi præſentium : qui non & in præteritis acquieſcit, & ea judicat certiora quæ abierunt : quia de illis ne deſinant, non eſt timendum. Nimis anguſtat gaudia ſua, qui eis tantummodo quæ habet ac videt, frui ſe putat ; & habuiſſe eadem pro nihilo ducit : cito enim nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & tranſit, & pæne antequam veniat, aufertur. Itaque in præteritum tempus animus mittendus eſt : & quicquid nos unquam delectavit, reducendum ac frequenti cogitatione pertractandum eſt. Longior fideliorque eſt memoria voluptatum, quam præſentia. Quod habuiſti ergo optimum fratrem, in ſummis bonis pone. Non eſt quod cogites, quanto diutius habere potueris ; ſed quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi ſicut ceteris fratribus, non mancipio dedit ; ſed commodavit : quum viſum eſt deinde, repetiit: nec tuam in eo ſatietatem ſecuta eſt, ſed ſuam legem. Si
* quis pecuniam creditam ſolviſſe ſe moleſte ferat, eam præſertim cujus uſum gratuitum acceperit ; nonne injuſtus habebitur ? Dedit natura fratri tuo vitam ; dedit & tibi : quæ ſuo jure uſa, a quo voluit, debitum ſuum citius exegit. Non illa in culpa eſt, cujus nota erat conditio : ſed mortalis animi ſpes avida, quæ ſubinde quid rerum natura ſit oblivi ſcitur : nec unquam ſortis ſuæ meminit, niſi quum admonetur. Gaude itaque habuiſſe te tam bonum fratrem, & uſum fructum ejus : quamvis brevior voto tuo fuerit, bo-
ni

† *In aliis Exempl. hæc verba deſunt, ſolumque legitur* : Illud quoque neceſſe eſt te adjuvet, *cet.*

ni consule. Cogita jucundissimum esse, quod habuisti: humanum, quod perdidisti. Nec enim quicquam inter se minus consentaneum est, quam aliquem moveri, quod sibi talis frater parum diu contigerit: quod tamen contigerit, non gaudere. At inopinanti ereptus est. Sua quemque credulitas decipit: & in eis quæ diligit, voluntaria mortalitatis oblivio. Natura nulli se necessitatis suæ gratiam facturam esse testata est. Quotidie præter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera. Nos tamen aliud agimus: & subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas; sed mentis humanæ pravitas ... quæ indignatur inde se exire, quo admissa est precario. *Eod. lib. cap.* 29.

Quanto ille justior, qui nuntiata filii morte, dignam magno viro vocem emisit: ego quum genui, tum moriturum scivi. Prorsus non mireris ex hoc, natum esse qui fortiter mori posset. Non accepit tanquam novum nuntium, filii mortem. Quid est enim novi, hominem mori, cujus tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est? ... In procinctu ergo stet animus: & id quod necesse est, numquam timeat; quod incertum est, semper exspectet.... Utrum ne stultius sit nescio, mortalitatis legem ignorare; an impudentius, recusare.... Ab istis quæ te torquent, ad hæc tot & tanta quæ consolantur, convertere: ac respice optimos fratres, respice uxorem, filium respice. Pro omnium horum salute, hac tecum portione fortuna decidit. Multos habes in quibus acquiescas. *Ibid. cap.* 30.

Ab hac te infamia vindica: ne videatur omnibus plus apud te valere unus dolor, quam hæc tam multa solatia. Omnes istos una tecum perculsos vides.... Est autem hoc ipsum solatii loco, inter multos dolorem suum dividere: qui, quia dispensatur inter plura, exigua debet apud te parte subsidere. *Ead. Consol. cap.* 31.

Non te solum fortuna desumsit sibi, quem tam gravi afficeret injuria. Nulla domus in toto orbe terrarum aut est, aut fuit sine aliqua comploratione. Transibo exempla vulgaria: quæ etiam si minora, tamen mira sunt. Ad fastos te & annales perducam publicos. Vides omnes has

imagines quæ impleverunt Cæſareum atrium ? Nulla non harum aliquo ſuorum incommodo inſignis eſt. Nemo non ex iſtis in ornamentum ſæculorum refulgentibus viris, aut deſiderio ſuorum tortus eſt, aut a ſuis cum maximo animi cruciatu deſideratus eſt. Quid tibi referam Scipionem Africanum, cui mors fratris in exſilio nuntiata eſt ? Is frater qui eripuit fratrem carcere, non potuit eripere fato.... Quid referam Æmilianum Scipionem, qui uno pæne eodemque tempore ſpectavit patris triumphum, duorumque fratrum funera? Adoleſcentulus tamen ac propemodum puer, tanto animo tulit illam familiæ ſuæ ſuper ipſum Paulli triumphum concidentis ſubitam vaſtitatem ; quanto debuit ferre vir in hoc natus, ne urbi Romanæ aut Scipio deeſſet aut Carthago ſupereſſet. *Conſol. ad Polyb. cap.* 33.

Quid referam duorum Lucullorum diremtam morte concordiam ? Quid Pompejos ? quibus ne hoc quidem ſæviens reliquit fortuna, ut una denique conciderent ruina.... Innumerabilia undique exempla ſeparatorum morte fratrum ſuccurrunt : immo contra, vix ulla unquam horum paria conſpecta ſunt una ſeneſcentia.... Divus Auguſtus amiſit Octaviam ſororem cariſsimam : & ne ei quidem rerum natura lugendi neceſsitatem abſtulit, cui cælum deſtinaverat: immo vero idem omni genere orbitatis vexatus, ſororis filium ſucceſsioni præparatum ſuæ perdidit. Denique ne ſingulos ejus luctus enumerem; & generos ille amiſit & liberos & nepotes. Ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem eſſe ſe, dum inter homines erat, ſenſit. Tamen tot tantoſque luctus cepit rerum omnium † pacatiſsimum ejus pectus : victorque Divus Auguſtus non gentium tantummodo externarum, ſed etiam dolorum fuit. *Ibid. cap.* 34.

Fortuna impotens, quales ex humanis malis tibi ipſa ludos facis ? *Denique idem Seneca in Germanici cariſsimi fratris ſui funere*, ſic affectum (*inquit*) meum rexi, ut nec relinquerem quicquam, quod exigi deberet a bono fratre: nec facerem, quod reprehendi poſſet in principe. Hæc ergo puta tibi parentem publicum referre exempla : eundem oſtendere quam nihil ſacrum intactumque ſit fortunæ, quæ

ex

† *Al.* Capaciſsimum.

ex his penatibus auſa eſt funera ducere, ex quibus erat deos petitura. Hoc fuit in rebus humanis fortuna: hoc erit. Nihil inauſum ſibi reliquit: nihil intactum relinquet. Ibit violentior per omnia, ſicut ſemper eſt ſolita: eas quoque domos auſa injuriæ cauſa intrare, in quas per templa aditur; & atram laureatis foribus inducere veſtem. *Ibidem, cap.* 35.

Diſcat ab illo clementiam: ac a mitiſsimo omnium principe, mitis fieri. Debes itaque omnes intueri eos, quos paullo ante retuli, aut aſcitos cælo, aut proximos: & ferre æquo animo fortunam, ad te quoque porrigentem manus; quas ne ab eis quidem, per quos juramus, abſtinet. *Ibid. cap.* 36.

Apertas aures præbe ad nomen memoriamque filii tui. Nec hoc grave duxeris ceterorum more, qui in ejuſmodi caſibus partem mali putant, audire ſolatia. Nunc incubuiſti tota in alteram partem: & † oblita meliorem fortunam tuam; quæ deterior eſt, aſpicis. *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap.* 5.

Non permulceo te: nec extenuo calamitatem tuam. Si fletibus fata vincuntur; † confligamus. Eat omnis inter luctus dies: noctem ſine ſomno triſtitia conſumat: ingerantur lacerato pectori manus: & in ipſam faciem impetus fiat: atque ſeſe omni genere ſævitiæ, profecturus mœror exerceat. Sed ſi nullis planctibus defuncta revocantur; ſi ſors immota & in æternum fixa, nulla miſeria mutatur; & mors tenet quicquid abſtulit: deſinat dolor qui perit. Quare regamus nos, ne iſta vis tranſverſos auferat. Turpis eſt navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit; qui fluctuantia vela deſeruit; permiſit tempeſtati navem. At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem & obnixum. *Ibid. cap.* 6.

At enim naturale deſiderium ſuorum eſt. Quis negat, quamdiu modicum eſt? nam in diſceſſu, non ſolum amiſſione, cariſsimorum neceſſarius morſus eſt; & firmiſsimorum quoque animorum contractio. Sed plus eſt quod opinio adjicit, quam quod natura imperavit. Aſpice mutorum

† *Al.* Et oblita meliorum, fortunam tuam, qua deterior eſt, aſpicis. † *Omnes fere Codices habent*: Conferamus.

animalium quam concitata ſint deſideria : & tamen quam brevia. Vaccarum uno die alterove mugitus auditur. Nec diutius equarum vagus ille amenſque diſcurſus eſt. Feræ quum veſtigia catulorum conſectatæ ſunt , & ſilvas pervagatæ; quum ſæpe ad cubilia expilata redierint : rabiem intra exiguum tempus extingunt. Aves cum ſtridore magno inanes nidos circumfremunt : intra momentum tamen quietæ, volatus ſuos repetunt. Nec ulli animali longum fetus ſui deſiderium eſt , niſi homini , qui adeſt dolori ſuo : nec tantum quantum ſentit ; ſed quantum conſtituit , afficitur. Ut ſcias autem non eſſe hoc naturale , luctibus frangi : primum , magis feminas quam viros ; magis barbaros quam placidos eruditæque gentis homines ; magis indoctos quam doctos eadem orbitas vulnerat. Atqui ea quæ a natura vim acceperunt , eandem in omnibus ſervant. Apparet non eſſe naturale , quod varium eſt. Ignis omnes ætates , omnium urbium cives , tam viros quam feminas , uret. Ferrum in omni corpore exhibebit ſecandi potentiam. Quare ? quia vires illi a natura datæ ſunt.... Paupertatem , luctum , ambitionem alius aliter ſentit , pro ut illum conſuetudo infecit : & imbecillum impatientemque reddit præſumta opinio de non timendis terribilibus. *Eod. lib. cap.* 7.

Deinde quod naturale eſt , non decreſcit mora. Dolorem dies longa conſumit. Licet contumaciſsimum , quotidie inſurgentem , & contra remedia efferveſcentem : tamen illum , efficaciſsimum mitigandæ ferociæ tempus enervat.... Multum autem intereſt , utrum tibi permittas mœrere , an imperes. Quanto magis hoc morum tuorum elegantiæ convenit , finem luctus potius facere quam exſpectare ? nec illum opperiri diem , quo te invita dolor deſinat ? ipſa illi renuntia. *Ibid. cap.* 8.

Unde ergo tanta nobis pertinacia in deploratione noſtri , ſi id non fit naturæ juſſu ? Quod nihil nobis mali ante quam eveniat , proponimus : ſed ut immunes ipſi , & aliud & pacatius ingreſsi iter , alienis non admonemur caſibus, illos eſſe communes. Tot præter domum noſtram ducuntur exſequiæ : de morte non cogitamus. Tot acerba funera : nos togam noſtrorum infantium , nos militiam & pater-

ternæ hæreditatis ſucceſsionem animo agitamus. Tot divitum ſubita paupertas in oculos incidit: & nobis numquam in mentem venit, noſtras quoque opes æque in lubrico poſitas. Neceſſe eſt itaque magis corruamus, qui quaſi ex inopinato ferimur. Quæ multo ante prævisa ſunt, languidius incurrunt. Vis tu ſcire, te ad omnes expoſitam ictus ſtare; & illa quæ alios tela fixerunt, circa te vibraſſe? velut murum aliquem, aut obſeſſum multo hoſte locum & ar-* duum aſcenſu inermis adeas; exſpecta vulnus: & illa ſuperne volantia cum ſagittis piliſque ſaxa, puta in tuum vibrata corpus. Quoties aut ad latus, aut penes tergum ceciderint, exclama: non decipies me fortuna, nec ſecuram aut negligentem opprimes. Scio quid pares: alium quidem percuſsiſti, ſed me petiſti. Quis unquam res ſuas quaſi periturus aſpexit? Quis unquam noſtrum de exſilio, de egeſtate, de luctu cogitare auſus eſt? Quis non, ſi admoneatur ut cogitet, tanquam dirum omen reſpuat; & in capita inimicorum, aut ipſius intempeſtivi monitoris abire illa jubeat? Non putavi futurum. Quicquam tu putas non futurum, quod multis ſcis poſſe fieri, quod multis vides eveniſſe? Egregium verſum audi, & dignum qui non eſſet Publii Syri.

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Ille amiſit liberos: & tu amittere potes. Ille damnatus eſt: & tua innocentia ſub ictu eſt.... Aufert vim præſentibus malis, qui futura proſpexit. *Ibid. cap. 9.*

Quicquid eſt hoc, Marcia, quod circa nos ex adventitio fulget; liberi, honores, opes, ampla atria, & excluſorum clientium turbâ referta veſtibula, clara nobilis aut formoſa conjux, ceteraque ex incerta & mobili ſorte pendentia; alieni commodatique apparatus ſunt. Nihil horum dono datur: collatitiis, & ad dominos redituris in-* ſtrumentis ſcæna adornatur. Alia ex his primo die, alia ſecundo referentur: pauca uſque ad finem perſeverabunt. Ita non eſt quod nos ſuſpiciamus, tanquam inter noſtra poſiti: mutuo accepimus. Uſusfructus noſter eſt, cujus tempus ille arbiter muneris ſui temperat. Nos oportet in promtu habere, quæ in incertum diem data ſunt: & appel-

latos, ſine querela reddere. Peſsimi eſt debitoris, creditori facere convicium. Omnes ergo noſtros, & quos ſuperſtites lege naſcendi optamus; & quos præcedere juſtiſsimum ipſorum votum eſt, ſic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate; immo nihil de diuturnitate eorum promiſſum ſit. Sæpe admonendus eſt animus, amet ut receſſura; immo tanquam recedentia. Quicquid a fortuna datum eſt, tanquam extemplo abiturum poſsideat. *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap.* 10.

Dolor tuus, o Marcia, ſi modo illi ulla ratio eſt, utrum ſua ſpectat incommoda, an ejus qui deceſsit? Utrum ne amiſſo filio movet, quod nullas ex illo voluptates cepiſti; an quod majores, ſi diu vixiſſet, percipere potuiſti? Si nullas te percepiſſe dixeris, tolerabilius efficies † tormentum tuum. Minus enim homines deſiderant ea, ex quibus nihil gaudii lætitiæque perceperunt. Si confeſſa fueris percepiſſe magnas voluptates, oportet te non de eo quod detractum eſt queri; ſed de eo gratias agere quod cepiſti. Provenerunt enim ſatis magni fructus laborum tuorum ex ipſa educatione. Niſi forte hi qui catulos aveſque, & frivola animorum oblectamenta, ſumma diligentia nutriunt, fruuntur aliqua voluptate ex viſu tactuque, & blanda adulatione mutorum: liberos nutrientibus, † non ipſa fructus educatione acquiritur. Licet itaque tibi nihil induſtria ejus contulerit, nihil diligentia cuſtodierit, nihil prudentia quæſierit: ipſum quod habuiſti, quod amaſti, fructus eſt. At potuit longior eſſe majorque. Melius tamen tecum actum eſt, quam ſi omnino non contigiſſet. Quoniam ſi ponatur electio, utrum ſatius ſit non diu felicem eſſe, an nunquam: melius eſt diſceſſura nobis bona, quam nulla contingere.... Circumſpice, inquam, omnes: nullam tam miſeram nominabis domum, quæ non inveniat in miſeriore ſolatium. *Ibid. cap.* 12.

Quid vero nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, & quæram miſeros? quaſi non diffi-

† *Al.* Detrimentum tuum. † *Exemplaria quædam legunt*: Liberos nutrientibus non fructus educat ipſa educatio. *Alia vero*: Non fructus educationis ipſa educatio eſt.

ficilius ſit, invenire felices. Quota quæque domus uſque ad exitum omnibus partibus ſuis conſtitit, in qua non aliquid turbatum ſit? *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap.* 14.

Hæc quidem natura mortalium eſt, ut nihil magis placeat, quam quod amiſſum eſt. Iniquiores ſumus adverſus relicta, ereptorum deſiderio. Sed ſi æſtimare volueris, quam tibi valde fortuna, etiam quum ſævierit, pepercerit; ſcies te habere plus quam ſolatia. *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap.* 16.

Quereris (Marcia) non tam diu vixiſſe filium tuum, quam potuiſſet. Unde enim ſcis, an diutius illi expedierit? an illi hac morte conſultum ſit? Quem invenire hodie potes, cujus res tam bene poſitæ ſint & fundatæ, ut nihil illi procedente tempore timendum ſit? Labuntur humana ac fluunt. Nulla pars vitæ noſtræ tam obnoxia aut tenera eſt, quam quæ maxime placet. Ideoque feliciſsimis optanda mors eſt: quia in tanta inconſtantia turbaque rerum, nihil niſi quod præteriit, certum eſt. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filii tui corpus, & ſumma pudoris cuſtodia inter luxurioſæ urbis oculos conſervatum, potuiſſe ita morbos evadere; ut ad ſenectutem, formæ illæſum perferret decus? *Ibid. cap.* 21.

Cogita animi mille labes. Neque enim recta ingenia, qualem in adoleſcentia ſpem ſui fecerant, uſque in ſenectutem pertulerunt: ſed interverſa plerumque ſunt. Aut ſera, eoque fœdior luxuria invaſit, & coëgit dehoneſtare ſpecioſa principia: aut in popinam ventremque projectis, ſumma illis curarum fuit, quid eſſent, quid biberent. Adjice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, oſſa vivis legentium, & totas in viſcera manus demittentium, & non ſimplici dolore pudenda curantium. † Poſt hæc exſilium. Non fuit innocentior filius tuus quam Rutilius, quam Coruncanus: non fuit ſapientior quam So-

† *Fern. Pincianus ſequentia verba* falſo ſcripta, pejus diſpuncta, præpoſtere locata *ratus, ſic reſtituit ex vetere lectione*: Poſt hæc, exſilium: non fuit innocentior filius tuus. Carcerem: non fuit ſapientior quam Socrates. Voluntario vulnere transfixum pectus: non fuit ſanctior quam Cato. Quum iſta, *cet. Ego verbis filius tuus adderem*, quam Rutilius.

crates: non fuit ſanctior quam Cato, qui voluntario vulnere transfixit pectus. Quum iſta perſpexeris, ſcies, optime cum his agi, quos natura (quia illos hoc manebat vitæ ſtipendium) cito in tutum recepit. *Ead. Conſol. cap.* 22.

Parens tuus (Marcia) illhic nepotem ſuum (quamquam illhic omnibus omne cognatum eſt) applicat ſibi, nova luce gaudentem, & vicinorum ſiderum meatus docet: nec ex conjecturis, ſed omnium ex vero peritus in arcana naturæ libens ducitur. Utque ignotarum urbium monſtrator hoſpiti gratus eſt: ita ſciſcitanti cæleſtium cauſas domeſticus interpres. Et in profunda terrarum promittit aciem. Juvat enim ex alto relicta reſpicere. Sic itaque (Marcia) te gere, tanquam ſub oculis patris filiique poſita: non illorum quos noveras; ſed tanto excellentiorum, & in ſummo locatorum. Erubeſce quicquam humile aut vulgare, & mutatos in melius tuos flere, in æterna rerum per vaſta & libera ſpatia dimiſſos. Non illos interfuſa maria diſcludunt, nec altitudo montium, aut imæ valles, aut incerta vada Syrtium. Tramites plani & ex facili mobiles, & expediti, & invicem pervii ſunt, intermixtique ſideribus. *Conſol. ad Marciam, cap.* 25.

Puta itaque ex illa arce cæleſti patrem tuum, Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, quantum tibi apud filium tuum.... dicere: cur te filia tam longa tenet ægritudo? Cur in tanta veri ignorantia verſaris, ut inique actum judices cum filio tuo, † quod viva te, domo ſtante, ſe ipſe ad majores recepit ſuos? Neſcis quantis fortuna procellis diſturbet omnia? Quam nullis benignam facile ſe præſtiterit; niſi qui minimum cum illa contraxerant? .... Reſpice patrem atque avum tuum. Ille in alieni percuſſoris venit arbitrium. Ego nihil in me cuiquam permiſi: & cibo prohibitus oſtendi, quam magno, quæ juvabat, animo ſcripſiſſem. Cur in domo noſtra diutiſsime lugetur, qui feliciſsime moritur? Coïmus (a) in unum omnes: videmuſque non alta nocte circumdati, nihil apud vos (ut putatis) optabile, nihil excelſum, nihil ſplendidum: ſed humilia cuncta, & gravia, & anxia, & quotam

† *Sic etiam Pincianus. Alii aliter legunt.* (a) *Tit. Paradiſus.*

tam partem luminis noſtri cernentia. Quid dicam? nulla hic arma mutuis furere concurſibus; nec claſſes claſsibus frangi; nec parricidia aut fingi aut cogitari; nec fora litibus ſtrepere dies perpetuos.... *Hinc* omnis ævi proſpectum.... tot ſæcula, tot ætatum contextam ſeriem; quicquid annorum eſt, licet viſere. Licet ſurrectura; licet ruitura regna proſpicere, & magnarum urbium lapſus, & maris novos curſus. Nam ſi poteſt tibi ſolatio eſſe deſiderii tui commune fatum; nihil quo ſtat loco, ſtabit. Omnia ſternet abducetque ſecum vetuſtas. Nec hominibus ſolum (quota enim iſta fortuitæ potentiæ portio eſt?) ſed locis, ſed regionibus, ſed mundi partibus ludet: tot ſupprimet montes; & alibi rupes in altum novas exprimet: maria ſorbebit: flumina avertet: & commercio gentium rupto, ſocietatem generis humani cœtuſque diſſolvet. Alibi hiatibus vaſtis ſubducet urbes, tremoribus quatiet, & ex infimo peſtilentes halitus mittet, & inundationibus quicquid habitatur obducet. Necabitque omne animal orbe ſubmerſo: & ignibus vaſtis torrebit incendetque mortalia. Et quum (a) tempus advenerit, quo ſe mundus renovaturus extinguat; viribus iſta ſe ſuis cædent: & ſidera ſideribus incurrent: & omni flagrante materia; uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.... Felicem filium tuum, Marcia, qui iſta jam novit. *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap.* 26.

Dolori tuo... ſciebam occurrendum non eſſe, ne illum ipſa ſolatia irritarent & accenderent. Nam in morbis quoque nihil eſt magis periculoſum nec pernicioſum, quam immatura medicina. Exſpectabam itaque dum vires ſuas frangeret; & ad ſuſtinenda remedia morâ mitigatus, tangi ſe ac tractari pateretur. *Lib. de Conſol. ad Helviam, cap.* 1.

Tirones leviter ſaucii, tamen vociferantur; & manus medicorum magis quam ferrum horrent. At veterani, quamvis confoſsi, patienter ac ſine gemitu, velut aliena corpora exſecari patiuntur. Ita tu nunc debes te fortiter præbere curationi. Lamentationes quidem & ejulatus, & alia per

(a) *Sentit mundum incendio abſumendum: quod fides prædicat.*

quæ fere muliebris dolor tumultuatur, amove. Perdidisti enim tot mala, si nondum misera esse didicisti. *Lib. de Consol. ad Helviam, cap.* 3.

Dolor decrescit, ubi quo crescat non habet. *Ex Pub. Mim.*

Admonitio, sive Castigatio.

QUid ergo? non aliquando castigatio necessaria est? Quid ni? Sed hæc sincera, cum ratione. Non enim
* nocet, sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quædam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus; & adactis cuneis, non ut frangamus sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio prava, dolore corporis animique
* corrigimus. Nempe medicus primo in levibus vitiis tentat non multum ex quotidiana consuetudine inflectere; & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere; ac valetudinem tantum mutata vitæ dispositione firmare. Proximum est, ut modus proficiat. Si modus & ordo non proficit: subducit aliqua & circumcidit. Si ne adhuc quidem respondet: interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. Si frustra molliora cesserunt: ferit venam, membrisque (si adhærentia nocent, & morbum diffundunt) manus affert. Nec ulla dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est. Ita (a) legum præsidem, civitatisque rectorem decet (quamdiu potest) verbis, & his mollioribus, ingenia curare: ut facienda suadeat; cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis; faciatque vitiorum odium, pretium virtutis. Transeat deinde † ad tristiorem curationem: qua moneat adhuc & exprobret. Novissime ad pœnas: & has adhuc leves, & revocabiles decurrat. Ultima supplicia sceleribus ultimis ponat: ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis interfit. *Lib.* 1. *de Ira, cap.* 5.

Hoc uno medentibus erit dissimilis, quod illi quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præstant: hic † damnato cum dedecore & traductione vitam exigit: non

---

(a) *Tit. Judex.* † *Al.* Ad strictiorem orationem. † *Al.* Damnatum cum dedecore, & traductione, vitâ exigit.

non quia delectetur ullius pœna (procul est enim a sapiente tam inhumana feritas) sed ut documentum omnium sit: & qui vivi noluerunt prodesse, morte certe eorum Respublica utatur. *Ibidem*, *cap.* 6.

Corrigendus est qui peccat, & admonitione, & vi; & molliter, & aspere: meliorque tam sibi quam aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim cui medetur, irascitur? *Ibidem*, *cap.* 14.

At corrigi nequeunt, nihilque in illis spei bonæ capax est. Tollantur e cœtu mortalium... & quo uno modo possunt, desinant esse mali: sed hoc sine odio. Quid enim est cur oderim eum, cui tum maxime prosum, quum illum sibi eripio? Num quis membra sua odit, tunc quum abscindit? Non est illa ira; sed misera curatio.... Nil minus quam irasci punientem decet: quum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si judicio lata est. Inde est, quod Socrates servo ait: cæderem te, nisi irascerer. Admonitionem servi in tempus sanius distulit: illo tempore se admonuit. Cujus erit temperatus affectus, quum Socrates non sit ausus se iræ committere? Ergo ad coërcitionem errantium sceleratorumque, irato castigatore non opus est. Nam quum ira delictum animi sit; non oportet peccata corrigere peccantem. *Ibidem*, *cap.* 15.

Incipit *ira* magno impetu; deinde desinit ante tempus fatigata: & quæ nihil aliud quam crudelitatem, ac nova genera pœnarum versaverat; quum animadvertendum est, jam fracta lenisque est. Affectus (a) cito cadit: æqualis est ratio. Ceterum (b) etiam ubi perseveraverit ira, nonnunquam si plures sunt qui perire meruerunt, post duorum triumve sanguinem, occidere desinit. Primi ejus ictus acres sunt. Sicut serpentum venena a cubili repentium, nocent: innoxii dentes sunt, quum illos frequens morsus exhausit. Ergo non paria patiuntur, qui paria commiserant: & sæpe qui minus commisit, plus patitur; quia recentiori iræ objectus est, & in totum inæqualis est: modo ultra quam oportet, excurrit: modo † citius debito resistit.... Ratio id judicari vult, quod æquum est: ira id æquum videri vult, quod ju-

(a) *Tit. Affectus brevis.* (b) *Tit. Ira.* † *Al.* Citerius.

judicavit. Ratio nihil præter ipſum, de quo agitur, ſpectat: ira vanis & extra cauſam obverſantibus commovetur... Sæpe infeſta patrono, reum damnat: etiam ſi ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem. Coargui non vult: & in male cœptis, honeſtior illi pertinacia videtur, quam pœnitentia. *Lib.* 1. *de Ira, cap.* 16.

Nec unquam committet virtus, ut vitia dum compeſcit, imitetur ipſa. Iram caſtigandam habet, quæ nihilo melior eſt; ſæpe etiam pejor his delictis, quibus iraſcitur. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 6.

Sapiens multa remittet: multos parum ſani, ſed ſanabilis ingenii ſervabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas proceraſque arbores colunt: ſed illis quoque, quas aliqua depravavit cauſa, adminicula quibus regantur applicant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant. Quaſdam infirmas vitio loci, nutriunt. Quibuſdam aliena umbra laborantibus, cælum aperiunt. Videbit † quod ingenium qua ratione tractandum ſit: quo modo in rectum prava flectantur. *Lib.* 2. *de Clem. cap. ult.*

Scias licet ea demum fulmina eſſe juſtiſsima, quæ etiam percuſsi colunt. *Lib. de Conſol. ad Polyb. cap.* 32.

Amici vitia ſi feras, facis tua. *Ex Pub. Mim.*

Crudelis in re adverſa eſt objurgatio. *Ex eodem.*

Damnare eſt, objurgare quum auxilio eſt opus. *Ex eod.*

Nunquam ſcelus ſcelere vindicandum eſt. *Ex eodem.*

Objurgationi ſemper aliquid blandi admiſce. *Ex eodem.*

Omni rei moderatio eſt adhibenda, quæ ſanabilia ingenia diſtinguere a deploratis ſciat. *Ex eodem.*

Perturpe eſt, quod objicitur, in objiciente cognoſci. *Ex eodem.*

Res optima eſt, non ſceleratos extirpare, ſed ſcelera. *Ex eodem.*

Severiſsime nos adverſum peccantes gerimus: & ipſi eadem committimus. *Ex eodem.*

Vide: ſi adhuc malus es, ſimilibus parce. Verum ſi eſſe deſiiſti: quare aliis locum emendationis abſcindas? *Ex eodem.*

In-

† *Hanc lectionem, cum Pinciano & Granatenſi, ceteris prætulimus.*

Invidia.

OMnibus his vehementius, & importunius malum eſt invidia: quæ nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi præſtitit: ſed illi plus, ſed illi maturius. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 27.

Invidiam ferre, aut fortis aut felix poteſt. *Ex Pub. Mim.*

Invidia tacite, ſed minute iraſcitur. *Ex eodem.*

Invidia loquitur, non quod eſt, ſed quod ſubeſt. *Ex eodem.*

Imbecilles oculos eſſe, qui ad alienam lippitudinem ſuffunduntur. *Ex eodem.*

Si nullos inimicos tibi parit injuria; multos tamen invidia. *Ex eodem.*

Si non invideas, major eris: nam qui invidet, minor eſt. *Ex eodem.*

Iners otium: contraque, moderata vel immoderata occupatio.

EX conſuetudine mea, (a) *quum iter facerem*, circumſpicere cœpi an aliquid illhic invenirem, quod mihi bono poſſet eſſe: & direxi oculos in villam, quæ aliquando fuit Vatiæ. In hac ille prætorius dives, nulla alia re quam otio notus, conſenuit: & ob hoc unum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia Aſinii Galli; quoties Sejani odium, deinde amor merſerat (æque enim offendiſſe illum, atque amaſſe periculoſum fuit) exclamabant homines: O Vatia! ſolus ſcis vivere. At ille latere ſciebat; non vivere. Multum autem intereſt, utrum vita tua otioſa ſit, an ignava. Numquam aliter hanc villam Vatia vivo præteribam, quam ut dicerem: Vatia hic ſitus eſt. *Epiſt.* 55.

Otium ſine litteris mors eſt, & hominis vivi ſepultura. *Epiſt.* 82.

Sunt

(a) *Philoſophandum ubique.*

Sunt qui otium pati non poſſunt : nam ſi quando illos deſerunt occupationes, in otio relicti æſtuant : nec quo modo id diſponant aut extrahant , ſciunt. Itaque ad occupationem aliquam tendunt : & quod interjacet , omne tempus
* grave eſt. Tam mehercules quam quum dies muneris gladiatorii edictus eſt ; aut alicujus alterius vel ſpectaculi , vel voluptatis exſpectatur conſtitutum ; tranſilire medios dies volunt. Omnis illis ſperatæ rei longa dilatio eſt.... Aliunde enim alio transfugiunt : & conſiſtere in una cupiditate non poſſunt. Non ſunt illis longi dies , ſed inviſi. *Lib. de Brevit. vitæ , cap.* 16.

Excerpe itaque te vulgo , Paulline cariſsime , & in tranquilliorem portum , non pro ætatis ſpatio jactatus , tandem recede. Cogita quot fluctus ſubieris ; quot tempeſtates partim privatas ſuſtinueris , partim publicas in te converteris... Major pars ætatis , certe melior Reipub. data ſit. Aliquid temporis (a) tui ſume etiam tibi. Nec te ad ſegnem , (b) aut inertem quietem voco. Non ut ſomno , & † carnis turpibus voluptatibus , quicquid eſt in te indolis vivæ , demergas. Non eſt iſtud quieſcere. Invenies majora omnibus adhuc ſtrenue tractatis operibus , quæ repoſitus & ſecurus agites.... Mihi crede : ſatius eſt vitæ ſuæ rationem , quam frumenti publici noſſe. Iſtum animi vigorem rerum maximarum capaciſsimum , a miniſterio , honorifico quidem ſed parum ad beatam vitam apto , ad te revoca : & cogita non id egiſſe te ab ætate prima , omni cultu ſtudiorum liberalium , ut tibi multa millia frumenti committerentur. Majus quiddam & altius de te promiſeras. Non deerunt & frugalitatis exactæ homines , & laborioſæ operæ. Tanto
* aptiora exportandis oneribus tarda jumenta ſunt , quam nobiles equi : quorum generoſam pernicitatem quis unquam gravi ſarcina preſsit ? Cogita præterea quantum ſollicitudinis ſit , ad tantam te molem objicere. Cum ventre humano tibi negotium eſt. Nec rationem patitur : nec æquitate mitigatur : nec ulla prece flectitur populus eſuriens. *Lib. de Brevit. vitæ , cap.* 18.

Omnium quippe occupatorum conditio miſera eſt : eorum ta-

(a) *Tit. Quies.* (b) *Tit. Otium ſalutare.* † *Al.* Caris turbæ voluptatibus.

tamen miſerrima, qui ne ſuis quidem occupationibus laborant. Ad alienum dormiunt ſomnum: ad alienum ambulant gradum: ad alienum comedunt appetitum. Amare & odiſſe, res omnium liberrimas, jubentur. Hi, (a) ſi velint ſcire quam brevis ipſorum vita ſit; cogitent, ex quota parte ſua ſit. *Lib. de Brevit. vitæ, cap.* 19.

Præterire, quod mihi occurrit exemplum, non poſſum. Turannius fuit exactæ diligentiæ ſenex: qui poſt annum nonageſimum, quum vacationem procurationis a C. Cænonageſimum, quum vacationem procurationis a C. Cæſare ultro accepiſſet, componi ſe in lecto & velut exanimem a circumſtante familia plangi juſsit. Lugebat domus otium Domini ſenis: nec finivit ante triſtitiam, quam labor illi ſuus reſtitutus eſt. Adeo ne juvat occupatum mori? Idem pleriſque animus eſt. Diutius cupiditas illis laboris, quam facultas eſt. Cum imbecillitate corporis pugnant. Senectutem ipſam nullo alio nomine gravem judicant, quam quod illos ſeponit. Lex a quinquageſimo anno militem non cogit; a ſexageſimo ſenatorem non citat. Difficilius homines a ſe otium impetrant, quam a lege. Interim dum rapiuntur & rapiunt; dum alter alterius quietem rumpit; dum mutuo ſunt miſeri: vita eſt ſine fructu, ſine voluptate, ſine ullo profectu animi. Nemo in conſpicuo mortem habet. Nemo non procul ſpes intendit. Quidam vero diſponunt etiam illa quæ ultra vitam ſunt: modes magnas ſepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exſequias. *Lib. de Brevitate vitæ, cap.* 20.

Si potes, ſubduc te iſtis occupationibus: ſin minus, eripe. Satis multum temporis ſparſimus: incipiamus in ſenectute vaſa colligere. Numquid invidioſum eſt? in freto viximus: moriamur in portu. *Epiſt.* 19.

Facile eſt autem, mi Lucili, occupationes evadere, ſi occupationum præmia contemſeris. Illa ſunt quæ nos morantur & detinent. Quid ergo? Tam magnas ſpes relinquam? Ab ipſa meſſe diſcedam? Nudum erit latus? Incomitata lectica? Atrium vacuum? Ab his ergo inviti homines recedunt, & mercedem miſeriarum amant: ipſas exſe-

(a) *Tit. Vita.*

ſecrantur. Sic de (a) ambitione, quo modo de amica querun-
tur. Et ſi verum affectum eorum inſpicias; non oderunt,
* ſed litigant. Excute iſtos, qui quæ cupiere deplorant: &
de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non poſ-
ſunt. Videbis voluntariam eſſe illis in eo moram, quod
ægre ferre ipſos & miſere, loquuntur. *Epiſt.* 22.

Nunquam *nobis* non ſuccedent occupationes novæ. Se-
rimus illas. Itaque ex una exeunt plures: deinde ipſi nobis
dilationem damus. *Epiſt.* 72.

Non debemus occupationibus indulgere. Excludendæ
ſunt. Si ſemel intraverint, in locum ſuum alias ſubſtituent.
Principiis illarum obſtemus: melius non incipient, quam
deſinent. *Ead. Epiſt.* 72.

In immenſum proderit nobis illud Democriti ſalutare
præceptum, quo monſtratur tranquillitas; ſi (b) nec priva-
tim nec publice multa, aut majora viribus noſtris egeri-
mus. Nunquam tam feliciter in multa diſcurrenti negotia
dies tranſit; ut non aut ex homine aut ex re, offenſa
* naſcatur quæ animum in iras paret. Quemadmodum per
frequentia urbis loca properanti in multos incurſitandum
eſt, & alicubi labi neceſſe eſt, alicubi retineri, alicubi
reſpergi: ita in hoc vitæ actu diſsipato & vago, multa
impedimenta, multæ querelæ incidunt. Alius ſpem noſtram
fefellit: alius diſtulit, alius intercepit. Non ex deſtinato
propoſita fluxerunt. Nulli fortuna tam dedita eſt, ut mul-
ta tentanti ubique reſpondeat. Sequitur ergo, ut is cui,
contra quam propoſuerat, aliqua ceſſerunt; impatiens homi-
num rerumque ſit: & leviſsimis cauſis iraſcatur, nunc per-
ſonæ, nunc negotio, nunc loco, nunc fortunæ, nunc ſi-
bi. Itaque ut quietus poſsit eſſe animus, non eſt jactan-
dus: nec multarum, ut dixi, rerum actu fatigandus; nec
magnarum, ſupraque vires appetitarum. Facile eſt levia
aptare cervicibus, & in hanc aut in aliam partem tranſ-
ferre ſine lapſu. At quæ alienis in nos manibus impoſita
ægre ſuſtinemus; victi in proximos effundimus: & dum
ſtamus ſub ſarcina, impares oneri vacillamus. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 6.

Idem

(a) *Tit. Felicitas falſa.* (b) *Tit. Tranquillitas.*

Idem accidere in rebus civilibus ac domeſticis ſcias. Negotia expedita & habilia ſequuntur actorem. Ingentia & ſupra menſuram agentis; nec dant ſe facile: & ſi occupata ſunt, premunt atque abducunt adminiſtrantem.... Itaque fit, ut frequenter irrita ſit ejus voluntas, qui non quæ facilia ſunt, aggreditur: ſed vult facilia eſſe, quæ aggreſſus eſt. Quoties aliquid conaberis, te ſimul & ea quæ paras, quibuſque pararis, ipſe metire. Faciet enim te aſperum pœnitentia operis infecti. Hic intereſt, utrum quis fervidi ſit ingenii, an frigidi atque humilis. Generoſo repulſa iram exprimet: languido inertique triſtitiam. Ergo actiones noſtræ nec pravæ ſint, nec audaces, nec improbæ. In vicinum ſpes exeat. Nihil conemur, quod mox adepti, ſucceſsiſſe miremur. Demus operam ne accipiamus injuriam, quam ferre neſcimus. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 7.

Arcum intenſio frangit: animum remiſsio. *Ex Pub. Mim.*

Sunt quorum corpus innoxium eſt: & in mille facinorum furias mens otioſa diſcurrit. *Ex eodem.*

Exemplum virtutis: quod & aliis præbere, & in aliis imitari debemus.

PAullo ante Demetrium retuli: quem mihi videtur rerum natura noſtris tuliſſe temporibus, ut oſtenderet nec illum a nobis corrumpi; nec nos ab illo corripi poſſe. Virum exactæ (licet neget ipſe) ſapientiæ, firmæque in iis quæ propoſuit conſtantiæ. Eloquentiæ quoque ejus, quæ res fortiſsimas deceat: non concinnatæ, nec in verba ſollicitæ; ſed ingenti animo, prout impetus tulit, res ſuas proſequentis. Huic non dubito (a) quin providentia & talem vitam, & talem dicendi facultatem dederit; ne aut exemplum ſæculo noſtro, aut convicium deeſſet. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 8.

Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus; ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, &

(a) *Tit. Providentia.*

& omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit. Cuſtodem nobis & pædagogum dedit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſsiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur: cujus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non aſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quoque ejus ſe componat atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verendus. Elige itaque Catonem. Si hic videtur tibi nimis rigidus: elige remiſſioris animi virum Lælium. Elige eum cujus tibi placuit & vita & oratio. Et ipſius animum ante te ferens & vultum; illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem vel exemplum. Opus eſt (inquam) aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges. *Epiſt.* 11.

Cogita quantum nobis exempla bona proſint. Scies magnorum virorum non minus memoriam, quam præſentiam eſſe utilem. *Epiſt.* 102. *in fine.*

Quid eſt cur hominem ad tam infelicia *brutorum* exempla revoces: quum habeas mundum Deumque, quem ex omnibus animalibus, ut ſolus imitetur, ſolus intelligit? *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 16.

Ut ſalutaria quædam, citra guſtum tactumque, odore proficiunt: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo & latens fundit. Sive exſpatiatur & utitur ſuo jure; ſive precarios habet acceſſus, cogiturque vela contrahere; ſive otioſa mutaque eſt, & anguſto circumſcripta; ſive adaperta: in quocumque habitu eſt, prodeſt. Quid? tu parum utile (a) putas exemplum bene quieſcentis? *Lib. de Tranq. animi, cap.* 3.

Inferior horret quicquid peccat ſuperior. *Ex Pub. Mim.*

Fama, Infamia.

ULlum ſupplicium gravius exiſtimas publico odio? *Lib.* 3. *de Benef. cap.* 17.

Opinionem quidem & famam eo loco habeamus, tanquam quæ non ducere, ſed ſequi debeat. *Lib.* 6. *de Benef. cap.* 43.

Con-

(a) *Tit. Tranquillitas.*

Conſcientiæ (a) ſatisfiat. Nil in famam laboremus : ſequatur vel mala , dum bene merearis. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 41.

Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum. *Ex Pub. Mim.*

Honeſtus rumor, alterum patrimonium eſt. *Ex eodem.*

Quis ſis intereſt ; non quis habearis. *Ex eodem.*

Judicium temerarium.

AD pœnitendum properat , cito qui judicat. *Ex Pub. Mim.*

Ad triſtem partem ſtrenua ſuſpicio. *Ex eodem.*

Prudentia.

PAuci ſunt, qui (b) conſilio ſe ſuaque diſponant : ceteri , eorum more qui fluminibus innatant , non eunt ; ſed feruntur. *Epiſt.* 23.

Si vis tibi omnia ſubjicere , te ſubjice rationi : multos reges , ſi te ratio rexerit. *Epiſt.* 37.

Socrates , qui totam (c) philoſophiam revocavit ad mores , hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam : bona malaque diſtinguere. *Epiſt.* 71.

Magno animo de rebus magnis judicandum eſt. *Ead. Epiſt.* 71.

Rex noſter eſt animus. Hoc incolumi , cetera manent in officio , parent , & obtemperant. Quum ille paullum vacillavit , ſimul nutant. Quum vero ceſsit voluptati ; artes quóque ejus actuſque marcent : & omnis ex languido fluxoque conatus eſt. Quoniam hac ſimilitudine uſus ſum , perſeverabo. Animus noſter modo rex eſt , modo tyrannus. Rex, quum honeſta intuetur ; ſalutem ſibi commiſsi corporis curat ; & nihil imperat turpe , nihil ſordidum. Ubi vero impotens , cupidus , delicatus eſt ; tranſit in nomen deteſta-

(a) *Tit. Conſcientia.* (b) *Tit. Vulgus.* (c) *Tit. Æſtimatio rerum.*

bile ac dirum : & fit tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, † infeſtantque. *Epiſt.* 114.

Inſpicere autem debemus primum nos met ipſos : deinde quæ aggredimur negotia : deinde eos quorum cauſa, aut cum quibus agendum eſt. Ante omnia (a) neceſſe eſt, ſe ipſum æſtimare : quia fere plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus. Alius eloquentiæ fiducia prolabitur : alius patrimonio ſuo plus imperavit, quam ferre poſſet : alius infirmum corpus laborioſo preſsit officio. Quorumdam (b) parum idonea eſt verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem deſiderant. Quorumdam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram in poteſtate : & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. Quidam urbanitatem neſciunt continere : nec periculoſis abſtinent ſalibus. Omnibus his utilior negotio quies eſt. Ferox impatienſque natura, irritamenta nocituræ libertatis evitet. *Lib. de Tranq. animi, cap.* 4.

Æſtimanda ſunt deinde (c) ipſa quæ aggredimur : & vires noſtræ cum rebus quas tentaturi ſumus, comparandæ. Debet enim ſemper plus eſſe virium in latore, quam in onere. Neceſſe eſt opprimant onera, quæ ferente majora ſunt. Quædam præterea non tam magna ſunt negotia quam fecunda, multumque negotiorum ferunt. Et hæc refugienda ſunt : ex quibus nova occupatio multiplexque naſcetur. Nec accedendum eo, unde liber regreſſus non ſit. His admovenda manus eſt, quorum finem aut facere aut ſperare poſsis. Relinquenda quæ latius actu procedunt ; nec ubi propoſueris, deſinunt. *Ibid. cap.* 5.

Hominum utique delectus habendus eſt : an digni ſint quibus partem vitæ noſtræ impendamus ; an ad illos temporis noſtri jactura perveniat. Quidam ultro officia noſtra nobis imputant. Athenodorus ait, ne ad cœnam quidem ſe iturum ad eum, qui ſibi nil pro hoc debiturus ſit. Puto intelligis, multo minus ad eos iturum, qui cum amicorum officiis paria in menſa faciunt ; qui fercula pro congiariis numerant : quaſi in alienum honorem intemperantes ſint. De-

† *Al.* Inſtantque. (a) *Tit. Cognitio ſui.* (b) *Tit. Verecundia.* (c) *Tit. Occupationis moderatio.*

Deme illis teſtes ſpectatoreſque : non delectabit popina ſecreta. Conſiderandum eſt, utrum natura tua agendis rebus, an otioſo ſtudio contemplationique aptior ſit : & eo inclinandum, quo te vis ingenii defert. Iſocrates Ephorum injecta manu a foro ſubduxit, utiliorem componendis monumentis hiſtoriarum ratus. Male enim reſpondent coacta ingenia. Reluctante natura, irritus labor eſt. *Lib. de Tranq. animi, cap. 6.*

Bonum eſt, fugienda aſpicere in alieno malo. *Ex Pub. Mim.*

Diu apparandum eſt bellum, ut vincas celerius. *Ex eodem.*

Ex vitio alterius, ſapiens emendat ſuum. *Ex eodem.*

Etiam capillus (a) unus habet umbram ſuam. *Ex eodem.*

Inimicum quamvis humilem, docti eſt metuere. *Ex eodem.*

Male geritur, quicquid geritur fortunæ fide. *Ex eodem.*

Non cito perit ruina, qui ruinam timet. *Ex eodem.*

Nunquam periculum ſine periculo vincitur. *Ex eodem.*

Neminem cito accuſaveris : neminem cito laudaveris. *Ex eodem.*

Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. *Ex eodem.*

Gravius nocet, quodcumque inexpertum accidit. *Ex eodem.*

Honeſte ſervit, qui ſuccumbit tempori. *Ex eodem.*

Imprudentia. Ignorantia.

INter inſaniam publicam & hanc quæ medicis traditur, nihil intereſt, niſi quod hæc morbo laborat ; illa opinionibus falſis. Altera cauſas furoris traxit ex valetudine; altera animi mala valetudo eſt.... Hæc ab Ariſtone dicuntur. *Epiſt. 94.*

Dimiſſum quod neſcitur, non amittitur. *Ex Pub. Mim.*

Tolerabilior pœna eſt non poſſe vivere, quam neſcire. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Timor.*

Consilium.

* IDeo peccamus, quia (a) de partibus vitæ omnes deliberamus: de tota nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, qui sagittam vult mittere: & tunc dirigere & moderari manu telum. Errant consilia nostra: quia non habent
* quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est. Necesse est multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. *Epist.* 71.

Ajunt, homines plus in alieno negotio videre, quam in suo. Hoc illis evenit, quos amor sui excæcat: quibusque dispectum utilitatis (b) timor in periculis excutit. Incipiet sapere securior, & extra metum positus. *Epist.* 109.

Consilio melius vincas quam iracundia. *Ex Pub. Mim.*
Deliberare utilia, mora est tutissima. *Ex eodem.*
Deliberandum est diu, quod statuendum est semel. *Ex eod.*
Ducis (c) in consilio, posita est virtus militum. *Ex eodem.*
Mora omnis odio est; sed facit sapientiam. *Ex eodem.*
Malo in consilio, feminæ vincunt viros. *Ex eodem.*
Fortuna nulli plus, quam consilium valet. *Ex eodem.*

De Justa rerum æstimatione.

IN supervacuum præcepta jactavimus, nisi illud præcesserit, qualem de quaque re habere debeamus opinionem: de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exsilio. Æstimemus singula, fama remota: & quæramus quid sint; non quid vocentur... Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas. Ab hac enim est actio. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit. Ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitæ leges perceperit; & quid de quoque judicandum sit exegerit: nisi res ad verum redegerit. Non contingit (a) tranquillitas, nisi immutabile certumque judicium adeptis. *Epist.* 95.

Quem-

(a) *Tit. Vita.* (b) *Tit. Timor.* (c) *Tit. Bellum.* (d) *Tit. Tranquillitas.*

Quemadmodum ſtultus eſt qui equum emturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frenos: ſic ſtultiſsimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione (quæ veſtis modo nobis circumdata eſt) æſtimat. *Epiſt.* 47.

Juſtitia, Injuſtitia.

FAbricius Pyrrhi regis aurum repulit: majuſque regno judicavit, regias opes poſſe contemnere. Idem, medico Pyrrhi promittente venenum ſe regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret inſidias. Ejuſdem animi fuit, auro non vinci; veneno non vincere. Admirati ſumus ingentem virum, quem non regis, non contra regem promiſſa flexiſſent: boni exempli tenacem: quod dificillimum eſt, in bello innocentem: qui aliquod eſſe crederet etiam in hoſtes nefas: qui in ſumma paupertate, qua ſibi decus fecerat, non aliter refugit divitias, quam venenum. Vive, inquit, beneficio meo Pyrrhe: & gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non poſſe corrumpi. *Epiſt.* 120.

Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli. Modum tenere debemus. Sed quia difficile eſt temperamentum: quicquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem præponderet. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 2.

Mala exempla recidunt in auctores: nec ulla miſeratio contingit his, quum patiuntur injurias, quas poſſe fieri faciendo docuerunt. *Epiſt.* 81.

Præſtabis parentibus pietatem: cognatis dilectionem. Præſtabis amicis fidem: omnibus æquitatem. Pacem cum omnibus habebis: bellum cum vitiis. *Ex Pub. Mim.*

Crudelitas.

HAnnibalem ajunt dixiſſe, quum foſſam ſanguine humano plenam vidiſſet: o formoſum ſpectaculum! Quid mirum, ſi hoc maxime ſpectaculo caperis; innatus ſanguini, & ab infante cædibus admotus? .... Voleſus nu-

per ſub Divo Auguſto proconſul Aſiæ, quum ccc. una die ſecuri percuſsiſſet, incedens inter cadavera vultu ſuperbo, quaſi magnificum quiddam conſpiciendumque feciſſet, Græce proclamavit: o rem regiam! Quid hic rex feciſſet? Non fuit hæc ira; ſed majus malum, & inſanabile. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 5.

Reſpue (a) credulitatem, & matrem crudelitatis iram. *Ex Pub. Mim.*

Detractio: Maledicentia, ejuſdemque contemtus.

ELeganter Demetrius noſter ſolet dicere, eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim (inquit) mea refert, ſurſum iſti an deorſum ſonent? Quanta (b) dementia eſt vereri ne infameris ab infamibus? *Epiſt.* 91.

Male de te opinantur homines. Sed mali. Moverer, ſi male de me M. Cato; ſi Lælius ſapiens; ſi alter Cato; ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt ullam auctoritatem habere ſententia, ubi qui damnandus eſt, damnat. Male de te loquuntur. Moverer, ſi judicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur; ſed de ſe. Male de te loquuntur. Bene neſciunt loqui. Faciunt, non quod mereor; *ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. *Lib. de Remed. Fortuit. ſive in Excerptis poſter.*

Quare (*detractor ait*) hic philoſophus laxius habitat? Quare hic lautius cœnat? Papulas obſervatis alienas, obſiti *plurimis ulceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat, quem fœda ſcabies depaſcitur.... O vos maxime felices, quum primum imitari vitia noſtra contigerit! Quin potius mala veſtra circumſpicitis, quæ vos ab omni parte confodiunt, alia graſſantia extrinſecus, alia in viſceribus ipſis ardentia? Non eo loco res humanæ ſunt (etiam ſi ſtatum veſtrum parum no-

(a) *Tit. Ira.* (b) *Tit. Vulgus. Tit. Infamia.*

noſtis , & vobis tantum otii ſuperſit) ut in probra meliorum agitare linguam vacet. *Lib. de Vita Beata , cap.* 27.

Hoc vos (a) non intelligitis , & alienum fortunæ veſtræ vultum geritis : ſicut plurimi , quibus in circo aut in theatro deſidentibus jam funeſta domus eſt ; nec annuntiatum malum. At ego ex alto proſpiciens , video quæ tempeſtates , aut immineant vobis , paullo tardius rupturæ nimbum ſuum ; aut jam vicinæ vos ac veſtra tracturæ ſint , ſi propius acceſſerint. Quid porro ? non ne nunc quoque (etiam ſi parum ſentitis) turbo quidam animos veſtros rotat & involvit , fugientes petenteſque eadem ; & nunc in ſublime allevatos , nunc in infima alliſos , magno vos concuſſu in vitia rapit ? *De Vita Beata , cap.* 28.

Grave crimen , etiam quum dictum eſt leviter , nocet. *Ex Pub. Mim.*

Adulatio : contraque , Libertas admonendi.

OMnia ſane excluſerit opulenta felicitas : monſtrabo (b) tibi cujus rei inopia laborent magna faſtigia ; quid omnia poſsidentibus deſit. Scilicet ille , (c) qui verum dicat : & hominem inter mentientes ſtupentem , ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi , ad ignorantiam veri perductum vindicet a conſenſu falſorum. Non vides , quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas , & fides in obſequium ſervile ſubmiſſa : dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet diſſuadetque ; ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium , una contentio , quis blandiſsime fallat ? Ignoravere vires ſuas : & dum ſe tam magnos quam audiunt , credunt ; attraxere ſupervacua , & in diſcrimen rerum omnium perventura bella : utilem & neceſſariam rupere concordiam : ſecuti iram quam nemo revocabat , multorum ſanguinem hauſerunt , fuſuri noviſsime ſuum , dum vindicant inexplorata pro certis ; flectique non minus exiſtimant turpe , quam vinci ; & perpetua credunt , quæ in ſummum perducta , maxime nutant. Ingentia

(a) *Tit. Felicitas falſa.* (b) *Tit. Rex.* (c) *Tit. Veritas.*

ſuper ſe caſura regna fregerunt : nec intellexerunt, in illa ſcæna & vanis & cito diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipſos nihil non adverſi exſpectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt. *Lib. 6. de Benef. cap.* 30.

Quum bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitumque quam caducis confideret, nemo non impulit. Alius ajebat, non laturos nuntium belli; & ad primam adventus famam terga verſuros. Alius, nihil eſſe dubii, quin illa mole non vinci ſolum Græcia, ſed obrui poſſet : magis verendum, ne vacuas deſertaſque urbes invenirent, & profugis hoſtibus vaſtæ ſolitudines relinquerentur, non habituris, ubi tantas vires exercere poſſent. Alius, illi vix rerum naturam ſufficere; anguſta eſſe claſsibus maria; militi caſtra; explicandis equeſtribus copiis campeſtria: vix patere cælum ſatis ad emittenda omni manu tela. Quum in hunc modum multa undique jactarentur, quæ hominem nimia æſtimatione ſui furentem concitarent; Demaratus Lacedæmonius ſolus dixit, ipſam illam qua ſibi placeret multitudinem indigeſtam & gravem, metuendam eſſe ducenti : non enim vires; ſed pondus habere : immodica nunquam regi poſſe : nec diu durare, quicquid regi non poteſt. In primo, inquit, ſtatim monte Lacones objecti, dabunt tibi ſui experimentum. Tot iſta gentium millia, trecenti morabuntur; hærebunt in veſtigio fixi; & commiſſas ſibi anguſtias tuebuntur; & corporibus obſtruent. Tota illos Aſia non movebit loco. Tantas minas belli, & pæne totius generis humani ruentis impetum, pauciſsimi ſuſtinebunt... Deinde hinc atque illhinc coorientur, & tuis te viribus prement. Verum eſt quod dicitur : majorem belli apparatum eſſe, quam qui recipi ab his regionibus poſſit, quas oppugnare conſtituis. Sed hæc res contra nos eſt. Ob hoc ipſum te Græcia vincet, quia non capit. Uti toto te non potes. Præterea (quæ una rebus ſalus eſt) occurrere ad primos rerum impetus, & inclinatis opem ferre non poteris : nec fulcire ac firmare labantia. Multo ante vinceris, quam victum eſſe te ſentias. Ceterum non eſt, quod exercitum tuum ob hoc ſuſtineri putes non poſſe,

quia

quia numerus ejus duci quoque ignotus est. Nihil tam magnum est, quod perire non possit: cui nascitur in perniciem (ut alia quiescant) ex ipsa magnitudine suâ causa. Acciderunt quæ Demaratus prædixerat... stratusque per totam Græciam passim Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. Itaque Xerxes pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset: & permisit petere quod vellet.... Dignus fuerat præmio ante quam peteret. Sed quam miserabilis gens, in qua nemo fuit qui verum diceret regi, nisi qui non dicebat sibi? *Lib. 6. de Benef. cap.* 31.

Divus Augustus filiam.... impudicam relegavit, & flagitia principalis domus in publicum emisit.... Hæc non tam vindicanda principi, quam tacenda (quia quarumdam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens iræ, publicaverat. Deinde quum interposito tempore, in locum iræ subiisset verecundia, gemens quod non illa silentio presisset, quæ tamdiu nescierat.... sæpe exclamavit: horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset. Adeo tot habenti millia hominum, duos reparare difficile est.... Quid putem? defuisse similes qui assumerentur: an ipsius vitium fuisse, qui maluit queri quam quærere? Non est quod existimemus, Agrippam & Mæcenatem solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenii mos est, in præsentium contumeliam, amissa laudare: & his virtutem dare vera dicendi, a quibus jam audiendi periculum non est. *Ibidem, cap.* 32.

Sed ut me ad propositum reducam: vides quam facile sit gratiam referre felicibus, & in summo humanarum opum positis? Dic illis, non quod volunt audire; sed quod audisse semper volent. Plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret. Da consilium utile. Quæris (a) quid felici præstare possis? Effice, ne felicitati suæ credat: ut sciat, illam multis & fidis manibus continendam. Parum in illum contuleris, si illi stultam fiduciam permansuræ semper potentiæ excusseris? docueriscque mobilia esse quæ dedit

(a) *Tit. Felicitas falsa.*

dit caſus? & majore curſu fugere, quam veniunt? nec his portionibus quibus ad ſumma perventum eſt, retro iri? ſæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil interesse? Neſcis (a) quantum ſit pretium amicitiæ, ſi non intelligis, multum te ei daturum cui dederis amicum: rem non domibus tantum, ſed ſeculis raram; quæ non aliubi magis deeſt, quam ubi creditur abundare. *Eodem lib. cap.* 33.

Non ſumus modica laudatione contenti. Quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſsit, tanquam debitum prendimus. Optimos nos eſſe, ac ſapientiſsimos affirmantibus aſſentimur: quum ſciamus illos ſæpe mentiri.... Alexander quum jam in India vagaretur, & gentes ne finitimis quidem ſatis notas bello vaſtaret; in obſidione cujuſdam urbis dum circuit muros, & dum imbecilliſsima mœnium quærit, ſagitta ictus, diu perſedere & incœpta agere perſeveravit. Deinde quum repreſſo ſanguine, ſicci vulneris dolor creſceret, & crus equo ſuſpenſum paullatim obtorpuiſſet; coactus abſiſtere, omnes (inquit) jurant me Jovis eſſe filium: ſed vulnus hoc me hominem eſſe clamat. Idem nos faciamus. Quum pro ſua quemque portione adulatio infatuat, dicamus: vos quidem me dicitis prudentem eſſe: ego autem video quam multa inutilia concupiſcam, nocitura optem. Ne hoc quidem intelligo, quod animalibus ſatietas monſtrat: quis cibo debeat eſſe, quis potioni modus. Quantum capiam, adhuc neſcio. *Epiſt.* 59.

Fac ergo, mi Lucili, quod facere conſueviſti. A turba, quantum potes, te ſepara: nec adulatoribus latus præbeas. Artifices ſunt ad captandos ſuperiores. Par illis, etiam ſi bene caveris, non eris. Mihi crede: capieris, ſi proditione ipſe te trades. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ: etiam quum rejiciuntur, placent: ſæpe excluſæ, noviſſime recipiuntur. *In Præfatione Lib.* 4. *Natur. Quæſt.*

Quo apertior eſt adulatio, quo improbior, quo magis frontem ſuam perfricuit.... hoc citius expugnat. Eo enim jam dementiæ venimus, ut qui parce adulatur, pro maligno ſit. *Ibidem.*

(a) *Tit. Amicus.*

Ma-

, Maluerim veris offendere, quam placere adulando. *Lib.* 2. *de Clem. cap.* 2.

Morbum esse scias non hilaritatem, semper arridere ridentibus; & ad omnium æstimationem, ipsum quoque os diducere. *Ex Pub. Mim.*

Religio.

QUo modo sint dii colendi, solet præcipi.... Deum colit, qui novit.... Quæ causa est diis benefaciendi? Natura. Errat, si quis putat illos nocere velle. Non possunt. Nec accipere injuriam queunt, nec facere. Lædere etenim lædique conjunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, Deos credere. Deinde reddere illis majestatem suam; reddere bonitatem; sine qua nulla majestas est. Scire, (a) illos esse qui præsident mundo; qui universa ut sua temperant; qui humani generis tutelam gerunt; interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent. Ceterum (b) castigant quosdam & coërcent: & irrogant pœnas: & aliquando specie boni puniunt. Vis Deos propitiare? Bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est. *Epist.* 95.

Nullam mihi injuriam facitis (c), *ait sapiens*, quum mihi detrahitis; sicut ne diis quidem hi, qui aras evertunt. Sed malum propositum apparet malumque consilium, etiam ubi nocere non potuit. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Juppiter optimus maximus ineptias poëtarum: quorum alius illi alas imposuit: alius cornua: alius adulterum illum induxit & obnoctantem: alius sævum in Deos: alius iniquum in homines: alius ingenuorum corruptorem; & cognatorum quidem: alius parricidam: & regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum est, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales Deos credidissent. *Lib. de Vita Beata, cap.* 26.

Poëtarum furor fabulis humanos errores *aluit*: quibus vi-

(a) *Tit. Providentia.* (b) *Tit. Dei justitia.* (c) *Tit. Detractionis contemtus.*

visus est Juppiter voluptate concubitus † Alcmenæ triplicasse noctem. Quid aliud est quam vitia nostra incendere, auctores illis inscribere Deos; & dare morbo, exemplo divinitatis, excusatam licentiam? *Lib. de Brevit. vitæ, cap.* 16.

Virum (a) bonum concedas necesse est, summæ pietatis erga Deos esse. Itaque quicquid illi acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet (b) enim id accidisse lege divina, qua universa procedunt. *Epist.* 76.

Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est. *Ex Pub. Mim.*

Gratitudo, Ingratitudo.

OFficia etiam feræ sentiunt. Nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impune tractantur. Elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus. Adeo etiam quæ extra intellectum atque æstimationem beneficii sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis evincit. *Lib.* 1. *de Benef. cap.* 3.

Hæc enim beneficii inter duos lex est. Alter statim oblivisci debet dati; alter accepti nunquam. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 10.

Qui grate beneficium accepit, primam ejus pensionem solvit. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 22.

Nullo magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod quum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: hanc unam Cæsar habeo injuriam tuam: effecisti, ut viverem & morerer ingratus. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 25.

Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus, qui non reddit. Ingratissimus omnium, qui oblitus est.... Hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est. *Lib.* 3. *de Benef. cap.* 1.

In-

† *Sic cum Pinciano & Granatensi legendum puto, quamquam scripta exemplaria aliter habeant.* (a) *Tit. Patientia.* (b) *Tit. Providentia.*

Denique ingratum voco, quiſquis metu gratus eſt. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 18. *in fine.*

Quo modo eſt diſertus etiam qui tacet; fortis etiam qui compreſsis manibus, vel etiam alligatis: quo modo gubernator etiam qui in ſicco eſt; quia conſummatæ ſcientiæ nihil deeſt, etiam ſi quid obſtat quo minus ſe utatur: ita gratus eſt etiam qui vult tantum; nec habet hujus voluntatis ſuæ ullum alium, quam ſe teſtem. *Lib.*4. *de Benef. cap.*21.

Beneficium nullum eſt, niſi quod ad nos primum aliqua cogitatio defert; deinde amica & benigna. Itaque nec fluminibus gratias agimus: quamvis aut magna navigia patiantur, & ad ſubvehendas copias largo ac perenni alveo currant; aut piſcoſa & amœna pinguibus arvis interfluant. Nec quiſquam Nilo beneficium debere ſe judicat, non magis quam odium; ſi immodicus ſuperfluxit, tardeque receſsit. Nec ventus beneficium dat; licet lenis & ſecundus aſpiret: nec utilis & ſalubris cibus. Nam qui beneficium mihi daturus eſt, debet non tantum prodeſſe, ſed velle. Ideo, nec mutis animalibus quicquam debetur. Et quam multos e periculo velocitas equi rapuit? Nec arboribus. Et quam multos æſtu laborantes ramorum opacitas texit? Quid autem intereſt utrum mihi, qui neſcit, profuerit; an qui ſcire non potuit? quum utrique velle defuerit? *Lib. 6. de Benef. cap. 7.*

Si quis ſua cauſa nobis profuit, ei ne (inquis) debetur aliquid? Hoc enim ſæpe te conquerentem audio; quod quædam quæ homines ſibi præſtant, aliis imputant. Dicam, mi Liberalis: ſed prius hanc quæſtiunculam dividam, & rem æquam ab iniqua ſeparabo. Multum enim intereſt utrum aliquis beneficium nobis det ſua cauſa; an noſtra; an ſua & noſtra. Ille qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt; eo loco mihi eſt, quo qui pecori ſuo hibernum & æſtivum pabulum proſpicit: eo loco, quo qui captivos ſuos (ut commodius veneant) paſcit; & opimos boves ſaginat ac defricat: quo laniſta, qui familiam ſuam ſumma cura exercet atque ornat. Multum (ut ait Cleanthes) a beneficio diſtat negotiatio. *Lib. 6. de Benef. cap.* 12.

Rur-

Rurſus: non ſum tam iniquus, ut nihil ei debeam, qui quum mihi utilis eſſet, fuit & ſibi. Non enim exigo, ut ſine reſpectu ſui mihi conſulat: immo etiam opto, ut beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit; dummodo id qui dabat, duos intuens dederit, & inter me ſeque diviſerit. Licet id ipſe ex majore parte poſsideat; ſi modo me in conſortium admiſit, ſi duos cogitavit: ingratus ſum, non ſolum injuſtus, niſi gaudeo hoc illi profuiſſe, quod proderat mihi. Summæ malignitatis eſt, non vocare beneficium, niſi quod dantem aliquo incommodo affecit.... Non ſum iniquus beneficii interpres: nec deſidero illud mihi tantum dari; ſed & tibi. *Lib. 6. de Benef. cap.* 13.

Errat, ſi quis beneficium libentius accipit quam reddit.... Ingratus eſt, qui beneficium reddit ſine uſura. *Epiſt.* 81.

Beneficia plura recipit, qui ſcit reddere. *Ex Pub. Mim.*

Dixeris maledicta cuncta, quum ingratum hominem dixeris. *Ex eodem.*

Fraus eſt accipere, quod non poſsis reddere. *Ex eodem.*

Ingratus unus miſeris omnibus nocet. *Ex eodem.*

Malignum fieri, maxime ingrati docent. *Ex eodem.*

Beneficia ſe dediſſe qui dicit, petit. *Ex eodem.*

Oratio.

VErum eſt quod apud Athenodorum inveni: tunc ſcito eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, quum eo perveneris ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſsis palam.... Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat. Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. *Epiſt.* 10.

Contemplatio naturæ.

DEpono hoc apud te: nunquam plus agere ſapientem, quam quum in conſpectum ejus divina atque humana venerunt. *Epiſt.* 68.

Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, quum illam non

non ab hac parte video quæ publica eſt; ſed quum ſecretiora ejus intravi : quum diſco quæ univerſi materia ſit, quis auctor aut cuſtos : quid ſit Deus : totus in ſe intendat ; an ad nos aliquando reſpiciat : faciat quotidie aliquid; an ſemel fecerit : pars mundi ſit ; an mundus : liceat illi hodieque decernere , & ex lege factorum aliquid derogare ; an majeſtatis diminutio ſit & confeſsio erroris , mutanda feciſſe. Neceſſe eſt enim ei eadem placere , cui niſi optima placere non poſſunt. Nec ob hoc minus liber & potens eſt : ipſe enim eſt neceſsitas ſua. Niſi ad hæc admitterer , non fuerat operæ pretium naſci. Quid enim erat, cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem ? An ut cibos & potiones percolarem ? Ut hoc corpus caſurum ac fluidum , periturumque niſi ſubinde impleatur , farcirem; & viverem ægri miniſter ? Ut mortem timerem , cui omnes naſcimur ? Detrahe hoc inæſtimabile bonum : non eſt vita tanti , ut ſudem , ut æſtuem. O quam contemta res eſt homo , (a) niſi ſupra humana ſe erexerit ! Quamdiu cum affectibus colluctamur , quid magnifici facimus ? Etiam ſi ſuperiores ſumus , portenta vincimus. Quid eſt cur ſuſpiciamus nos met ipſos , quia diſsimiles deterrimis ſumus ? Non video quare ſibi placeat , qui robuſtior eſt in valetudinario. Multum intereſt inter vires & bonam valetudinem. Effugiſti vitia animi. Non eſt tibi frons ficta : nec in alienam voluntatem ſermo compoſitus : nec cor involutum : nec avaritia , quæ quicquid omnibus abſtulit , ſibi ipſi negat : nec luxuria pecuniam turpiter amittens , quam turpius reparet : nec ambitio, quæ te ad dignitatem niſi per indigna non ducet. Nihil adhuc conſecutus es. Multa effugiſti : te nondum. Virtus enim quam affectamus , magnifica eſt. Non quia per ſe beatum eſt , malo caruiſſe : ſed quia animum laxat , ac præparat ad cognitionem cæleſtium ; dignumque efficit , qui in conſortium Dei veniat.

Tunc conſummatum habet plenumque bonum ſortis humanæ , quum calcato omni malo , petit altum , & in interiorem naturæ ſinum venit. Tunc juvat inter ſidera ipſa vagantem , divitum pavimenta ridere , & totam cum auro ſuo terram : non aliud tantum dico , quod egeſsit , & ſignandum mone-

(a) *Tit. Homo.*

netæ dedit: ſed & illud quod in occulto ſervat poſterorum avaritiæ. Nec poteſt ante (a) contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia & tonſiles ſilvas, & derivata in domos flumina, quam totum circumeat mundum; & terrarum orbem ſuperne deſpiciens, anguſtum, & magna ex parte opertum mari ... ſibi ipſe dicat: hoc eſt punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? O quam ridiculi ſunt mortalium termini! Ultra Iſtrum Dacus non exeat: Strymo Thracas includat: Parthis obſtet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana diſterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pirenæus medium inter Gallias & Hiſpanias jugum extollat: inter Ægyptum & Æthiopias arenarum inculta vaſtitas jaceat. Si quis formicis det intellectum hominis; nonne & illæ unam arenam in multas provincias divident? Quum te in illa vere magna ſuſtuleris; quoties videbis exercitus ſubrectis ire vexillis; & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affuſum; libebit dicere:

It nigrum campis agmen.

Formicarum iſte diſcurſus eſt, in anguſto laborantium. Quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi? Punctum eſt illud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis.... Surſum (b) ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſsionem animus admittitur: at ita minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leviſque ac contentus modico emicuit. Quum illa tetigit; alitur, creſcit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc (c) habet argumentum divinitatis ſuæ, quod illum divina delectant: nec ut alienis intereſt, ſed ut ſuis. Secure ſpectat occaſus ſiderum atque ortus, & tam diverſas concordantium vias.

Curioſus ſpectator excutit ſingula, & quærit. Quidni quærat? Scit illa ad ſe pertinere. Tunc contemnit domicilii prioris anguſtias. Quantum enim eſt, quod ab ultimis littoribus Hiſpaniæ uſque ad Indos jacet? Pauciſsimorum dierum ſpatium, ſi navem ſuus ventus implevit. At illa regio cæleſtis per triginta an-

(a) *Contemtus mundi.* (b) *Tit. Præparatio ad contemplanda divina.* (c) *Tit. Homo.*

annos velociſsimo ſideri viam præſtat, nuſquam reſiſtenti, ſed æqualiter cito. Illhic demum diſcit, quod diu quæſivit. Illhic incipit Deum noſſe. Quid eſt Deus? (a) Mens univerſi. Quid eſt Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur: qua nihil majus excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia; opus ſuum (b) & extra, & intra tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars, animus eſt: in illo, nulla pars extra animum. Totus ratio eſt: quum interim tantus error mortalia teneat, ut hoc (c) quo neque formoſius eſt quicquam, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtiment homines fortuitum & caſu volubile; ideoque tumultuoſum inter fulmina, nubes, tempeſtates, & cetera, quibus terræ ac terris vicina pulſantur. Nec hæc intra vulgum dementia eſt: ſed ſapientiam quoque profeſſos contigit. Sunt qui putent ſibi ipſis animum eſſe, & quidem providum ac diſpenſantem ſingula, & ſua & aliena: hoc autem univerſum, in quo nos quoque ſumus, expers eſſe conſilii, & aut ferri temeritate quadam, aut natura neſciente quid faciat. *In Præfatione lib.* 1. *Nat. Quæſt.*

Dices (d) mihi: quid agis Seneca? deſeris partes? Certe Stoici veſtri dicunt: uſque ad ultimum vitæ finem in actu erimus: non deſinemus communi bono operam dare, adjuvare ſingulos, opem ferre etiam inimicis, eniti manu. Nos ſumus qui nullis annis vacationes damus; & quod ait ille vir diſertiſsimus., caniciem galea premimus. Nos ſumus, apud quos uſque eo nihil ante mortem otioſum eſt, ut ſi res patitur, non ſit ipſa mors otioſa. *De Vita beata, cap.* 28.

Huic quæſtioni paucis interjectis ita Seneca reſpondet: Duæ maximæ in hac re diſident ſectæ, Epicureorum & Stoicorum: ſed utraque ad otium diverſa via mittit. Epicurus ait: non accedet ad Remp. ſapiens, niſi ſi quid intervenerit. Zenon ait: accedet ad Remp. niſi ſi quid impedierit. Alter otium ex propoſito petit; alter ex cauſa. Cauſa autem illa late patet: ſi Reſp. corruptior eſt quam ut adjuvari poſsit: ſi occupata eſt malis, non nitetur ſapiens in

(a) *Tit. Deus.* (b) *Tit. Opificium.* (c) *Tit. Providentia.* (d) *Tit. Vitæ activæ & contemplativæ comparatio.*

ſupervacuum, nec ſe nihil profuturus impendet: ſi parum habebit auctoritatis aut virium: nec illum erit admiſſura Reſp. ſi valetudo illum impediet. Quo modo navem quaſ-
*ſam non deduceret in mare; quo modo nomen in militiam non daret debilis: ſic (a) ad vitam, ad quam ſe inhabilem ſciet, non accedet. Poteſt ergo & ille cui omnia adhuc in integro ſunt, antequam ullas experiatur tempeſtates, in tuto ſubſiſtere: & protinus commendare ſe bonis artibus; & illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quæ exerceri etiam a quietiſsimis poſſunt. Hoc nempe ab homine exigitur; ut proſit hominibus: ſi fieri poſsit, multis; ſi minus, paucis; ſi minus, proximis; ſi minus, ſibi. Nam quum ſe utilem ceteris efficit, commune agit negotium. Quo modo qui ſe deteriorem facit, non ſibi tantummodo nocet, ſed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodeſſe potuiſſet: ſic, ſi quis bene de ſe meruit, hoc ipſo aliis prodeſt, quod illis profuturum parat. *Ibid. cap.* 30.

Duas Reſp. (b) animo complectamur: alteram magnam & vere publicam qua dii ac homines continentur; in qua non ad hunc angulum reſpicimus aut ad illum; ſed terminos civitatis noſtræ cum ſole metimur: alteram cui nos adſcripſit conditio naſcendi. Hæc aut Athenienſium erit, aut Carthaginienſium, aut alterius alicujus urbis, quæ non ad omnes pertineat homines, ſed ad certos. Quidam eodem tempore utrique Reip. dant operam, majori minorique: quidam tantum minori: quidam tantum majori. Huic majori Reipub. & in otio deſervire poſſumus. Immo vero neſcio an in otio melius: ut quæramus, quid ſit virtus? una pluresve ſint? Natura, an ars bonos viros faciat? Unum ſit hoc † quod mari terras, & maria terris inſerta complectitur; an multa Deus corpora ejuſmodi ſparſerit? Continua ſit omnis & plena materia, ex qua cuncta gignuntur, an diducta; & ſolidis inane permixtum ſit? Deus ſedens opus ſuum ſpectet, an tractet? Utrum ne extrinſecus illi circumfuſus ſit, an toti inditus? Immortalis ſit mundus,

(a) *Tit. Vita contemplativa.* (b) *Tit. Reſpublica.* † *Sic Pincianus corrigendum putavit hunc locum, contra omnia exemplaria, ut ipſe quidem fatetur. Pincianum ſecutus eſt Granatenſis.*

dus, an inter caduca & ad tempus nata numerandus? Hæc qui contemplatur, quid Deo præſtat? Ne tanta ejus opera ſine teſte ſint. Solemus dicere, ſummum bonum eſſe, ſecundum naturam vivere. Natura ad utrumque genuit, † & contemplationem rerum, & actionem. *De Vita beata, cap.* 31.

Nunc probemus quod prius diximus. Quid porro? Hoc non erit probatum, ſi ſe unuſquiſque conſuluerit, quantam cupiditatem habeat ignota noſcendi? quam ad omnes fabulas excitetur? Navigant quidam, & labores peregrinationis longiſsimæ una mercede perpetiuntur; cognoſcendi aliquid abditum remotumque. Hæc res ad ſpectacula populos contrahit: hæc cogit præcluſa rimari, ſecretiora exquirere, antiquitates evolvere, mores barbararum audire gentium. Curioſum (a) nobis natura ingenium dedit: & artis ſibi ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit; perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formoſa, ſolitudini oſtenderet. Ut ſcias illam ſpectari voluiſſe, non tantum aſpici; vide quem nobis locum dederit. In media nos ſui parte conſtituit: & circumſpectum omnium nobis dedit. Nec erexit tantummodo (b) hominem: ſed etiam † ad contemplationem factura, ut ab ortu ſidera in occaſum labentia proſequi poſſet, & vultum ſuum circumferre cum toto; ſublime fecit illi caput, & collo flexibili impoſuit. Deinde ſena per diem, ſena per noctem ſigna produxit: nullam non partem ſui explicuit: ut per hæc quæ obtulerat ejus oculis, cupiditatem etiam faceret ceterorum. Nec enim omnia, nec tanta viſimus, quanta ſunt. Sed acies noſtra aperit ſibi inveſtigando viam, & fundamenta veri jacit: ut inquiſitio tranſeat ex apertis in obſcura, & aliquid ipſo mundo inveniat antiquius. Unde iſta ſidera exierint? quis fuerit univerſi ſtatus ante quam ſingula in artes diſcederent? quæ ratio merſa & confuſa diduxerit? quis loca rebus aſsignaverit? ſuapte natura gravia

† *Al.* Et contemplationi rerum, & actioni. (a) *Tit. Opificium.* (b) *Tit. Homo.* † *Sequentia verba ex quorumdam exemplarium collatione ſic reſtituenda curavimus.*

deſcenderint, evolaverint levia : an præter ipſum pondus corporum, altior aliqua vis legem ſingulis dixerit? an illud verum ſit † quo maxime probatur, homines (a) divini ſpiritus eſſe partem; ac veluti ſcintillas quaſdam ſacrorum in terram reſiluiſſe, atque extraneo loco hæſiſſe? Cogitatio noſtra cæli munimenta perrumpit: nec contenta eſt, id quod oſtenditur ſcire. Illud (inquit) ſcrutor, quod ultra mundum jacet: utrum ne profunda vaſtitas ſit, an & hoc ipſum terminis ſuis † cludatur? qualis ſit habitus excluſis? informia & confuſa ſint, an in omnem partem tantundem loci obtinentia? an & illa in aliquem cultum deſcripta ſint? huic cohæreant mundo, an longe ab hoc feceſſerint, & in vacuo volutentur? individua ſint per quæ ſtruitur omne id quod natum futurumque eſt, an continua eorum materia ſit, & per totum mutabilis? utrum contraria inter ſe elementa ſint, an non pugnent ſed per diverſa conſpirent? Ad hæc quærenda natus exiſtimat, quam non multum acceperit temporis; etiam ſi illud totum ſibi vindicet. Cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere; licet horas ſuas avariſsime ſervet, & uſque in ultimæ ætatis humanæ terminos procedat; nec quicquam illi ex eo quod natura conſtituit, fortuna concutiat: tamen homo ad immortalium cognitionem, nimis mortalis eſt. Ergo ſecundum naturam vivo, ſi totum me illi dedo: ſi illius admirator cultorque ſum. At natura utrumque facere me voluit; & agere, & contemplationi vacare. Utrumque facio: quoniam ne contemplatio quidem ſine actione eſt. *De Vita beata, cap.* 32.

Sed refert (inquis) an ad hanc voluptatis cauſa acceſſerit, nihil aliud ex illa petens, quam aſsiduam contemplationem ſine exitu? Eſt enim dulcis, & habet illecebras ſuas. Adverſus hoc tibi reſpondeo. Æque refert, quo animo civilem agas vitam: an ut ſemper inquietus ſis; nec unquam ſumas ullum tempus, quo ab humanis ad divina reſpicias. Quo modo res appetere, ſine ullo virtutum amore & ſine cultu ingenii, ac nudas edere operas, minime pro-

† *Quæ ſequuntur, partim ex Pinciano, partim ex Andrea Schotto correximus.* (a) *Tit. Anima.* † *Al.* Clauda tur.

probabile eſt (miſceri enim inter ſe iſta & conferri debent): ſic imperfectum ac languidum bonum eſt, in otium ſine actu projecta virtus, nunquam id quod didicit oſtendens. Quis negat illum debere profectus ſuos in opere tentare? nec tantum quid faciendum ſit cogitare; ſed etiam aliquando manum exſerere: & ea quæ meditata ſunt, ad verum perducere? Quid ſi per ipſum ſapientem non eſt mora; ſi non actor deeſt, ſed agenda deſunt: ecquid illi ſecum eſſe permittes? Quo animo ad otium ſapiens ſecedit? Ut ſciat ſecum quoque ea acturum, per quæ poſteris proſit. Nos (a) certe ſumus qui dicimus, & Zenonem & Chryſippum majora egiſſe, quam ſi duxiſſent exercitus; geſsiſſent honores; leges tuliſſent: quas non uni civitati, ſed toti humano generi tulerunt. Quid ergo eſt quare tale otium non conveniat bono viro, per quod futura ſæcula ordinet: nec apud paucos concionetur; ſed apud omnes omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt? *Lib. de Vita beata, eodem cap.* 32.

Obedientia, Inobedientia.

——*Rege incolumi, mens omnibus una.*
Amiſſo, rupere fidem.

Hic caſus Romanæ pacis exitium erit: hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab iſto periculo aberit hic populus, quamdiu ſciet ferre frenos: quos ſi quando abruperit; vel aliquo caſu diſcuſſos reponi ſibi paſſus non erit; hæc unitas & hic maximi imperii contextus, in partes multas diſsiliet: idemque huic urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 4.

Si invitus pares, ſervus es: ſi volens, miniſter. *Ex Pub. Mim.*

(a) *Tit. Doctor.*

Mendacium.

TEnue eſt mendacium: perlucet, ſi diligenter inſpexeris. *Epiſt. 79. in fine.*

Nemo poteſt perſonam diu ferre. Ficta, cito in naturam ſuam recidunt. Quibus veritas ſubeſt, quæque (ut ita dicam) ex ſolido enaſcuntur; tempore ipſo in majus meliuſque procedunt. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 1.

Liberalitas, Beneficentia.

INter multos ac varios errores temere inconſulteque viventium, nihil propemodum (optime Liberalis) dixerim nocentius, quam quod beneficia nec dare ſcimus, nec
* accipere.... Semina in ſolum effetum & ſterile non ſpargimus: beneficia ſine ullo delectu magis projicimus, quam damus.... Multos experimur ingratos, plures facimus: quia alias graves exprobratores exactoreſque ſumus; alias leves, & quos paullo poſt muneris ſui pœniteat; alias queruli, & minima momenta calumniantes. Ita gratiam omnem corrumpimus: non tantum poſtquam dedimus beneficia; ſed etiam dum damus. Quis enim noſtrum contentus fuit, aut leviter rogari, aut ſemel? Quis non, quum aliquid a ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem adduxit? vultum avertit? occupationes ſimulavit? longis ſermonibus & de induſtria non invenientibus exitum, occaſionem petendi abſtulit? & variis artibus properantes neceſsitates eluſit? In anguſto vero comprehenſus: aut diſtulit, id eſt, timide negavit; aut promiſit: ſed difficulter, ſed ſubductis ſuperciliis, ſed malignis & vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, ſed expreſsit.... Eodem animo beneficium debetur, quo datur.... Sibi quiſque debet quod a negligente accepit. Nec tarde quidem: quia quum in omni officio magni æſtimetur dantis voluntas; qui tarde fecit, diu noluit. Utique non contumelioſe. Nam quum ita natura comparatum ſit, ut altius injuriæ quam merita de-

deſcendant; & illa cito defluant, has tenax memoria cuſtodiat: quid exſpectat qui offendit, dum obligat? Satis adverſus illum gratus eſt, ſi quis beneficio ejus ignoſcit.... Demus beneficia, non feneremus. Dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitavit quum daret. At male ceſsit. Et liberi, & conjuges ſpem fefellerunt: tamen & educamus, & ducimus. Adeoque adverſus experimenta pertinaces ſumus: ut bella victi, & naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dandis beneficiis decet? Quæ ſi quis non dat quia non recipit; dedit ut reciperet: bonamque ingratorum facit cauſam, quibus turpe eſt non reddere, ſi licet. Quam multi indigni luce ſunt? & tamen dies oritur. Quam multi quod nati ſunt queruntur? tamen natura ſobolem novam gignit, ipſoſque qui non fuiſſe mallent, eſſe patitur. Quid magnifici erat multis prodeſſe, ſi nemo deciperet? Nunc eſt virtus dare beneficia, non utique reditura: quorum a viro egregio ſtatim fructus perceptus eſt. Adeo quidem iſta res fugare nos, & pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet; ut ſi ſpes mihi præcidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quam non dare. *Lib.* 1. *de Benef. cap.* 1.

Perdenda ſunt multa, ut ſemel ponas bene.

...Ne ceſſaveris dare: opus tuum perage: & partes boni viri exſequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium conſilio, alium præceptis ſalutaribus adjuva. *Ibid. cap.* 2.

Non poteſt beneficium manu tangi: animo cernitur. Multum intereſt inter materiam beneficii & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum quæ a proximis accipiuntur, beneficium eſt: ſed ipſa tribuentis voluntas. Imperiti autem id quod oculis incurrit, & quod traditur poſsideturque, ſolum notant: contra, illud quod in re carum atque pretioſum eſt, parvi pendunt. Hæc quæ tenemus, quæ aſpicimus, in quibus cupiditas noſtra hæret, caduca ſunt. Auferre ea nobis & fortuna, & injuria poteſt. Beneficium vero, etiam amiſſo eo quod datum eſt, durat. Eſt enim recte factum, quod irritum nulla vis efficit. Amicum a piratis redemi. Hunc alius hoſtis excepit, & in carcerem condidit. Non beneficium; ſed

uſum beneficii mei ſuſtulit. Ex naufragio alicui raptos, vel ex incendio liberos reddidi. Hos vel morbus, vel aliqua fortuita injuria eripuit. Manet etiam ſine illis, quod in illis datum eſt. Omnia itaque quæ falſum beneficii nomen uſurpant, miniſteria ſunt per quæ ſe voluntas amica explicat. Hoc quoque in aliis rebus evenit, ut alicubi ſit ſpe-
* cies rei, alicubi ipſa res. Imperator aliquem torquibus, murali, & civica donat. Quid habet per ſe corona pretioſum? .... Nihil horum honor eſt; ſed honoris inſigne. Sic non eſt beneficium, id quod ſub oculos venit; ſed beneficii veſtigium & nota. *Lib.* 1. *de Benef. cap.* 5.

Si beneficia in rebus, non in ipſa benefaciendi voluntate conſiſterent; eo majora eſſent, quo majora ſunt quæ accepimus. Id autem falſum eſt. Non nunquam (a) nos magis obligat, qui dedit parva magnifice: qui regum æquavit opes animo: qui exiguum tribuit, ſed libenter: qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum meam reſpicit: qui non voluntatem tantum juvandi habuit, ſed cupiditatem: qui accipere ſe putavit beneficium, quum daret: qui dedit tanquam non recepturus; recepit tanquam non dediſſet: qui occaſionem qua prodeſſet, & occupavit & quæſivit. Contra, ingrata ſunt (ut dixi) licet re ac ſpecie magna videantur; quæ danti aut extorquentur, aut excidunt. Multoque gratius venit quod facili, quam quod plena manu datur. Exiguum eſt quod in me contulit: ſed amplius non potuit. At hic quod dedit, magnum eſt: ſed dubitavit; ſed diſtulit; ſed quum daret, gemuit; ſed ſuperbe dedit; ſed circumtulit; & placere ei cui præſtabat, noluit. Ambitioni dedit: non mihi. *Lib.* 1. *de Benef. cap.* 7.

Socrati quum multa multi pro ſuis quiſque facultatibus offerrent; Æſchines pauper auditor, nihil (inquit) dignum te, quod dare tibi poſſem, invenio: & hoc uno modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi quod unum habeo, me ipſum. Hoc munus rogo, qualecumque eſt, boni conſulas: cogiteſque alios quum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. Cui Socrates, quid ni tu, inquit, magnum munus dederis, niſi forte parvo te æſtimas? Habebo itaque

(a) *Tit. Virtutis modus.*

que curæ, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnium juvenum opulentorum munificentiam. *Ibid. cap.* 8.

Sic demus, quo modo vellemus accipere. Ante omnia libenter, cito, ſine ulla dubitatione. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 1.

Præcipiunt itaque omnes auctores ſapientiæ, quædam beneficia palam danda, quædam ſecreto. Palam, quæ conſequi glorioſum eſt: ut militaria dona, & honores, & quicquid aliud notitia pulchrius fit. Rurſus (a) quæ non producunt, nec honeſtiorem faciunt; ſed ſuccurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiæ: (b) tacite danda ſunt, ut nota ſint ſolis quibus proſunt. Interdum & ipſe qui juvatur, fallendus eſt: ut habeat; nec a quo acceperit, ſciat. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 9.

Arceſilaus (ut ajunt) amico pauperi & paupertatem ſuam diſſimulanti, ægro autem, & ne hoc quidem confitenti deeſſe ſibi in ſumtum ad neceſſarios uſus, quum clam ſuccurrendum judicaſſet; pulvino ejus ignorantis ſacculum ſubjecit, ut homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat, inveniret potius quam acciperet. Quid ergo? ille neſciet a quo acceperit? Primum neſciat, ſi hoc ipſum beneficii pars eſt.... Denique (c) ille neſciet accepiſſe ſe, ego ſciam dediſſe me. Parum eſt, inquis. Parum, ſi fenerare cogitas. Sed ſi dare, quo genere accipienti maxime profuturum erit, contentus eris te teſte. Alioquin non bene facere delectat; ſed videri bene feciſſe. Volo, inquis, ſciat. Debitorem quæris. Volo utique ſciat. Quid ſi illi utilius eſt neſcire? ſi honeſtius? ſi gratius? non in aliam partem abibis? Volo ut ſciat. Ita tu hominem non ſervabis in tenebris? *Ibid. cap.* 10.

Si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, ſed ames. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 11.

Urbem cuidam Alexander donabat veſanus, & qui nihil animo niſi grande conciperet. Quum ille cui donabatur, ſe ipſum menſus, tanti muneris invidiam refugiſſet, dicens non

(a) *Tit. Eleemoſina.* (b) *Quid amplius a chriſtiano doctore requiras?*
(c) *Tit. Conſcientia.*

non convenire fortunæ ſuæ: non quæro, inquit, quid te accipere deceat; ſed quid me dare. Animoſa vox videtur, & regia; quum ſit ſtultiſsima. Nihil enim per ſe quemquam decet. Refert; quid, cui, quando, quare, ubi, & cetera, ſine quibus facti ratio non conſtabit. Tumidiſsimum animal! ſi illum accipere hoc non decet, nec te dare. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 16.

Majore etiam delectu quærendum eſt, cui debeamus, quam cui præſtemus. Nam ut non ſequantur ulla incommoda, (ſequuntur autem plurima) grave tormentum eſt, debere cui nolis. Contra, jucundiſsimum eſt ab eo accepiſſe beneficium, quem amare etiam poſt injuriam poſsis. *Ibid. cap.* 18.

Non eſt beneficium quod in quæſtum mittitur. Hoc da-
* bo, hoc recipiam; auctio eſt. Non dicam pudicam, quæ amatorem ut incenderet, repulit: quæ aut legem, aut virum timuit, ut ait Ovidius:

Quæ, quia non licuit, non dedit; illa dedit.

Non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præſtitit, non ſibi. Eodem modo, qui beneficium ut reciperet dedit, non dedit. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 14.

Num quid dubium eſt, quin contraria ſit beneficio injuria? Quo modo injuriam facere, per ſe vitanda ac fugienda res eſt: ſic beneficium dare, per ſe expetendum. Illhic turpitudo contra omnia præmia in ſcelus hortantia valet: ad hoc invitat honeſti per ſe efficax ſpecies. *Ibid. cap.* 15.

Dii quoque, inquit, multa ingratis tribuunt. Sed illa bonis paraverant. Contingunt autem etiam malis: quia ſeparari non poſſunt. Satius eſt autem prodeſſe etiam malis propter bonos, quam bonis deeſſe propter malos. Ita, quæ refers, diem, ſolem, hiemis æſtatiſque curſus, & media veris autumnique temperamenta, imbres, & fontium hauſtus, ventorum ſtatos flatus, pro univerſis invenerunt: excerpere ſingulos non potuerunt.... Nec poterat lex caſuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent.... Medicina & ſceleratis opem miniſtrat. Compoſitiones remediorum ſalutarium nemo ſuppreſsit, ne ſanarentur in-

indigni.... Multum enim refert, utrum aliquem non excludas, an eligas. Jus fori omnibus dicitur. Pace etiam homicidæ fruuntur. Sua repetunt, etiam qui aliena rapuerunt. Percuſſores, & domi ferrum exercentes, murus ab hoſte defendit. Legum præſidio, qui plurimum in illas peccaverunt, proteguntur. Quædam non poterant ceteris contingere, niſi univerſis darentur. *Ibid. cap.* 28.

Propoſitum optimi viri & ingentis animi eſt, tamdiu ferre ingratum, donec feceris gratum. *Lib.* 5. *de Benef. cap.* 1.

In beneficio (a) hoc eſt probabile & ſuſpiciendum, quod alteri ut aliquis prodeſſet, utilitatis interim ſuæ oblitus eſt: quod alteri dedit, ablaturus ſibi. *Ibid. cap.* 11.

Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, quum fortunam ſuam tranſeuntem alio videret, & ſibi nihil relictum præter jus mortis ... exclamare: hoc habeo, quodcumque (b) dedi. O quantum habere potuit, ſi voluiſſet! Hæ ſunt divitiæ certæ, in quacumque ſortis humanæ levitate uno loco permanſuræ: quæ quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia iſta, quæ vos tumidos & ſupra humana elatos obliviſci cogunt veſtræ fragilitatis; quæ ferreis clauſtris cuſtoditis armati; quæ alieno ſanguine rapta, veſtro defenditis; propter quæ claſſes cruentaturas maria deducitis; propter quæ quaſſatis urbes, ignari quantum telorum in adverſos fortuna comparet; propter quæ, ruptis toties affinitatis amicitiæ collegii fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis eliſus eſt; non ſunt veſtra: in depoſiti cauſa ſunt: jam jamque ad alium dominum ſpectantia, aut hoſtis illa, aut hoſtilis animi ſucceſſor invadet. Quæris, quo modo illa tua facias? donando. Conſule ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem poſſeſsionem para: honeſtiores illas non ſolum, ſed tutiores facturus. Illud quod ſuſpicis; quo te divitem ac potentem putas, quamdiu poſsides: ſub nomine ſordido jacet. Domus eſt, ſervus eſt, nummi ſunt: quum donaſti, beneficium eſt. *Lib.* 6. *de Benef. cap.* 3.

Demetrio ſi res noſtras aliquis Deorum poſsidendas velir

(a) *Tit. Virtutis modus.* (b) *Tit. Eleemoſina.*

lit tradere ſub lege certa, ne liceat donare; affirmaverim, repudiaturum dicturumque: ego vero me ad iſtud inextricabile pondus non alligo. *Lib. 7. de Benef. cap. 9.*

Errat tamen ſi quis exiſtimat, quum dicimus eum qui beneficium dedit oblivisci oportere, excutere nos illi memoriam rei præſertim honeſtiſsimæ. Quædam præcipimus ultra modum, ut ad verum & ſuum redeant. Quum dicimus, *meminiſſe non debet*: hoc volumus intelligi, prædicare non debet, nec jactare, nec gravis eſſe. Quidam enim beneficium quod dederunt, omnibus circulis narrant. Hoc ſobrii loquuntur, hoc ebrii non continent: hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt. Ut hæc nimia & exprobratrix memoria ſubſideret, oblivisci eum qui dedit juſsimus: & plus imperando quam præſtari poterat, ſilentium ſuaſimus. *Ibid. cap.* 22.

* Ariſtippus aliquando delectatus unguento, male (inquit) iſtis effeminatis eveniat, qui rem tam bellam infamarunt. Idem dicendum eſt: male iſtis improbis, & importunis beneficiorum ſuorum quadruplatoribus eveniat, qui tam bellam admonitionem inter amicos ſuſtulerunt. Ego tamen utar hoc jure amicitiæ; & beneficium ab eo repetam, a quo petiſſem: qui alterius beneficii loco accepturus eſt, potuiſſe reddere. Nunquam, ne querens quidem, dicam:

——— Ejectum, litore egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.

Non eſt iſta admonitio, non: convicium eſt. Hoc eſt in odium beneficia perducere. Hoc eſt efficere, ut ingratum eſſe aut liceat aut juvet. Satis abundeque eſt, ſubmiſsis & familiaribus verbis memoriam revocare:

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum.

Ille invicem dicat: Quidni merueris? ejectum, litore egentem excepiſti. *Ibid. cap.* 25.

Sed nihil, inquit, profecimus: diſsimulat, oblitus eſt. Quid facere debeam? Quæris rem maxime neceſſariam, & in qua hanc materiam conſummari decet: quemadmodum ingrati ferendi ſint? Placido animo, manſueto, magno. Nunquam te tam inhumanus, & immemor & ingratus offen-

fendat, ut non tamen dediſſe delectet. Nunquam in has voces injuria impellat: vellem non feciſſe. Beneficii tui etiam infelicitas placeat. Semper illum pœnitebit, ſi te ne nunc quidem pœnitet. Non eſt quod indigneris, tanquam aliquid novi acciderit: magis mirari deberes, ſi non accidiſſet. Alium labor, alium impenſa deterret: alium periculum, alium turpis verecundia, ne dum reddit, fateatur accepiſſe: alium ignorantia officii, alium pigritia, alium occupatio. Aſpice (a) quemadmodum immenſæ hominum cupiditates hient ſemper, & poſcant. Non miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo ſatis accipit. Quis eſt iſtorum tam firmæ mentis ac ſolidæ, ut tuto apud eum beneficia deponas? Alius libidine inſanit, alius abdomini ſervit, alius lucri totus eſt, cujus ſummam non vinces: alius invidia laborat, alius cæca ambitione, & in gladios ruente. Adjice torporem mentis ac ſenium, & huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tumultuſque perpetuos. Adjice æſtimationem ſui nimiam, & tumorem ob quæ contemnendus eſt, inſolentem. Quid contumaciam in perverſa nitentium; quid levitatem ſemper aliquo tranſilientem loquar? Huc accedat temeritas præceps, & nunquam fidele conſilium daturus timor, & mille errores, quibus volvimur: audacia timidiſsimorum; diſcordia familiariſsimorum; & publicum malum, incertiſſimis fidere; faſtidire poſſeſſa; optare, quæ conſequi poſſe, ſpes non fuit. *Ibid. cap.* 26.

Inter affectus inquietiſsimos, rem quietiſsimam, fidem quæris? Si tibi vitæ noſtræ vera imago ſuccurret, videberis tibi videre captæ quum maxime civitatis faciem, in qua omiſſo pudoris rectique reſpectu, vires in conſilio ſunt, velut ſigno ad permiſcenda omnia dato. Non igni, non ferro abſtinetur. Soluta legibus ſcelera ſunt. Nec religio quidem (quæ inter arma hoſtilia ſupplices texit) ullum impedimentum eſt ruentium in prædam. Hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic ſacro rapit: hic effringit; hic tranſilit; hic non contentus anguſto itinere, ipſa quibus arctatur, evertit: & in lucrum ruina venit. Hic ſine cæde populatur; hic ſpolia cruentâ manu portat. Nemo

(a) *Tit. Corrupti ſæculi mores.*

mo non fert aliquid ex altero. In hac aviditate generis humani, næ tu nimis fortunæ communis oblitus es, qui quæris inter rapientes referentem. Si indignaris ingratos esse: indignare luxurioſos; indignare avaros; indignare impudicos; indignare ægros deformes, senes pallidos. Est istud (a) grave vitium, est intolerabile, & quod dissociet homines, quod concordiam qua imbecillitas nostra fulcitur, scindat ac disipet. Sed usque eo vulgare est, ut illud nec qui queritur quidem, effugerit. *Ibid. cap.* 27.

Cogita tecum, an quibuscumque debuisti, gratiam retuleris? an nullum unquam apud te perierit officium? an omnium te beneficiorum memoria comitetur? Videbis quæ puero data sunt, ante adolescentiam elapsa: quæ in juvenem collata sunt, non perduraſſe in senectutem. Quædam perdidimus, quædam projecimus, quædam e conspectu nostro paullatim exierunt: a quibusdam oculos avertimus. Ut excusem tibi imbecillitatem tuam, in primis fragilis est memoria, & rerum turbæ non sufficit. Necesse est quantum recipit, emittat; & antiquissima recentissimis obruat. Sic factum est, ut minima apud te nutricis esset auctoritas: quia beneficium ejus longius ætas sequens posuit. Sic factum est, ut præceptoris tibi non esset ulla veneratio. Sic evenit, ut circa consularia occupato comitia, aut sacerdotiorum candidato, quæsturæ suffragator excideret. Fortasse vitium de quo quereris, si te diligenter excuseris, in sinu invenies. Inique (b) publico irascaris crimini; stulte tuo. Ut absolvaris, ignosce. Meliorem illum facies ferendo; utique pejorem exprobrando. Non est, quod frontem ejus indures: sine, si quid est pudoris residui, servet. Sæpe dubiam verecundiam (c) vox conviciantis clarior rupit. Nemo id esse, quod etiam videtur, timet. Deprehensus pudor amittitur. *Ibid. cap.* 28.

Perdidi beneficium. Numquid quæ consecravimus, perdidisse nos dicimus? Inter consecrata beneficium est, etiam si male respondit, bene collocatum. Non est ille, qualem speravimus. Simus nos quales fuimus, ei disimiles. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 29.

Quæ

(a) *Tit. Ingratitudo.* (b) *Tit. Indignatio contra aliorum errata.* (c) *T. Pudor.*

Quæ ratio eſt, exacerbare eum in quem magna contuleris, ut ex amico dubio fiat non dubius inimicus: & patrocinium ſibi noſtrâ infamiâ quærat? Nec deſit qui dicat: neſcio quid eſt, quod eum cui tantum debuit, ferre non potuit. Subeſt aliquid. Nemo non ſuperioris dignitatem quærendo, etiam ſi non inquinavit, aſperſit. Nec quiſquam (a) fingere contentus eſt levia, quum magnitudine mendacii fidem quærat. *Ibid. cap.* 30.

Quanto illa melior via, qua ſervatur illi ſpes amicitiæ; & ſi reverti ad ſanitatem velit, etiam amicitia? Vincit malos pertinax bonitas. Nec quiſquam tam duri infeſtique adverſus diligenda animi eſt, ut etiam † injuriatus, bonos non amet: quibus hoc quoque cœpit debere, quod impune non ſolvit. Ad illa itaque cogitationes tuas flecte. Non eſt mihi relata gratia. Quid faciam? Quod dii omnium rerum optimi auctores: qui beneficia ignorantibus dare incipiunt; ingratis perſeverant. Alius (b) illis objicit negligentiam noſtri, alius iniquitatem. Alius illos extra mundum ſuum projicit: & ignavos hebeteſque ſine luce, ſine ullo opere deſtituit. Alius Solem, cui debemus quod inter laborem quietemque tempus diviſimus; quod non tenebris immerſi confuſionem æternæ noctis effugimus; quod annum curſu ſuo temperat; & corpora alit; ſata evocat; percoquit fructus; ſaxum aliquod ignitum, aut fortuitorum ignium globum, & quidvis potius quam Deum appellat. Nihilo minus tamen more optimorum parentum qui maledictis ſuorum infantium arrident, non ceſſant dii beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus; ſed æquali tenore bona ſua per gentes populoſque diſtribuunt, unam potentiam ſortiti, prodeſſe. Spargunt opportunis imbribus terras, maria fluctu movent, ſiderum curſu notant tempora, hiemes æſtateſque interventu lenioris ſpiritus molliunt, errorem labentium animorum placidi ac propitii ferunt. Imitemur illos. Demus, etiam ſi multa in irritum data ſint. Demus nihilo minus aliis, demus ipſis, apud quos jactura facta eſt. Neminem ab excitanda domo ruina deter-

(a) *Tit. Mendacium.* † *Al.* Vi tractus. (b) *Tit. Opificium. Providentia. Beneficia Dei. Eleemoſina. Dilectio inimicorum.*

terruit. Et quum penates ignis abſumſit, fundamenta tepente adhuc areâ ponimus: & urbes hauſtas ſæpius eodem loco condimus. Adeo ad bonas ſpes pertinax animus eſt. Terra marique humana opera ceſſarent, niſi male cadentia iterum tentare libuiſſet. *Ibid. cap.* 31.

Ingratus eſt. Non mihi fecit injuriam, ſed ſibi. Ego beneficio meo, quum darem, uſus ſum. Nec ideo pigrius dabo; ſed diligentius. Quod in hoc perdidi, ab aliis re-
* cipiam. Sed huic ipſi beneficium dabo iterum: & tanquam bonus agricola, cura cultuque ſterilitatem ſoli vincam. Perit mihi beneficium: iſte omnibus. Non eſt (a) magni animi, dare & perdere. Hoc eſt magni animi, perdere & dare. *Ibid. cap.* 32.

Nemo non quum alteri prodeſt, ſibi profuit. *Epiſt.* 81.

Errat ſi quis exiſtimat facilem rem eſſe donare. Plurimum iſta res habet difficultatis, ſi modo conſilio tribuitur, non caſu & impetu ſpargitur. Hunc promereor: illi † reddo: huic ſuccurro: hujus miſereor: illum inſtruo, dignum quem non diducat paupertas, nec occupatum teneat. Quibuſdam non dabo, quamvis deſit: quia etiam ſi dedero, erit defuturum. Quibuſdam offeram: quibuſdam etiam inculcabo. Non poſſum in hac re eſſe negligens. Nunquam magis nomina facio, quam quum dono. Quid? tu, inquis, recepturus donas? immo non perditurus. Eo loco ſit donatio, unde repeti non debeat; reddi poſsit. Beneficium collocetur, quemadmodum theſaurus alte obrutus: quem non eruas, niſi fuerit neceſſe. Quid domus ipſa divitis viri? quantam habet benefaciendi materiam? Quis enim liberalitatem tantum ad togatos vocat? Hominibus prodeſſe natura jubet. Servi, liberi ne ſint; ingenui, an libertini; juſtæ libertatis, an inter amicos datæ: quid refert? Ubicumque homo eſt, ibi beneficio locus eſt. Poteſt etiam pecuniam intra limen ſuum diffundere, & liberalitatem exercere: quæ non quia liberis debetur; ſed quia a libero animo proficiſcitur, ita nominata eſt. Hæc apud ſapientem, nec unquam in turpes indignoſque impingitur: nec unquam ita defatigata erit, ut non quoties dignum inve-

(a) *Tit. Magnanimitas.* † *Al.* Credo.

venerit, quaſi ex pleno fluat. *Lib. de Vita beata, cap.* 24.

Bis eſt gratum quod opus eſt, ultro ſi offeras. *Ex Pub. Mim.*

Beneficia dare qui neſcit, injuſte petit. *Ex eodem.*

Beneficium dando accipit, qui digno dedit. *Ex eodem.*

Beneficia ſæpe dare, docere eſt reddere. *Ex eodem.*

Liberalis, etiam dandi cauſam excogitat. *Ex eodem.*

Beneficia dignis ubi das, omnes obligas. *Ex eodem.*

Cui ſemper des, ubi neges, rapere imperas. *Ex eodem.*

Pecuniæ imperare oportet, non ſervire. Pecunia ſi uti ſcias, ancilla eſt: ſi neſcias, domina. *Ex eodem.*

Pulcherrimum eſt, omnia præſtare nihil exigenti. *Ex eod.*

Quid eſt dare beneficium? Imitari Deum. *Ex eodem.*

Nihil negabis, quod petiturus es: nihil petas, quod negaturus ſis. *Ex eodem.*

Beneficium eſt, ſemper reddere bonitatis verba. *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam contrarium huic Tit.* Avaritia.

Avaritia, Prodigalitas.

EMittet *ſapiens* illam vocem, quam Romanus imperator emiſit, quum illi ob virtutem & bene geſtam Rempublicam, tantum agri decerneretur, quantum arando uno die circuire potuiſſet: non eſt (inquit) vobis eo opus cive, cui (a) plus opus ſit quam uni civi. Quanto majoris viri putas, reſpuiſſe hoc munus, quam meruiſſe? Multi enim imperatores fines aliis abſtulerunt: ſibi nemo conſtituit. *Lib. 7. de Benef. cap.* 7.

Quid agis avaritia? Quot rerum caritate aurum tuum victum eſt? Omnia iſta quæ retuli, in majore honore pretioque ſunt. Nec volo tuas opes recognoſcere: laminas utriuſque materiæ, ad quas cupiditas noſtra caligat. At mehercule terra, quæ quicquid utile futurum nobis erat protulit, iſta defodit & merſit: & ut noxiis rebus, ac malo gentium in medium produturis, toto pondere incubuit. Video ferrum ex iiſdem tenebris eſſe prolatum, quibus aurum &

(a) *Tit. Paupertas.*

argentum : ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium.... Quid fenus, & calendarium, & uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? Poſſum de rerum natura queri, quod aurum argentumque non interius abſconderit : quod non illis majus, quam quod detrahi poſſet, pondus injecerit. Quid ſunt iſtæ tabulæ, quid computationes & venale tempus?.... Voluntaria mala, ex conſtitutione noſtra pendentia : in quibus nihil eſt quod ſubjici oculis, quod teneri manu poſsit : inanis avaritiæ ſomnia. O miſerum! (a) ſi quem delectat ſui patrimonii liber magnus ; & vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos ; & immenſi greges pecorum per provincias ac regna paſcendi ; & familia bellicoſis nationibus major ; & ædificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia. Quum bene iſta per quæ divitias ſuas diſpoſuit ac fudit, circumſpexerit ; ſuperbumque ſe fecerit : ſi quicquid habet, ei quod cupit, comparet ; pauper eſt. *Lib. 7. de Benef. cap.* 10.

Quum Cajus Cæſar (b) *Demetrio* ducenta talenta donaret, ridens rejecit : ne dignam quidem ſummam judicans, qua non accepta gloriaretur. Dii deæque, quam puſillo illum animum, aut honorare voluit, aut corrumpere! Reddendum egregio viro teſtimonium eſt. Ingentem rem ab illo dici audivi, quum miraretur Caji dementiam, quod ſe putaſſet tanti poſſe mutari. Si tentare, inquit, me conſtituerat, toto illi fui experiendus imperio. *Ibid. cap.* 11.

Qui eget divitiis, timet pro illis. Nemo autem ſollicito bono fruitur. Adjicere illis aliquid ſtudet, dum de incremento cogitat. Oblitus eſt uſus, rationes accipit, forum conterit, calendarium verſat, fit ex domino procurator. *Epiſt.* 14.

* Vidiſti aliquando canem, miſſa a domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? Quicquid excepit, protinus integrum devorat : & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis. Quicquid exſpectantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate demittimus ; ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti. *Epiſt.* 72.

Quicquid nobis bono futurum erat, Deus & parens noſter

(a) *Tit. Luxus.* (b) *Tit. Contemtus divitiarum.*

ſter in proximo poſuit. Non exſpectavit inquiſitionem noſtram: ultro dedit: nocitura altiſsime preſsit. Nihil niſi de nobis queri poſſumus. Ea quibus periremus, nolente rerum natura & abſcondente, protulimus. *Epiſt.* 110.

Nunc mihi permitte narrare fabulam. Aſclepiodotus auctor eſt, demiſſos quam plurimos a Philippo in metallum antiquum olim deſtitutum, ut explorarent quæ ubertas ejus eſſet, quis ſtatus, an aliquid futuris reliquiſſet vetus avaritia: deſcendiſſe illos cum multo lumine, & multos duraſſe dies: deinde longa via fatigatos, vidiſſe flumina ingentia: & conceptus aquarum inertium vaſtos, pares noſtris, nec compreſſos quidem terra ſupereminente, ſed liberæ laxitatis, non ſine horrore viſos. Cum magna hæc legi voluptate. Intellexi enim ſæculum noſtrum non novis vitiis, ſed jam antiquitus traditis laborare: nec noſtra ætate primum avaritiam, venas terrarum lapidumque rimatam, in tenebris male obſtruſa quæſiſſe. Illi quoque majores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſsimiles querimur nos eſſe, ſpe ducti montes cæciderunt, & ſupra lucrum ſub ruina ſteterunt. Ante Philippum Macedonem reges fuerunt, qui pecuniam in altiſsimis uſque latebris ſequerentur; & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum noctium dierumque perveniret diſcrimen; & a tergo lucem relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? Quæ tanta neceſsitas hominem ad ſidera erectum incurvavit & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, ut erueret aurum, non minore periculo quærendum, quam poſsidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incertamque raptavit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, a qua ſe avertit. Nulli ergo mortuo terra tam gravis eſt, quam iſtis, ſupra quos avaritia urgens terrarum pondus injecit: quibus abſtulit cælum: quos in imo, ubi illud malum virus latitat, infodit. Illo deſcendere auſi ſunt, ubi novam rerum poſitionem, terrarumque pendentium habitus, ventoſque per cæcum inane experirentur; & aquarum in illis fluentium horridos fontes; & altam perpetuamque noctem. Deinde quum iſta fecerint, inferos metuunt. *Lib.* 5. *Nat. Quæſt. cap.* 15.

De contemtu pecuniæ multa dicunt : & longiſsimis orationibus hoc præcipitur ; ut homines in animo , non in patrimonio putent eſſe divitias. Eum eſſe locupletem , qui paupertati ſuæ aptatus eſt , & parvo ſe divitem fecit. Magis tamen feriuntur animi quum carmina ejuſmodi dicta ſunt :

Is minimo eget mortalis , qui minimum cupit.
Quod vult habet , qui velle quod ſatis eſt , poteſt.
Epiſt. 108.

Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ. *Ex Pub. Mim.*
Avarus niſi quum moritur , nihil recte facit. *Ex eodem.*
Deſunt luxuriæ multa ; avaritiæ omnia. *Ex eodem.*
Hæredis fletus , ſub perſona riſus eſt. *Ex eodem.*
In nullum avarus bonus eſt ; in ſe peſsimus. *Ex eodem.*
Inſtructa inopia eſt , in divitiis cupiditas. *Ex eodem.*
Monſtro (a) ſimilis eſt avaritia ſenilis. *Ex eodem.*
Negandi cauſa nunquam avaro deficit. *Ex eodem.*
Pecunia non ſatiat avarum , ſed irritat. *Ex eodem.*
Quietiſsime viverent homines in terris , ſi duo verba tollerentur : meum , & tuum. *Ex eodem.*
Qui paupertatem timet , timendus eſt. *Ex eodem.*
Tam deeſt avaro quod habet , quam quod non habet. *Ex eodem.*
Avaro quid mali optes , niſi ut vivat diu ? *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam Tit.* Divitiæ , *& Tit.* Paupertas.

Divitiæ , Divites.

DIſcedent aliquando iſta inſidioſa bona , & ſperantibus meliora , quam aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi , aliquando & implerent.... Quare potius a fortuna impetrem ut det , quam a me ne petam ? Quare autem petam , oblitus fragilitatis humanæ ? *Epiſt.* 15.

Quod bonum eſt , bonos facit. Nam & in arte muſica quod bonum eſt , bonos facit muſicos. Fortuita bonum non faciunt : ergo non ſunt bona... Quod contemtiſsimo cui-

(a) *Tit. Senectus.*

cuique contingere ac turpiſsimo poteſt, bonum non eſt. Opes autem & lenoni & laniſtæ contingunt: ergo non ſunt bona. *Epiſt.* 87.

Nulli nos vitio natura conciliat. Nos illa liberos ac integros genuit. Nihil quidem quod avaritiam noſtram irritaret, poſuit in aperto. Pedibus aurum & argentum ſubjecit. Calcandumque ac premendum dedit, quicquid eſt, propter quod calcamur ac premimur. Illa (a) vultus noſtros erexit in cælum: & quidquid magnificum mirumque fecerat, videri a ſuſpicientibus voluit: ortus occaſuſque, & properantis mundi volubilem curſum, interdiu terrena aperientem, noctu cæleſtia: tardos ſiderum inceſſus, ſi compares toti; citatiſsimos, ſi cogites quanta ſpatia, nunquam intermiſſa velocitate circumeant: defectus Solis & Lunæ invicem obſtantium.... † Hæc ſupra nos natura diſponit. Aurum quidem & argentum, & propter iſta nunquam pacem agens ferrum, quaſi male nobis committerentur, abſcondit. Nos in lucem, propter quæ pugnaremus, extulimus. Nos & cauſas periculorum noſtrorum, & inſtrumenta, disjecto terrarum pondere eruimus. Nos fortunæ mala noſtra tradidimus: nec erubeſcimus ſumma apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Vis ſcire, quam falſus oculos tuos decipit fulgor? Nihil eſt iſtis quamdiu merſa & involuta cœno ſuo jacent, fœdius, nihil obſcurius. Quid ni? Quando per longiſsimorum cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil eſt illis, dum fiunt & a fæce ſua ſeparantur, informius. Denique ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile terræ genus † & informe perpurgatur: videbis quanta fuligine oblinantur. Atqui iſta magis inquinant animos quam corpora: & in poſſeſſore eorum, quam in artifice, plus eſt ſordium. *Epiſt.* 94.

Abſtrahunt a recto divitiæ, honores, potentiæ, & cetera, quæ opinione hominum cara ſunt; pretio ſuo vilia. Neſcimus (b) æſtimare res, de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quod mentes noſtras in ſe trahat, præter hoc

(a) *Tit. Opificium.* † *Vetus lectio*: Supra nos itura diſpoſuit. † *Al.* Et infernum. (b) *Tit. Æſtimatio rerum.*

quod mirari illa consuevimus. Non enim quia concupiscenda sunt, laudantur; sed quia concupiscuntur, laudata sunt. Hanc præcedentem causam habent divitiæ. Mutant animos: superbiam pariunt: invidiam contrahunt: eo usque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona, omni culpa carere decet: pura sunt: non corrumpunt animos, non sollicitant: extollunt quidem animos, sed sine tumore. Quæ bona sunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam. Quæ bona sunt, magnitudinem animi dant; divitiæ insolentiam. *Lib. de Paupert. sive in Excerpt. prior.*

Facit quidem avidos (a) nimia felicitas. Nec tam temperatæ cupiditates sunt unquam, ut in eo quod contigit, desinant. Gradus a magnis ad majora fit: & spes improbissimas complectuntur, insperata assecuti. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 1.

Nec se sapiens indignum ullis muneribus fortuitis putat. Non amat divitias, sed mavult. Non in animum illas, sed in domum recipit. Nec respuit possessas, sed continet: & majorem virtuti suæ materiam subministrari vult. *De Vita beata, cap.* 21.

Quid autem dubii est, quin major materia sapienti viro sit animum explicandi suum in divitiis, quam in paupertate? quum in hac unum genus virtutis sit, non inclinari, nec deprimi: in divitiis, & temperantia, & liberalitas, & diligentia, & dispositio, & magnificentia, campum habent patentem? Non contemnet se sapiens, etiam si fuerit minimæ staturæ: esse tamen se procerum vellet. Et exilis corpore, ac amisso oculo valebit: mallet tamen sibi corporis esse robur. Et hæc ita, ut scias esse aliud in se valentius. Malam valetudinem tolerabit; bonam optabit. Quædam enim etiamsi in summam rei parva sunt, ut & subduci sine ruina principalis boni possint: adjiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam, & ex virtute nascentem. Sic illum afficiunt divitiæ & exhilarant, ut navigantem securus & ferens ventus; ut dies bonus, & in † pruina ac frigore apricus locus. Quis porro sapientum, nostrorum di-

(a) *Tit. Prosperitas.* † *Al.* Bruma.

dico, quibus unum eſt bonum virtus, negat etiam hæc quæ indifferentia vocamus, habere in ſe aliquid pretii; & alia aliis eſſe potiora? Quibuſdam ex his tribuitur aliquid honoris; quibuſdam multum. Ne erres itaque: inter potiora divitiæ ſunt. Quid ergo (inquis) me derides, quum eundem apud te locum habeant, quem apud me? Vis ſcire quam non habeant eundem locum? Mihi divitiæ ſi effluxerint, nihil auferent niſi ſemetipſas: tu ſtupebis, & videberis tibi ſine te relictus, ſi illæ a te receſſerint. Apud me divitiæ aliquem locum habent: apud te ſummum. Ad poſtremum, divitiæ meæ ſunt: tu divitiarum es. *Ibid. cap.* 22.

Deſine ergo philoſophis pecunia interdicere. Nemo ſapientiam paupertate damnavit. Habebit philoſophus amplas opes: ſed nulli detractas, nec alieno ſanguine cruentas, ſine cujuſquam injuria partas, ſine ſordidis quæſtibus: quarum tam honeſtus ſit exitus, quam introitus: quibus nemo ingemiſcat, niſi malignus. In quantum vis, exaggera illas: honeſtæ ſunt: in quibus quum multa ſint, quæ quiſque ſua dicere velit; nihil eſt, quod quiſquam ſuum poſsit dicere. Ille vero fortunæ benignitatem a ſe non ſubmovebit: & patrimonio per honeſta quæſito nec gloriabitur, nec erubeſcet. Habebit tamen etiam quo glorietur, ſi aperta domo, & admiſſa in res ſuas civitate, poterit dicere: quod quiſque ſuum agnoverit, tollat. O magnum virum, optime divitem, ſi opus ad hanc vocem conſonet! ſi poſt hanc vocem tantundem habuerit! Ita dico, ſi tuto & ſecurus ſcrutationem populo præbuerit; ſi nihil quiſquam apud illum invenerit, quo manus injiciat; audacter & pro palam erit dives. Sicut ſapiens nullum denarium intra limen ſuum admittet male intrantem: ita & magnas opes, munus fortunæ, fructumque virtutis non repudiabit, nec excludet. Quid enim eſt, quare illis bonum locum invideat? veniant: hoſpitentur. Nec jactabit illas, nec abſcondet. Alterum infruniti animi eſt: alterum timidi & puſilli, velut magnum bonum intra ſinum continentis. Nec, ut dixi, ejiciet illas e domo. Quid enim dicet? utrum ne, inutiles eſtis: an, ego uti divitiis neſcio? Quemadmodum etiam ſi pedibus ſuis poterit iter conficere, aſcendere ta-

men vehiculum mallet : ſic ſi poterit eſſe dives, volet : & habebit utique opes, ſed tanquam leves & avolaturas : nec ulli alii, nec ſibi graves eſſe patietur. Donabit. Quid ? Erexiſtis aures ? Quid ? Expeditis ſinum ? Donabits, aut bonis; aut eis quos facere poterit bonos. Donabit cum ſummo conſilio, digniſsimos eligens : ut qui meminerit, tam expenſorum, quam acceptorum rationem eſſe reddendam. Donabit ex recta & probabili cauſa. Nam inter turpes jacturas malum munus eſt. Habebit ſinum facilem ; non perforatum : ex quo multa exeant ; nihil excidat. *Lib. de Vita beata, cap.* 23.

Quid ergo inter me ſtultum & te ſapientem virum intereſt, ſi uterque habere volumus ? Plurimum. Divitiæ enim apud ſapientem virum in ſervitute ſunt : apud ſtultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit : vobis divitiæ omnia. Vos, tanquam aliquis vobis æternam poſſeſsionem earum promiſerit, aſſueſcitis illis, & cohæretis : ſapiens tunc paupertatem præcipue meditatur, quum in mediis divitiis con-
* ſtitit. Nunquam imperator ita paci credit, ut non ſe præparet bello, quod etiam ſi non geritur, indictum eſt. Vos domus formoſa, tanquam nec ardere, nec ruere poſsit, inſolentes : vos opes, tanquam periculum omne tranſcenderint, majoreſque ſint quam quibus conſumendis ſatis virium
* habeat fortuna, obſtupefaciunt. Otioſi divitiis luditis, nec providetis illarum periculum. Sicut barbari plerumque incluſi, & ignari machinarum, ſegnes laborem obſidentium ſpectant, nec quo illa pertineant quæ ex longinquo ſtruuntur, intelligunt : idem vobis evenit. Marcetis in veſtris rebus : nec cogitatis quot caſus undique immineant, jam jamque pretioſa ſpolia daturi. Sapienti quiſquis abſtulerit divitias, omnia illi ſua relinquet. Vivit enim præſentibus lætus, futuri ſecurus. Nihil (a) magis, Socrates inquit, ... perſuaſi mihi, quam ne ad opiniones veſtras actum vitæ meæ flecterem. Solita conferte undique verba : non (b) conviciari vos putabo ; ſed vagire, velut infantes miſerrimos. *Lib. de Vita beata, cap.* 26.

¶ *Vide etiam finitimos huic Titulos* : Avaritia. Fortuna. *Pau-*

(a) *Tit. Vulgus.* (b) *Tit. Contra detractores.*

Paupertas.

NOn puto pauperem, cui quantulumcumque ſupereſt, ſat eſt. *Epiſt.* 1.

Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt.... Quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat, aut feneret; ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit divitiarum modus, quæris? Primus, habere quod neceſſe eſt: proximus, quod ſat eſt. *Epiſt.* 2.

Magnæ divitiæ ſunt, lege naturæ compoſita paupertas. Lex autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit? Non eſurire, non ſitire, non algere. Ut famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſsidere liminibus: nec ſupercilium grave, & contumelioſam etiam humanitatem pati. Non eſt neceſſe maria tentare, nec ſequi caſtra. Parabile eſt quod natura deſiderat, & expoſitum. Ad ſupervacua ſudatur. Illa ſunt quæ togam conterunt, quæ nos feneſcere ſub tentorio cogunt, quæ in aliena litora impingunt. Ad manum eſt, quod ſat eſt. *Epiſt.* 4.

Ab Epicuro dictum eſt: ſi ad naturam vives, nunquam eris pauper: ſi ad opiniones, nunquam eris dives. Exiguum natura deſiderat; opinio immenſum. Congeratur in te quicquid multi locupletes poſſederunt. Ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura veſtiat, & eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abſcondas: & non tantum habere tibi liceat, ſed calcare divitias. Accedant ſtatuæ, & picturæ, & quicquid ars ulla luxuriæ elaboravit. Majora cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt. Ex falſa opinione naſcentia, ubi deſinant non habent: nullus enim terminus falſo eſt. Via eunti aliquid extremum eſt: error, im- ✲
menſus eſt. Retrahe ergo te a vanis: & quum voles ſcire quod petis, utrum naturalem habeat an cæcam cupiditatem; conſidera, an poſsit alicubi conſiſtere. Si longe progreſſo, ſemper aliquid longius reſtat, ſcito id naturale non eſſe. *Epiſt.* 16.

Re-

Repræſentat opes ſapientia : quas cuicumque fecit ſupervacuas , dedit.... Poteram hoc loco epiſtolam claudere , niſi te male inſtituiſſem. Reges Parthos non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere : tibi vale dicere non licet gratis. Quid iſthuc ? ab Epicuro mutuum ſumam. Multis , paraſſe divitias non finis miſeriarum fuit , ſed mutatio. Non hoc miror. Non eſt enim in rebus vitium , ſed in ipſo animo. Illud quod paupertatem gravem fecerat , & divitias
* graves fecit. Quemadmodum nihil differt , utrum ægrum in ligneo lecto , an in aureo colloces (quocumque illum tranſtuleris , morbum ſuum ſecum transfert) : ſic nihil refert, utrum animus æger in divitiis , an in paupertate ponatur. Malum ſuum illum ſequitur. *Epiſt.* 17.

Nemo alius eſt (a) Deo dignus , quam qui opes contemſit : quarum poſſeſsione tibi non interdico ; ſed efficere volo , ut illas intrepide poſsideas : quod uno conſequeris modo , ſi te etiam ſine illis beate victurum perſuaſeris tibi ; ſi illas tanquam exituras ſemper aſpexeris. *Epiſt.* 18.

Ille ingentis (b) animi eſt , qui *divitias* circumfuſas ſibi multum diuque miratus , quod ad ſe venerint , ridet ; ſuaſque audit magis eſſe quam ſentit. Multum eſt non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus eſt ille , qui in divitiis pauper eſt : ſed ſecurior , qui caret divitiis. *Epiſt.* 20.

Quoties aliquid inveni , non exſpecto donec dicas : in commune : ipſe mihi dico. Quid ſit quod invenerim , quæris ? Sinum laxa : merum lucrum eſt. Docebo quo modo fieri dives celerrime poſsis : quod valde cupis audire. Nec immerito : ad maximas te divitias compendiaria ducam. Opus erit tamen tibi creditore. Ut negotiari poſsis , æs alienum facias oportet : ſed nolo per interceſſorem mutueris ; nolo proxenetæ nomen tuum jactent. Paratum (c) tibi creditorem dabo. † Catonianum illud : a te mutuum ſumes. Quantulumcumque eſt , ſatis erit ; ſi quicquid deerit, id a nobis peti erimus. Nihil enim (mi Lucili) intereſt , utrum non deſideres , an habeas. Summa rei in utroque eſt eadem : non torqueberis. Nec illud præcipio , ut aliquid natu-

(a) *Chriſtiana vox.* (b) *Tit. Magnanimitas.* (c) *Tit. Parſimonia.*
† *Al.* Hecatonianum *corrigit Pincianus.*

turæ neges: contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit: ſed ut quicquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio: edendum eſt. Utrum hic panis ſit plebejus, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio. Utrum hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea quam multa nive † eliſero, ut † rigore refrigeretur alieno; ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, ſitim extingui. Utrum ſit aureum poculum, an criſtallinum, an vitreum, an Tiburtinus calix, an manus concava; nihil refert. Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes. Fames me appellat: ad proxima quæque porrigatur manus. † En ipſa mihi commendavit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit eſuriens. Quid ſit ergo quod me delectaverit, quæris? Videtur mihi egregie dictum: ſapiens divitiarum naturalium eſt quæſitor acerrimus. Inani me, inquis, lance muneras. Quid eſt illud inane? Jam ego paraveram fiſcos. Circumſpiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem: quod publicum agitarem: quas arceſſerem merces. Decipere eſt iſtud, docere paupertatem, quum divitias promiſeris. Ita tu pauperem judicas, cui nihil deeſt. Suo, inquis, & patientiæ ſuæ beneficio; non fortunæ. Ideo ergo illum non judicas divitem, quia divitiæ ejus deſinere non poſſunt? Utrum malis habere multum, an ſatis? Qui multum habet, plus cupit: quod eſt argumentum, nondum illum ſatis habere. Qui ſatis habet, conſecutus eſt (quod nunquam diviti contingit) finem. An has ideo non putas eſſe divitias, quia propter illas nemo proſcriptus eſt? Quia propter illas nulli venenum filius, nulli uxor impegit? Quia in bello tutæ ſunt? Quia in pace otioſæ? Quia nec habere illas periculoſum eſt, nec operoſum diſponere? An parum habet, qui tantum non alget, non eſurit, non ſitit? Plus Juppiter non habet. Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt. Nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos, pauper eſt Alexander Macedo: quærit quod ſuum faciat: ſcrutatur maria ignota: in Oceanum claſ-

† *Al.* Cluſero, *ſive* clauſero. † *Al.* Frigore. † *Sic ex Pinciano Granatenſis.*

claſſes mittit novas : & (ut ita dicam) mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt , homini non eſt ? Inventus eſt , qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Tanta eſt cæcitas mentium : & tanta initiorum ſuorum unicuique quum proceſsit , oblivio. Ille modo ignobilis anguli non ſine controverſia dominus , de tanto fine terrarum per ſuum rediturus orbem triſtis eſt. Neminem pecunia divitem fecit : immo contra , nulli non majorem ſui cupiditatem incuſsit. Quæris quæ ſit hujus rei cauſa ? Plus incipit habere poſſe , qui plus habet.... At hic qui ſe ad id quod natura exigit , compoſuit ; non tantum extra ſenſum eſt paupertatis , ſed extra metum.... At excæcant populum , & in ſe convertunt opes ; ſi numerati multum ex aliqua domo effertur : ſi multum auri tecto quoque ejus illinitur : ſi familia aut corporibus electa , aut ſpectabilis cultu eſt. Omnium iſtorum (a) felicitas in publicum ſpectat. Ille quem nos & populo & fortunæ ſubduximus , beatus introrſum eſt.

* Nam quod ad illos pertinet , apud quos falſo divitiarum nomen invaſit occupata paupertas ; ſic divitias habent , quo modo habere dicimus febrem , quum illa nos habeat. E contrario dicere debemus : febris illum tenet. Eodem modo dicere debemus : divitiæ illum tenent. *Epiſt.* 119.

Ob hoc unum amanda eſt paupertas , † quod a quibus ameris , oſtendat. *Lib. de Paupertate , ſive in Excerptis prior.*

Paupertas mihi gravis eſt. Immo tu paupertati. Non in paupertate vitium eſt , ſed in paupere. Illa expedita eſt , hilaris , tuta. Pauper ſum. Neſcis te opinione , non re laborare. Pauper es , quia videris. Pauper ſum. Nihil deeſt avibus. Pecora in diem vivunt. Feris ad alimenta ſolitudo ſua ſufficit. † Accepit ille grandem pecuniam. Ergo & ſuperbiam. *In Excerptis poſter.*

Pecuniam perdidi. Fortaſſe te illa perdidiſſet. Pecuniam perdidi. Sed habuiſti. Pecuniam dedi. Sed habebis inde periculi minus. Pecuniam perdidi. O te felicem , ſi cum illa avaritiam perdidiſti ! Sed ſi manet illa apud te ; es tamen ut-

(a) *Tit. Felicitas.* † *Al.* Quod animum ſi intendit , liberum reddit. † *Seq. in nonnullis exemplaribus deſunt.*

utcumque felicior, quod tanto malo materia ſubducta eſt. Perdidi pecuniam. Et illa quidem quam multos. Eris nunc in via expeditior; domi tutior. Non habebis: ſed non timebis hæredem. Exoneravit te fortuna, ſi intelligis, & tutiore loco poſuit. Damnum putas? Remedium eſt. Defles, gemis, miſerum te clamitas, quod opibus excuſſus es? Tuo vitio iſta tibi jactura tam triſtis eſt. Non tam moleſte ferres, ſi tanquam perditurus habuiſſes. *Ibidem.*

Tranſeamus (a) ad patrimonia, maximam humanarum ærumnarum materiam. Nam ſi omnia alia quibus angimur compares, mortes, ægrotationes, metus, deſideria, dolorum laborumque patientiam, cum iis quæ nobis mala pecunia noſtra exhibet; hæc pars multum prægravabit. Itaque cogitandum eſt, quanto levior dolor ſit non habere, quam perdere: & intelligemus paupertatem eo minorem tormentorum, quo minorem damnorum eſſe materiam. Erras enim ſi putas, animoſius detrimenta divites ferre. Maximis minimiſque corporibus par eſt dolor vulneris. Bion eleganter ait, non minus moleſtum eſſe calvis, quam comatis, pilos velli. Idem ſcias licet de pauperibus locupletibuſque: par illis eſſe tormentum. Utriſque enim pecunia ſua adhæſit: nec ſine ſenſu avelli poteſt. Tolerabilius autem eſt (ut dixi) faciliuſque non acquirere, quam amittere. Ideoque lætiores videbis quos nunquam fortuna reſpexit, quam quos deſeruit. Vidit hoc Diogenes vir ingentis animi, & effecit ne quid ſibi eripi poſſet. Tu iſtud paupertatem, inopiam, egeſtatem voca, & quod voles ignominioſum ſecuritati nomen impone. Putabo hunc non eſſe felicem, ſi quem mihi alium inveneris, cui nihil pereat. Aut fallor, aut regnum eſt inter avaros, circumſcriptores, latrones, plagiarios; unum eſſe cui noceri non poſsit. Si quis (b) de felicitate Diogenis dubitat, poteſt idem dubitare & de Deorum immortalium ſtatu, an parum beate degant; quod illis non prædia nec horti ſint, nec alieno colono rura pretioſa, nec grande in foro fenus. Non te pudet quiſquis divitiis adſtupes? Reſpice agedum mundum. Nudos videbis Deos, omnia dantes, nihil habentes.

(a) *Tit. Divitiæ.* (b) *Tit. Felicitas.*

tes. Hunc tu pauperem putas ; an diis immortalibus ſimilem, qui ſe fortuitis omnibus exuit ? Feliciorem tu Demetrium Pompejanum vocas , quem non puduit locupletiorem eſſe Pompejo ? Numerus illi quotidie ſervorum , velut imperatori exercitus , referebatur.... At Diogeni ſervus unicus fugit : nec eum reducere , quum monſtraretur, tanti putavit. Turpe eſt , inquit , Manen ſine Diogene poſſe vivere ; Diogenem ſine Mane non poſſe. Videtur mihi dixiſſe : age tuum negotium fortuna : nihil apud Diogenem tuum eſt. Fugit mihi ſervus : immo liber abiit. Familia veſtiarium petit victumque. Tot ventres avidiſsimorum animalium tuendi ſunt. Emenda veſtis , & cuſtodiendæ rapaciſsimæ manus , & flentium deteſtantiumque miniſteriis utendum. Quanto ille felicior qui nihil ulli debet , niſi cui facillime negat , ſibi. Sed quoniam non eſt tantum roboris nobis , anguſtanda certe ſunt patrimonia : ut minus ad in-
* jurias fortunæ ſimus expoſiti. Habiliora ſunt corpora in bello quæ in arma ſua contrahi poſſunt , quam quæ ſuperfunduntur , & undique magnitudo ſua vulneribus objecit. Optimus pecuniæ modus eſt , qui nec in paupertatem cadit , nec procul a paupertate diſcedit. *Lib. de Tranq. animi , cap.* 8.

Placebit autem hæc nobis menſura , ſi prius (a) parſimonia placuerit : ſine qua nec ullæ opes ſufficiunt , nec ullæ non ſatis patent : præſertim quum in vicino remedium ſit , & poſsit ipſa paupertas in divitias ſe , advocata frugalitate , convertere. Aſſueſcamus a nobis removere pompam , & uſu rerum ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio ſitim : libido qua neceſſe eſt fluat. Diſcamus membris noſtris inniti : cultum victumque non ad nova exempla componere , ſed ut majorum ſuadent mores. Diſcamus continentiam augere ; luxuriam coërcere ; gulam temperare ; iracundiam lenire ; paupertatem æquis oculis aſpicere; frugalitatem colere ; † etiam ſi nos pudebit, deſideriis naturalibus parvo parata remedia adhibere ; ſpes effrenatas , & animum in futura eminentem velut ſub vinculis habere ; id age-

(a) *Tit. Parſimonia.* † *Variant hoc loco inſigniter exemplaria. Nos Granatenſis lectionem penitus intactam reliquimus.*

agere, ut divitias a nobis potius quam a fortuna petamus. Non poteſt (inquam) tanta varietas & iniquitas caſuum ita depelli, ut non multum procellarum irruat magna ar- * mamenta pandentibus. Cogendæ in arctum res ſunt, ut tela in vanum cadant. Ideoque exſilia interdum (a) calamitateſque in remedium ceſſere: & levioribus incommodis graviora ſanata ſunt, ubi parum audit præcepta animus., nec curari mollius poteſt. Quidni conſulitur? ſi & paupertas, & ignominia, & rerum everſio adhibetur? Malo malum opprimitur. Aſſueſcamus ergo (b) cœnare poſſe ſine populo; & ſervis paucioribus ſerviri; & veſtes parare in quod inventæ ſunt; habitare contractius. *Ibid. cap. 9.*

In paupertate nihil mali eſſe, quiſquis modo nondum pervenit in inſaniam omnia ſubvertentis avaritiæ ac luxuriæ, intelligit. Quantulum eſt enim quod in tutelam homini neceſſarium ſit? & cui deeſſe hoc poteſt, ullam modo virtutem habenti? Quod ad me quidem pertinet, intelligo me non opes, ſed occupationes perdidiſſe. Corporis exigua deſideria ſunt. Frigus ſubmovere vult: alimentis (c) famem ac ſitim extinguere: quicquid extra concupiſcitur, vitiis non uſibus laboratur. Non eſt neceſſe omne perſcrutari profundum, nec ſtrage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto litore eruere. Dii iſtos deæque perdant, quorum luxuria tam invidioſi imperii fines tranſcendit. Ultra Phaſim capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat. Nec piget a Parthis, a quibus nondum pœnas repetimus, aves petere. Undique convehunt omnia nota faſtidienti gulæ. Quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt ut edant: edunt ut vomant. Epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Iſta ſi quis deſpicit, quid illi paupertas nocet? Si quis concupiſcit, illi paupertas etiam prodeſt. Invitus enim ſanatur: & ſi remedia ne coactus quidem recipit, interim certe dum non proſunt illa, nolenti ſimilis eſt. C. Cæſar, (d) quem mihi videtur rerum natura edidiſſe, ut oſtenderet quid ſumma vitia in ſumma for-

(b) *Tit. Adverſitas.* (c) *Tit. Parſimonia.* (c) *Tit. Gula. Luxus.* (d) *Tit. Luxus.*

fortuna poſſent, centies ſeſtertio cœnavit uno die: & in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit quo modo provinciarum tributum una cœna fieret. O miſerabiles, quorum palatum niſi ad pretioſos cibos non excitatur! Pretioſos autem, non eximius ſapor aut aliqua faucium dulcedo, ſed raritas & difficultas parandi facit. Alioquin ſi ad ſanam illis mentem placeat reverti, quid opus eſt tot artibus ventri ſervientibus? quid mercaturis? quid vaſtatione ſilvarum? quid profundi perſcrutatione? Paſsim jacent alimenta, quæ rerum natura omnibus locis diſpoſuit. Sed hæc velut cæci tranſeunt: & ad omnes regiones pervagantur; maria trajiciunt: & quum famem exiguo cibo poſsint ſedare, magno irritant. *Lib. de Conſol. ad Helviam, cap. 9.*

Libet dicere: quid deducitis naves? quid manus & adverſus feras & adverſus homines armatis? quid tanto tumultu diſcurritis? quid opes opibus aggeritis? Non vultis cogitare, quam parva vobis corpora ſint? Nonne furor & ultimus mentium error eſt, quum tam exiguum capias, cupere multum? Licet itaque augeatis cenſus, promoveatis fines: nunquam tamen corpora veſtra laxabitis. Quum bene ceſſerit negotiatio, multum militia retulerit: quum indagati undique cibi coïerint; non habebitis ubi iſtos apparatus veſtros collocetis. Quid tam multa conquiritis? Scilicet! majores noſtri, quorum virtus etiam nunc vitia noſtra ſuſtentat, infelices erant, qui ſibi manu ſua parabant cibum: quibus terra cubile erat: quorum tecta nondum auro fulgebant: quorum templa nondum gemmis nitebant. Itaque tunc per fictiles Deos religioſe jurabatur: qui per illos juraverant, ad hoſtem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet! minus beate vivebat dictator noſter, qui Samnitum legatos audit, quum viliſsimum cibum in foco ipſe manu ſua verſaret, illa qua jam ſæpe hoſtem percuſſerat, laureamque in Capitolini Jovis gremio repoſuerat; quam Apicius noſtra memoria vixit: qui in ea urbe, ex qua aliquando philoſophi velut corruptores juventutis abire juſsi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſæculum infecit: cujus exitum noſſe operæ pretium eſt. Quum ſeſtertium millies in culinam congeſsiſſet; quum tot congia-

ria

ria principum, & ingens capitolii vectigal ſingulis comeſſationibus hauſiſſet; ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit. Superfuturum ſibi ſeſtertium centies computavit: & velut in ultima fame victurus, ſi in ſeſtertium centies vixiſſet; veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, non animi. *Ibid. cap.* 10.

Seſtertium centies aliquis extimuit: & quod alii voto petunt, veneno fugit. Illi vero tam pravæ mentis homini ultima potio ſaluberrima fuit. Tunc venena edebat bibebatque, quum immenſis epulis non delectaretur tantum, ſed gloriaretur; quum vitia ſua oſtentaret; quum civitatem in luxuriam ſuam converteret; quum juventutem ad imitationem ſui ſollicitaret, etiam ſine malis exemplis per ſe docilem. Hæc accidunt divitias non ad rationem revocantibus, cujus certi ſunt fines: ſed ad vitioſam conſuetudinem, cujus immenſum & incomprehenſibile arbitrium eſt. Cupiditati nihil ſatis eſt: naturæ etiam ſatis eſt parum. Nullum ergo paupertas exſulis incommodum habet: nulli enim tam inops exſilium eſt, quod non alendo homini abunde fertile ſit. At, veſtem an domum deſideraturus eſt exſul? Si hæc quoque ad uſum tantum deſiderabit, nec tectum ei deerit, nec velamen. Æque enim exiguo tegitur corpus, quam alitur. Nihil homini natura, quod neceſſarium ſciebat, fecit operoſum. Si deſiderat ſaturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variiſque coloribus diſtinctam & artibus: non fortunæ iſte vitio, ſed ſuo pauper eſt. Etiam ſi illis quicquid amiſerit, reſtitueris; nihil ages. Plus enim reſtituto deerit ex eo quod cupit, quam exſuli ex eo quod habuit. Si deſiderabit aureis fulgentem vaſis ſupellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, æs paucorum inſania pretioſum, & ſervorum turbam quæ quamvis magnam domum anguſtet, jumentorum corpora differta & coacta pingueſcere, & nationum omnium lapides: iſta congerantur licet; nunquam explebunt inexplebilem animum: non magis quam ullus ſufficiet humor ad ſatiandum eum, cujus deſiderium non ex inopia ſed ex æſtu

*ardentium viſcerum oritur. Non enim ſitis illa, ſed morbus eſt. Nec hoc in pecunia tantum aut alimentis evenit. Eadem natura eſt (a) in omni deſiderio, quod non ex inopia ſed ex vitio naſcitur. Quicquid illi congeſſeris, non finis erit cupiditatis ſed gradus. Qui continebit itaque ſe (b) intra naturalem modum, paupertatem non ſentiet. Qui naturalem modum excedet, eum in ſummis opibus quoque paupertas ſequetur. Neceſſariis rebus & exſilia ſufficiunt: ſupervacuis nec regna. Animus eſt qui divites facit. Hic in exſilia ſequitur: & in ſolitudinibus aſperrimis, quum quantum ſatis eſt ſuſtinendo corpori invenit, ipſe bonis ſuis abundat & fruitur. Pecunia (c) nihil ad animum pertinet: non magis quam ad Deos immortales omnia iſta quæ imperita ingenia, & nimis corporibus ſuis addicta, ſuſpiciunt. Lapides, aurum & argentum, & magni levatique menſarum orbes, terrena ſunt pondera: quæ non poteſt amare ſincerus animus ac naturæ ſuæ memor; levis ipſe, & quandocumque emiſſus fuerit, ad ſumma emicaturus. *Ibid. cap.* 11.

Nec me putes ad elevanda incommoda paupertatis (quam nemo gravem ſentit, niſi qui putat) uti tantum præceptis ſapientum. Primum aſpice quanto major pars ſit pauperum, quos nihilo notabis triſtiores ſollicitioreſque divitibus: immo neſcio an eo lætiores ſint, quod animus eorum in pauciora diſtringitur. *Lib. de Conſol. ad Helviam, cap.* 12.

Hominem experiri multa paupertas jubet. *Ex Pub. Mim.*

Quæ ſunt maximæ divitiæ? non deſiderare divitias. *Ex eodem.*

Quis plurimum habet? is qui minimum cupit. *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam hac de re finitimos huic Titulos*, Divitiæ, Liberalitas, Avaritia, Luxus, Gula.

For-

(a) *Tit. Cupiditas.* (b) *Tit. Parſimonia.* (c) *Tit. Luxus.*

Fortitudo.

QUid profecerim, morti crediturus ſum. Non timide itaque componor ad illum diem, quo remotis ſtrophis ac fucis de me pronuntiaturus ſum, utrum loquar fortia, an ſentiam: numquid ſimulatio fuerit † & miquamus, quidquid contra fortunam jactavi verborum contumacium. Remove exiſtimationem hominum: dubia ſemper eſt, & in partem utramque dividitur. Remove ſtudia tota vita tractata: mors de te pronuntiatura eſt. Ita dico: diſputationes (a) & litterata colloquia, & ex præceptis ſapientum verba collecta, & eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi. Eſt enim oratio etiam timidiſsimis audax. Quid egeris, tunc apparebit, (b) quum animam ages. *Epiſt.* 26.

Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam, & retorridam manum Mucii, quam cujuſque fortiſsimi ſalvam? Stetit hoſtium flammarumque contemtor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem perſpectavit, donec Porſenna, cujus pœnæ favebat, gloriæ invidit; & ignem invito eripi juſsit. Hoc bonum, quid ni inter prima numerem? tantoque majus putem, quam illa ſecura & intentata fortunæ: quanto rarius eſt hoſtem amiſſa manu viciſſe, quam armata? Quid ergo? inquis. Hoc bonum tibi optabis? Quid ni? hoc enim, niſi qui poteſt & optare, non poteſt facere? .... Quid ni ego feliciorem putem Mucium qui ſic tractavit ignem, quaſi illam manum tractatori præſtitiſſet? In integrum reſtituit, quidquid erraverat. *Epiſt.* 66.

Si *homo* erectis oculis gladios micantes videt; & ſi ſcit ſua nihil intereſſe utrum anima per os, an per jugulum exeat; beatum voca. Si quum illi denuntiata ſunt corporis tormenta, & quæ caſu veniunt, & quæ potentioris injuriâ; ſi vincula, & exſilia, & vanas humanarum formidines mentium ſecurus audit, & dicit:

——— *Non ulla laborum,*
O virgo, nova mi facies, inopinave ſurgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ipſe peregi.

† *Al.* Et minus. (a) *Tit. Doctor.* (b) *Tit. Mors.*

Tu (a) hodie iſta denuntias: ego ſemper denuntiavi mihi. Hominem paravi ad humana. Præcogitati mali mollis ictus venit.... Ideo ſapiens aſſueſcit futuris malis: & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. *Epiſt.* 76.

Non (b) ſumus in ullius poteſtate, quum mors in noſtra poteſtate ſit. *Epiſt.* 91. *in fine.*

Hoc tamen habent in ſe peſsimum *ſophiſmata*, dulcedinem quamdam ſui faciunt, & animum ſpecie ſubtilitatis inductum tenent ac remorantur: quum tanta rerum moles vacet; quum vix tota vita ſufficiat, ut hoc unum diſcas: vitam contemnere. Quid regere? inquis. Secundum opus eſt. Nam nemo illam bene rexit, niſi qui contemſerat. *Epiſt.* 111.

Poſt tractatas quaſdam inutiles quæſtiones, Seneca ſic ait: (c) Hæc diſputamus attractis ſuperciliis, fronte rugoſa. Non poſſum hoc loco dicere illud Cæcilianum: o triſtes ineptias! ridiculæ ſunt. Quin itaque potius aliquid utile nobis ac ſalutare tractamus, & quærimus quo modo ad virtutes venire poſsimus? quæ ad illas via adducat? Doce me, non an fortitudo animal ſit: ſed nullum animal felix eſſe ſine fortitudine; niſi contra fortuita convaluit; & omnes caſus antequam exciperet, meditando prædomuit. Quid eſt fortitudo? Munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile. Quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in hac vitæ obſidione perdurat. Utitur enim ſuis viribus, ſuis telis. Hoc loco tibi Poſidonii noſtri ſententiam referre volo. Non eſt quod unquam fortunæ armis putes eſſe te tutum. † Tuis pugna. Contra ipſam fortunam non armant illa, quæ contra hoſtes. Inſtructi contra illam, inermes ſunt. Alexander quidem Perſas, & Hyrcanos, & Indos, & quicquid gentium in Oceanum extendit Oriens, vaſtabat fugabatque. Sed ipſe (d) modo occiſo amico, modo amiſſo, jacebat in tenebris, alias ſcelus, alias deſiderium ſuum mœrens. Victor tot regum atque populorum, iræ tri-

(a) *Tit. Ad patientiam præparatio.* (b) *Tit. Libertas.* (c) *Tit. Scientia.* † *Sequentem locum in omnibus fere exemplaribus corruptum hoc pacto corrigendum cenſuit Pincianus.* (d) *Tit. Victoria ſui.*

triſtitiæque ſuccubuit. Id enim egerat, ut omnia potius haberet in poteſtate, quam affectus. O quam magnis hominis erroribus tenentur! qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere: feliciſsimoſque ſe judicant, ſi multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungunt; ignari, quod ſit illud ingens paratumque regnum. Imperare ſibi maximum imperium eſt. *Epiſt.* 113.

Horatius Cocles ſolus implevit pontis anguſtias, adimique a tergo ſibi reditum (dum modo iter hoſti auferretur) juſsit: & tam diu reſtitit prementibus, donec revulſa ingenti ruinâ tigna ſonuerunt. Poſtquam reſpexit, & (a) extra periculum eſſe patriam periculo ſuo ſenſit; veniat, ſi quis vult (inquit) ſic euntem ſequi: deditque ſe in præceps. Et non minus ſollicitus in illo rapido alveo fluminis, ut armatus quam ut ſalvus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit quam ſi e ponte veniſſet. *Epiſt.* 120.

Intelligo quid jam dudum deſideres, quid efflagites. Malo (inquis) fulmina non timere, quam noſſe. Itaque alios doce quemadmodum fiant. Ego mihi metum illorum excuti malo, quam naturam indicari. Sequar quo vocas: omnibus enim rebus, omnibuſque ſermonibus (b) aliquid ſalutare miſcendum eſt. Quum imus per occulta naturæ; quum divina tractamus; vindicandus eſt a malis ſuis animus, ac ſubinde firmandus: quod etiam eruditis, & hoc unum agentibus neceſſarium eſt; non ut effugiamus ictus rerum (undique enim tela in nos jaciuntur) ſed ut fortiter conſtanterque patiamur. Invicti eſſe poſſumus; inconcuſsi non poſſumus: quamquam interim ſpes ſubit, inconcuſſos quoque eſſe nos poſſe. Quo modo? inquis. Contemne mortem, & omnia quæ ad mortem ducunt contemta ſunt: licet illa bella ſint, ſive naufragia; ſeu morſus ferarum, ſeu ruinarum ſubito lapſu procidentium pondera. Numquid amplius facere poſſunt, quam (c) ut corpus ab anima reſolvant? Hæc nulla diligentia evitat, nulla felicitas domat, nulla potentia evincit. Alia fortuito diſponuntur. Mors omnes æque vocat. Iratis diis

(a) *Tit. Pietas in patriam.* (b) *Tit. Linguæ moderatio.* (c) *Tit. Vita, & mors.*

propitiiſque moriendum eſt. Animus ex ipſa deſperatione ſumatur. Ignaviſsima animalia, quæ natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus pernicior hoſtis eſt, quam quem audacem anguſtiæ faciunt: longeque violentius ſemper ex neceſsitate quam ex virtute corrigitur. Majora (a) aut certe paria conatur animus magnus, ac perditus. Cogitemus, nos, quantum ad mortem, proditos eſſe: & ſumus. Ita eſt, Lucili. Omnes (b) reſervamur ad mortem. Totum hunc quem vides populum, quouſque cogitas eſſe? Cito natura revocabit & condet. Nec de re, ſed de die queritur. Eodem citius, tardiuſve veniendum eſt. Quid ergo? Non tibi timidiſsimus videtur & inſipientiſsimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nonne contemneres eum, qui inter perituros conſtitutus, beneficii loco peteret, ut ultimus cervicem præberet? Idem facimus. Magno æſtimamus, mori tardius.... Quid intereſt, utrum ad mortem juſsi eamus, an ultronei? O te dementem & oblitum fragilitatis tuæ, ſi tunc mortem times, quum tonat! Ita ne ſalus tua in hoc vertitur? Vives, ſi fulmen effugeris? Petet te gladius, petet te lapis, petet febris. Non maximum ex periculis, ſed ſpecioſiſsimum fulmen eſt. Male ſcilicet erit actum tecum, ſi ſenſum mortis tuæ celeritas infinita prævenerit. *Lib.* 2. *Nat. Quæſt. cap.* 59.

Pompejos, celebrem Campaniæ urbem ... † conſediſſe terræmotu, vexatis quæcumque adjacebant regionibus (Lucili virorum optime) audivimus: & quidem diebus hibernis, quos vacare a tali periculo majores noſtri ſolebant promittere.... Quid cuiquam ſatis tutum videri poteſt, ſi (c) mundus ipſe concutitur, & partes ejus ſolidiſsimæ labant? Si quod unum immobile eſt in illo fixumque, ut cuncta in ſe intenta ſuſtineat, fluctuat; ſi quod proprium habet terra, perdidit, ſtare: ubi tandem reſident metus noſtri? Quod corpora receptaculum invenient? Quo ſollicita confugient, ſi ab imo metus naſcitur, & funditus trahitur? Conſternatio omnium eſt ubi tecta crepuere, & ruina ſignum dedit.

(a) *Tit. Adverſitas.* (b) *Tit. Vita, & mors.* † *Al.* Deſediſſe.
(c) *Tit. Vita periculis referta.*

dit. Tunc præceps quiſque ſe proripit, & penates ſuos deſerit, ac ſe publico credit. Quam latebram proſpicimus, quod auxilium, ſi orbis ipſe ruinas agitet? Si hoc quod nos tuetur ac ſuſtinet; ſupra quod urbes ſitæ ſunt; quod fundamentum quidam orbis eſſe dixerunt; diſcedit ac titubat? Quid tibi eſſe non dico auxilii, ſed ſolatii poteſt, ubi timor fugam perdidit? Quid eſt, inquam, ſatis munitum? Quid ad tutelam alterius ac ſui firmum? Hoſtem muro repellam. Præruptæ altitudinis caſtella vel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur. A tempeſtate nos vindicant portus. Nimborum vim effuſam, & ſine fine cadentes aquas tecta propellunt. Fugientes non ſequitur incendium. Adverſus tonitrua & minas cæli, ſubterraneæ domus & defoſsi in altum ſpecus remedia ſunt. Ignis ille cæleſtis non tranſverberat terram; ſed exiguo ejus objectu retunditur. In peſtilentia mutare ſedes licet. Nullum malum ſine effugio eſt. Nunquam fulmina populos peruſſerunt. Peſtilens cælum exhauſit urbes; non abſtulit. Hoc malum latiſsime patet, inevitabile, avidum, publice noxium. Non enim domos ſolum, aut familias, aut urbes ſingulas haurit: ſed gentes totas, regioneſque ſubvertit: & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit. *Lib. 6. Nat. Quæſt. cap.* 1.

Proinde magnum ſumemus animum adverſus iſtam cladem, quæ nec evitari, nec provideri poteſt. Deſinamus audire iſtos qui Campaniæ renuntiavere: quique poſt hunc caſum emigraverunt, negantque ipſos unquam in ipſam regionem acceſſuros. Quis enim illis promittet, melioribus fundamentis hoc aut illud ſolum ſtare? Omnia ejuſdem ſortis ſunt, etſi nondum mota, tamen mobilia. Hunc fortaſſe in quo ſecurius conſiſtis locum, hæc nox aut hic ante noctem dies ſcindet. Unde ſcies an melior eorum locorum conditio ſit, in quibus jam vires ſuas fortuna conſumſit, & quæ in futurum ruina ſua fulta ſunt? Erramus enim, ſi ullam terrarum partem exceptam immunemque ab hoc periculo credimus. Omnes ſub eadem jacent lege. Nihil ita ut immobile eſſet, natura concepit. Alia temporibus aliis cadunt. Et quemadmodum in urbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa ſuſpenditur: ita in hoc orbe terrarum, nunc hæc pars fa-

cit vitium, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim urbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam, quæcumque est ista vis mali quæ incurrit; nunc Campaniam læsit. Circumit fatum: & si quid diu præteriit, repetit.... Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ: & felicitatem, cujus ex omnibus rebus humanis velocissima est levitas, habituram in aliquo pondus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentem non venit, id ipsum supra quod stamus, stabile non esse. Neque enim Campaniæ istud aut Achaiæ; sed omnis soli vitium est: male cohærere, & ex causis pluribus resolvi, & summam manere, partibus ruere. *Ibidem.*

Quid ago? Solatium adversus pericula dare promiseram: ecce undique timenda denuntio. Nego quicquam esse quietis æternæ: quod & perire non possit, & perdère. Ego vero hoc ipsum solatii loco pono, & quidem valentissimi: quando quidem sine remedio timor stultus est. Ratio terrorem prudentibus excutit: imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaque generi humano dictum puta, quod illis subita captivitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est:

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Si vultis nihil timere, (a) cogitate omnia esse timenda. Circumspicite quam levibus causis discutiamur. Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non somnus, sine mensura quadam salubria sunt. Jam intelligitis nugatoria esse nostra & imbecilla corpuscula, fluida, non magna molitione perdenda. *Ibid. cap.* 2.

Suas ista causas habent. Nec ex imperio sæviunt; sed ex quibusdam vitiis, ut corpora nostra, turbantur: & tunc quum facere videntur injuriam, accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum, omnia terribilia sunt: utpote quorum metum raritas auget. Levius accidunt familiaria: ex insolito formido est major. Quare autem quicquam nobis insolitum est? Quia naturam oculis, non ratione comprehendimus: nec cogitamus quid illa facere possit, sed tantum

quid

(a) *Tit. Vita.*

quid fecerit. Damus itaque hujus negligentiæ pœnas, tanquam novis territi : quum illa non ſint nova, ſed inſolita. *Ibid. cap.* 3.

Hæc, Lucili virorum optime, quantum ad ipſas *terræ motus* cauſas. Illa nunc quæ ad confirmationem animorum pertinent : quos magis refert noſtra fortiores fieri, quam doctiores. Sed alterum ſine altero non fit. Non enim (a) aliunde animo venit robur, quam a bonis artibus ; quam a contemplatione naturæ. Quem enim non hic ipſe caſus adverſus omnes firmaverit & erexerit ? Quid eſt cur hominem ego aut feram ; quid eſt cur ſagittam aut lanceam tremam ? Majora (b) me pericula exſpectant. Fluminibus, & terris, & magnis naturæ partibus petimur. Ingenti itaque animo mors provocanda eſt : ſive nos æquo vaſtoque impetu aggreditur, ſive quotidiano & vulgari exitu. Nihil refert quam minax veniat, quantumque ſit quod in nos trahat : quod a nobis petit, minimum eſt. Hoc ſenectus a nobis ablatura eſt ; hoc auriculæ dolor ; hoc humoris abundantia ; hoc cibus parum obſequens ſtomacho ; hoc pes leviter offenſus. Puſilla res eſt hominis anima : ſed ingens res eſt contemtus animæ. Hanc qui contemſerit, ſecurus videbit maria perturbari : etiam ſi illa omnes excitaverint venti ; etiam ſi æſtus, aliqua perturbatione mundi, totum in terras verterit Oceanum. Securus aſpiciet fulminantis cæli trucem ac horridam faciem : frangatur licet cælum, & igues ſuos in exitium omnium, in primis ſuum, miſceat. Securus aſpiciet ruptis compagibus dehiſcens ſolum. Illa licet inferorum regna retegantur, ſtabit ſuper illam voraginem intrepidus : & fortaſſe quo debet cadere, deſiliet. Quid ad me, quam ſint magna quibus pereo ? Ipſum perire, non eſt magnum. *Lib. 6. Nat. Quæſt. cap.* 32.

Proinde (c) ſi volumus eſſe felices ; ſi nec hominum, nec Deorum, nec rerum timore vexari ; ſi deſpicere fortunam ſupervacua promittentem, levia minitantem ; ſi volumus tranquille degere, & ipſis diis de felicitate controverſiam facere : anima in expedito eſt habenda. Si-

ve

(a) *Tit. Contemplatio naturæ.* (b) *Tit. Vita miſera.* (c) *Tit. Tranquillitas.*

ve illam insidiæ, sive morbi petent; sive hostium gladii, sive insularum cadentium fragor; sive ipsarum ruina terrarum, sive vasta vis ignium, urbes agrosque pari clade complexa; quum libet illi, eam accipiat. Quid aliud debeo, quam exeuntem hortari, & cum bonis omnibus emittere? Vade fortiter, vade feliciter? Nihil dubitaveris reddere. Non de re, sed de tempore est quæstio. Facis, quod quandoque faciendum est. Nec rogaveris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exiturum tuleris retro. Rerum natura (a) quæ te genuit, exspectat: & (b) locus melior ac tutior. Illhic non tremunt terræ, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt. Non incendia regiones urbesque vastant. Non naufragiorum totas classes sorbentium metus est. Non arma contraria dispositа vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium par furor. Non pestilentia, & ardentes promiscue, communes populis cadentibus, rogi. Istud leve est: quid timemus? Grave est: potius semel incidat, quam semper impendat. Ego autem perire timeam, quum terra ante me pereat? quum ista quatiantur quæ quatiunt? & in injuriam nostram non sine sua veniunt? Helicen Burinque totas mare accepit: ego de uno corpusculo timeam? Supra oppida duo navigatur: duo autem quæ novimus, quæ in nostram notitiam memoria literis servata perduxit. Quam multa alia aliis locis mersa sunt? Quot populos aut terra, aut in se mare incluſit? Ego recusem mei finem, quum sciam me sine fine non esse? immo quum sciam omnia esse finita? Ego ultimum suspirium timeam? *Eod. cap.* 32.

Quantum potes, itaque ipse te cohortare, Lucili, contra metum mortis. Hic est qui nos humiles facit. Hic est qui vitam cui parcit, inquietat ac perdit. Hic omnia ista dilatat, terrarum motus, & fulmina. Quæ omnia feres constanter, si cogitaveris (c) nihil interesse inter exiguum tempus & longum. Horæ sunt quas perdimus. Puta dies esse, puta menses, puta annos: perdimus illos, nempe perituros. Quid (oro te) refert, num perveniam ad illos? Fluit tempus, & avidissimos sui deserit. Nec quod fu-

(a) *Tit. Anima immortalis.* (b) *Tit. Paradisus.* (c) *Tit. Vita.*

futurum eſt, meum eſt; nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo: & magni eſt, modicum fuiſſe. Elegánter Lælius ille ſapiens dicenti cuidam, ſexaginta annos habeo: hos, inquit, dicis ſexaginta, quos non habes?.... Hoc affigamus animo, hoc nobis ſubinde dicamus: moriendum eſt. Quando? Quid tua? Mors naturæ lex eſt: mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium eſt. Optabit illam, quiſquis timet. Omnibus omiſsis, hoc unum (Lucili) meditare, ne mortis nomen reformides. Effice illam tibi cogitatione multa familiarem: ut ſi ita tulerit, poſsis illi vel obviam exire. *Ibidem.*

Unus eſt hujus vitæ fluctuantis & turbidæ portus, eventura contemnere; ſtare fidenter; aperte tela fortunæ adverſo pectore excipere, non latitantem, nec tergiverſantem... Multa per noctem habita terrori, dies vertit ad riſum: *Terribiles viſu formæ, letumque, laboſque.*

Egregie Virgilius noſter, non re dixit terribiles eſſe, ſed viſu: id eſt, videri, non eſſe. Quid, inquam, in iſtis eſt tam formidabile, quam fama vulgavit? Quid eſt, obſecro te, (Lucili) cur timeat laborem vir; mortem homo? Toties mihi occurrunt iſti, qui non putant fieri poſſe quicquid facere non poſſunt: & ajunt nos loqui majora, quam quæ natura humana ſuſtineat. At quanto ego de illis melius exiſtimo? Ipſi quoque hæc poſſunt facere, ſed nolunt. Denique quem unquam iſta deſtituere tentantem? Cui non faciliora apparuere in actu? Non quia difficilia ſunt, non audemus: ſed quia non audemus, difficilia ſunt. Si tamen exemplum deſideratis, accipite Socratem perpeſſitium ſenem, per omnia aſpera jactatum, invictum tamen & paupertate quam graviorem illi domeſtica onera faciebant, & laboribus quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus: ſive uxorem ejus ſpectes moribus feram, lingua petulantem; ſive liberos indociles, & matri quam patri ſimiliores.... Noviſsima damnatio eſt ſub graviſsimis hominibus impleta. Objecta eſt & religionum violatio, & juventutis corruptela, quam immittere in Deos, in patres, in Rempublicam dictus eſt. Poſt hæc carcer & venenum. Hæc uſque eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum

tum quidem moverint. Illam (a) mirabilem laudem, & ſingularem, uſque ad extremum ſervavit. Nec hilariorem quiſquam, nec triſtiorem Socratem vidit. Æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ. Vis alterum exemplum? Accipe hunc Marcum Catonem recentiorem, cum quo & infeſtius fortuna egit, & pertinacius. Cui quum omnibus locis obſtitiſſet; noviſsime & in morte: oſtendit tamen, virum fortem poſſe invita fortuna vivere, invita mori. Tota illi ætas, aut in armis eſt exacta civilibus, aut in ætate concipiente jam civile bellum.... Nemo mutatum Catonem, toties mutata Repub. vidit. Eumdem ſe in omni ſtatu præſtitit: in prætura, in repulſa, in accuſatione, in provincia, in concione, in exercitu, in morte.... Vides poſſe homines dolores pati? per medias Africæ ſolitudines pedes duxit, exercitum. Vides poſſe tolerare ſitim? & in collibus arentibus, ſine ullis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit: & quoties aquæ fuerat occaſio, noviſsimus bibit. *Epiſt.* 104.

Præſume animo, (b) multa eſſe tibi patienda. Num quis ſe hieme algere miratur? num quis in mari nauſeare, in via concuti? Fortis eſt animus, ad quæ præparatus venit. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 37.

Produci enim *virtuti* & tentari expedit: nec ulli magis intelligunt quanta ſit, quam qui vires ejus laceſſendo ſen-
*ſerunt. Duritia ſilicis nulli magis quam ferientibus nota eſt. Præbeo me non aliter quam rupes aliqua in vadoſo mari deſtituta; quam fluctus non deſinunt, undecumque moti ſunt, verberare: nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incurſu ſuo conſumunt. Aſsilite, (c) facite impetum: ferendo vos vincam. In ea quæ firma & inſuperabilia ſunt, quicquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet. *Lib. de Vita beata, cap.* 27.

Animus vereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi. *Ex Pub. Mim.*

¶ *Vide etiam Tit.* Patientia. *Tit.* Conſtantia. *Tit.* Fortuna. *Tit.* Adverſitas. *Omnia enim hæc loca quæ Fortitudini adjacent, magnam inter ſeſe affinitatem habent, mutuoque ſibi deſerviunt.*

(a) *Tit. Conſtantia.* (b) *Tit. Ad patientiam præparatio.* (c) *Tit. Tentatio.*

Ti-

Timor, & Audacia.

UT hujus quoque diei lucellum tecum communicem, apud Hecatonem noſtrum inveni, cupiditatum finem etiam ad timoris remedia proficere. Deſines (inquit) timere, ſi ſperare deſieris.... Feræ pericula quæ vident, fugiunt: quum effugere, ſecuræ ſunt. Nos & venturo torquemur, & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit; providentia anticipat. Nemo tantum præſentibus miſer eſt. *Epiſt.* 5.

Plura ſunt (Lucili) quæ nos terrent, quam quæ premunt: & ſæpius opinione, quam re laboramus.... Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus: quum illa quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint; certe nondum venerunt. Quædam enim nos magis torquent, quam debeant: quædam ante torquent quam debeant: quædam autem torquent, quum omnino non debeant. *Epiſt.* 13.

Quid neceſſe eſt mala arceſſere; & ſatis cito patienda, quum venerint præſumere; ac præſens tempus futuri metu perdere? Eſt ſine dubio ſtultum, quia quandoque ſis futurus miſer, eſſe jam miſerum. *Epiſt.* 24.

Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majuſculis pueris evenit. Illi quos amant, quibus aſſueverunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaveſcunt. Non hominibus tantum, ſed & rebus perſona demenda eſt; & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa te frementium? Tolle iſtam pompam ſub qua lates, & ſtultos territas: mors eſt, quam nuper ſervus meus, quam ancilla contemſit.... Pauper fiam? Inter plures ero. Exſul fiam? Ibi me natum putabo, quo mittar. Alligabor? Quid enim? Nunc ſolutus ſum? Ad hoc me natura grave corporis mei pondus adſtrinxit. Moriar? Hoc dicis: deſinam ægrotare poſſe; deſinam alligari poſſe; deſinam mori poſſe. *Eadem Epiſt.* 24.

Quemadmodum in corporibus futuri languoris ſigna præcurrunt (quædam enim ſegnitia nervis ineſt, & ſine labore ullo laſſitudo, & oſcitatio, & horror membra percurrens);

rens) : ſic infirmus animus , multo ante quam opprimatur malis , quatitur. Præſumit illa , & ante tempus cadit. Quid dementius autem quam angi futuris , nec ſe tormento reſervare ; ſed arceſſere ſibi miſerias & admovere , quas optimum eſt differre , ſi diſcutere non poſsis? *Epiſt.* 74.

Occurrat hoc loco tibi Laberianus ille verſus , qui medio civili bello in theatro dictus , totum in ſe populum non aliter convertit , quam ſi miſſa eſſet vox publici affectus:

Neceſſe eſt multos timeat , quem multi timent.

Ita natura conſtituit , ut quod alieno metu magnum eſt, a ſuo non vacet. *Lib.* 2. *de Ira , cap.* 11.

Vanis enim vana terrori ſunt. Curriculi motus , rotarumque verſata facies , leonem redigit in caveam. Elephantes porcina vox terret. Sic itaque ira metuitur , quo modo umbra ab infantibus , a feris rubens pinna. *Ibid. cap.* 12.

Citius venit periculum , quum contemnitur. *Ex Pub. Mim.*

Quotidie damnatur , qui ſemper timet. *Ex eodem.*

Metus dum venit , rarum habet ſomnus locum. *Ex eod.*

Stultum eſt timere quod vitari non poteſt. *Ex eodem.*

Tutiſsima res eſt , nihil timere præter Deum. *Ex eod.*

¶ *Vide etiam ſequentes Titulos , qui ad* Fortitudinem *pertinent , ac præcipue Tit.* Patientia : *in quo nonnulla de timoris contemtu.*

Magnanimitas , Puſillanimitas.

NUlli magis abjiciunt animos , quam qui improbe tollunt : nullique ad calcandos alios paratiores , quam qui contumelias facere , accipiendo didicerunt. *Lib.* 3. *de Benef. cap.* 28.

Ne illud quidem judicandum eſt , aliquid iram (a) ad magnitudinem animi conferre. Non eſt enim illa magnitu-
* do ; tumor eſt : nec corporibus copia vitioſi humoris intenſis , morbus incrementum eſt ; ſed peſtilens abundantia. Omnes quos vecors animus ſupra cogitationes extollit humanas , altum quiddam & ſublime ſpirare ſe credunt. Ce-

te-

(a) *Tit. Ira.*

terum nihil ſolidi ſubeſt; ſed in ruinam prona ſunt, quæ ſine fundamentis crevere. Non habet ira cui inſiſtat. Non ex firmo manſuroque oritur; ſed ventoſa & inanis eſt. Tantumque abeſt a magnitudine animi, quantum a fortitudine audacia: a fiduciâ inſolentia: ab auſteritate triſtitia: a ſeveritate crudelitas. Multum, inquam, intereſt inter ſublimem animum & ſuperbum. Iracundia nihil amplum decorumque molitur. Contra, mihi videtur veternoſi & infelicis animi, imbecillitatis ſibi conſcii, ſæpe indoleſcere. Ut exulcerata & ægra corpora ad ictus leviſsimos gemunt: ita * *ira* muliebre maxime & puerile vitium eſt. At incidit & in viros. Nam viris quoque puerilia ac muliebria ingenia ſunt. Quid ergo? Non aliquæ voces ab iratis emittuntur, quæ magno emiſſæ videantur animo, veram ignorantibus magnitudinem; qualis illa dira & abominanda: *oderint, dum metuant*? Syllano ſcias ſæculo ſcriptam. Neſcio utrum ſibi pejus optaverit; ut odio eſſet, an ut timori.... Magno hoc dictum ſpiritu putas? Falleris. Nec enim magnitudo iſta eſt, ſed immanitas. Non eſt quod credas iraſcentium veribus: quorum ſtrepitus magni, minaces ſunt; intus mens pavidiſsima. Non eſt quod exiſtimes verum eſſe, quod apud diſertiſsimum virum Livium dicitur: vir ingenii magni, magis quam boni. Non poteſt illud ſeparari: aut & bonum erit, aut nec magnum: quia magnitudinem animi inconcuſſam intelligo, & introrſus ſolidam, ab imo parem firmamque; qualis eſſe in malis ingeniis non poteſt. Terribilia enim eſſe, & tumultuoſa, & exitioſa poſſunt: magnitudinem quidem, cujus firmamentum roburque bonitas eſt, non habebunt.... Sola ſublimis & excelſa virtus eſt. Nec (a) quicquam magnum eſt, niſi quod ſimul & placidum. *Lib.* I. *de Ira*, *cap.* 16.

Ille ingens animus & verus æſtimator ſui, non vindicat injuriam, quia non ſentit. Ut tela a duro reſiliunt, quum dolore cædentis ſolida feriuntur: ita nulla magnum animum * injuria ad ſenſum ſui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius eſt, velut nulli penetrabilem telo, omnes injurias contumeliaſque reſpuere? Ultio, doloris confeſsio eſt. Non

(a) *Tit. Modeſtia.*

Non eſt magnus animus quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit. Si imbecillior, parce illi: ſi potentior, tibi. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 5.

Nullum eſt argumentum magnitudinis certius, quam ni-
*hil poſſe, quo inſtigeris, accidere. Pars ſuperior mundi & ordinatior, ac propinqua ſideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem: omni tumultu caret: inferiora fulminant. Eodem modo ſublimis animus, quietus ſemper & in ſtatione tranquilla collocatus, intra ſe premens quibus ira contrahitur, modeſtus & venerabilis eſt, & diſpoſitus: quorum nihil invenies in irato. *Ibid. cap.* 6.

Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil eſt. Quid enim majus aut fortius, quam malam fortunam retundere? Hæc autem magnanimitas in bona fortuna latiorem locum habet, meliuſque in tribunali, quam in plano conſpicitur. *Lib.* 1. *de Clem. cap.* 5.

Ingenuitas non recipit contumeliam. *Ex Pub. Mim.*

Magni animi proprium eſt, eſſe tranquillum; & injurias ac offenſiones ſemper deſpicere. *Ex eodem.*

Conſtantia, Inconſtantia.

TRanquillus animus (a) ubi ad perfectum venit, nec ablatum ſibi quicquam ſentit, nec adjectum; ſed in eodem habitu eſt quocumque res cadunt. Cui ſive aggeruntur vulgaria bona, ſupra res ſuas eminet: ſive aliquid ex iſtis, vel omnia caſus excuſſit, minor non fit. *Epiſt.* 36.

Invenio qui dicant, ineſſe naturalem quamdam animis irritationem commutandi ſedes, & transferendi domicilia. Mobilis enim & inquieta mens homini data eſt. Nunquam ſe tenet: ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota atque ignota dimittit; vaga, & quietis impatiens, & novitate rerum lætiſsima. Quod non miraberis, ſi primam ejus originem aſpexeris. Non eſt ex terreno & gravi concreta corpore: ex illo cæleſti ſpiritu deſcendit. Cæleſtium au-

(a) *Tit. Magnanimitas.*

autem natura ſemper in motu eſt. Fugit, & velociſsimo curſu agitur. Aſpice ſidera mundum illuſtrantia. Nullum eorum perſtat. Labitur aſsidue, & locum ex loco mutat. Quamvis cum univerſo verſatur, in contrarium nihilo minus ipſi mundo refertur. Per omnes ſingulorum partes diſcurrit perpetua ejus agitatio: & aliunde alio commigratio eſt. Omnia volvuntur. Semper in tranſitu ſunt: & ut lex & naturæ neceſsitas ordinavit, aliunde alio deferuntur. Quum per certa annorum ſpatia orbes ſuos explicuerint, iterum ibunt per quæ venerant. I nunc, & animum humanum ex iiſdem, quibus divina conſtant, compoſitum ſeminibus, moleſte ferre puta tranſitum, ac migrationem: quum Dei natura, aſsidua & citatiſsima commutatione † nos delectet, ſe vero conſervet. *Lib. de Conſol. ad Helviam, cap. 6.*

Inter cetera mala, hoc quoque habet ſtultitia proprium; ſemper incipit vivere. Conſidera quid vox iſta ſignificet, Lucili virorum optime, & intelliges quam fœda ſit hominum levitas, quotidie nova vitæ fundamenta ponentium, novas ſpes etiam in exitu inchoantium. Quid eſt autem turpius, quam ſenex vivere incipiens? *Epiſt.* 13.

Qualitatis veræ tenor permanet: falſa non durant. Quidam alternis Vatinii, alternis Catones ſunt. Et modo parum illis ſeverus eſt Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi & contentus vili Tubero. Modo Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant. Maximum indicium eſt malæ mentis, fluctuatio: & intra ſimulationem virtutum, amoremque vitiorum, aſsidua jactatio.... Nemo non quotidie & conſilium mutat & votum. Modo uxorem vult habere, modo amicam: modo regnare vult; modo id agit, ne quis ſit officioſior ſervus: modo dilatat ſe uſque ad invidiam; modo ſubſidit, & contrahitur infra humilitatem vere jacentium: nunc pecuniam ſpargit, nunc rapit. Sic maxime coarguitur animus imprudens: alius prodit atque alius; & (quo turpius nihil judico) impar ſibi eſt. Magnam rem puta, unum hominem agere. Præter ſapientem autem nemo unum agit: ceteri mul-

† *Al.* Vel delectet ſe, vel conſervet.

tiformes ſumus. Modo frugi tibi videbimur & graves: modo prodigi & vani. Mutamus ſubinde perſonam; & contrariam ei ſumimus, quam exuimus. Hoc ergo a te exige, ut qualem inſtitueris præſtare te, talem uſque ad exitum ſerves. Effice ut poſsis laudari: ſi minus, ut agnoſci. De aliquo quem vidiſti heri, merito dici poteſt: hic quis eſt? Tanta mutatio eſt. *Epiſt.* 120.

Quid per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit; non cupiditates refrenavit; non iras repreſsit; non indomitos amoris impetus fregit; nulla denique animo mala eduxit; non judicium dedit; non excuſsit errorem: ſed ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. Ceterum inconſtantiam mentis (quæ maxime ægra eſt) laceſsitam, mobiliorem levioremque reddit ipſa jactatio. Itaque quæ petierant cupidiſsime loca, cupidius deſerunt: & avium modo tranſvolant, citiuſque quam venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium: novas tibi montium formas oſtendet; inuſitata ſpatia camporum; & irriguas perennibus aquis valles; & alicujus fluminis ſub obſervatione naturam: ſive, ut Nilus æſtivo incremento tumet; ſive, ut Tigris eripitur ex oculis, & acto per occulta curſu, integræ magnitudini redditur; ſive, ut Mæander poëtarum omnium exercitatio & ludus, implicatur crebris anfractibus; & ſæpe in vicinum alveo ſuo admotus, ante quam ſibi influat, flectitur. Ceterum neque meliorem faciet, neque ſaniorem. Inter ſtudia verſandum eſt, & inter auctores ſapientiæ: ut quæſita diſcamus; nondum inventa quæramus. *Epiſt.* 104.

Non aliter vivas in ſolitudine, aliter in foro. *Ex Pub. Mim.*

Fortuna. Fortunæ inconſtantia. Fortunæ utriuſque comparatio.

CLamo: vitate (a) quæcumque vulgo placent, quæ caſus attribuit: ad omne fortuitum bonum, ſuſpicioſi pa-

(a) *Tit. Paupertas.*

pavidique ſubſiſtite. Et fera, & piſcis, ſpe aliqua oble- *
ctante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? inſidiæ ſunt. Quiſquis veſtrum tutam agere vitam volet; quantum plurimum poteſt, iſta viſcata beneficia devitet. *Epiſt.* 8.

Alienum eſt omne, quicquid optando venit.

Hunc verſum a te dici non paullo melius, & adſtrictius memini:

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiam melius dictum a te, non præteribo:

Dari bonum quod potuit, auferri poteſt.

Epiſt. 8.

Nullum habet majus malum occupatus homo & bonis ſuis obſeſſus, quam quod amicos ſibi putat quibus ipſe non eſt; quod beneficia ſua efficacia judicat ad conciliandos amicos: quum quidam quo plus debent, magis oderint. Leve æs alienum, debitorem facit: grave, inimicum. *Epiſt.* 19.

Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum, honores, divitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus ſciſa ſunt; alia infidâ ſocietate diviſa; alia magno detrimento eorum in quos devenerant, prenſa: ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt; quædam quia nimis captabantur, amiſſa: & dum avide rapiuntur, excuſſa ſunt. Nulli vero, etiam cui rapina feliciter ceſsit, gaudium rapti duravit in poſterum. Itaque prudentiſsimus quiſque quum primum induci videt munuſcula, a theatro fugit, & ſcit magno parva conſtare. *Epiſt.* 74.

Ad utroſque caſus *ſapiens* aptus eſt: bonorum rector eſt, malorum victor.... Non ex ebore tantum Phidias ſolebat facere ſimulacra: faciebat ex ære. Si marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimum poſſet. Sic ſapiens virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſi minus, in paupertate: ſi poterit, in patria; ſi minus, in exſilio: ſi poterit, imperator; ſi minus, miles: ſi poterit, integer; ſi minus, debilis. Quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile ef- *
ficiet. Certi ſunt domitores ferarum, qui ſæviſsima animalia, & ad occurſum exterrentia hominem, docent pati

jugum : nec aſperitatem excuſsiſſe contenti, uſque in contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat : oſculatur Tigrim ſuus cuſtos : Elephantem † minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. Sic ſapiens (a) eſt artifex domandi mala. Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exſilium, quæcumque horrenda, quum ad hunc pervenere, manſueta ſunt. *Epiſt.* 85. *in fine.*

Liberalis noſter nunc triſtis eſt, nuntiato incendio, quo Lugdunenſis colonia exuſta eſt. Movere hic caſus quemlibet poſſet, nedum hominem patriæ ſuæ amantiſsimum. Quæ res efficit, ut firmitatem animi ſui quærat : quam videlicet ad ea, quæ timeri poſſe putabat, exercuit. Hoc vero tam inopinatum malum, pæne inauditum, non miror ſi ſine metu fuit, quum eſſet ſine exemplo. Multas enim civitates incendium vexavit, nullam abſtulit.... Novitas adjicit calamitatibus pondus : nec quiſquam mortalium non magis quod etiam miratus eſt, doluit. Ideo nihil nobis improviſum eſſe debet. In omnia (b) præmittendus eſt animus: cogitandumque, non quicquid ſolet, ſed quicquid poteſt fieri. Quid enim eſt, quod non fortuna (c) quum voluit, & florentiſsimo detrahat? Quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo ſpecioſius fulget? Quid illi arduum, quidve difficile eſt? Non una via ſemper, ne tota quidem incurrit. Modo noſtras in nos manus advocat : modo ſuis contenta viribus, invenit pericula ſine auctore. Nullum tempus exceptum eſt : in ipſis voluptatibus cauſæ doloris oriuntur. Bellum in media pace conſurgit : & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt. Ex amico inimicus, hoſtis ex ſocio. In ſubitas tempeſtates, hiberniſque majores, agitur æſtiva tranquillitas. Sine hoſte patimur hoſtilia : & cladis cauſas, ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas invenit. Invadit temperatiſsimos morbus, validiſsimos phthiſis, innocentiſſimos pœna, ſecretiſsimos tumultus. Eligit aliquid novi caſus, per quod velut oblitis vires ſuas ingerat. Quicquid longa ſeries multis laboribus, multa Dei indulgentia ſtruxit, id unus dies ſpargit ac diſsipat. Longam moram dedit

† *Al.* Mimus. (a) *Tit. Patientia.* (b) *Tit. Ad Patientiam præparatio.* (c) *Tit. Vitæ miſeriæ.*

dit malis properantibus, qui diem dixit, non horam momentumque temporis, evertendis imperiis ſufficere. Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium rerumque noſtrarum, ſi † tanta celeritate repararentur, quanta finiuntur. Nunc incrementa lente exeunt: feſtinatur in damnum. Nihil privatim, nihil publice ſtabile eſt. Tam hominum quam urbium fata volvuntur. Inter placidiſsima terror exſiſtit: nihilque extra tumultuantibus cauſis, mala unde minime exſpectabantur, erumpunt. Quæ domeſticis bellis ſteterant regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Quota quæque felicitatem civitas pertulit? *Epiſt.* 91.

Cogitanda ergo ſunt omnia, & animus (a) adverſus ea quæ poſſunt evenire, firmandus. Exſilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare. Poteſt te patriæ, poteſt patriam tibi caſus eripere: poteſt te in ſolitudinem abjicere: poteſt hoc ipſum in quo turba ſuffocatur, fieri ſolitudo. Tota ante oculos ſortis humanæ conditio ponatur. Nec quantum frequenter evenit; ſed quantum plurimum poteſt evenire, præſumamus animo, ſi nolumus opprimi, nec ullis inuſitatis velut novis ſtupefieri. In plenum cogitanda fortuna eſt. Quoties Aſiæ, quoties Achaiæ urbes uno tremore ceciderunt? Quot oppida in Syria? quot in Macedonia devorata ſunt? Cyprum quoties vaſtavit hæc clades? .... Non tantum manu facta labuntur: non tantum humana arte atque induſtria poſita, vertit dies. Juga montium diffluunt: totæ deſedere regiones. Operta ſunt fluctibus, quæ procul a conſpectu maris ſtabant. Vaſtavit ignis colles, per quos elucebat: eroſit & quondam altiſsimos vertices, ſolatia navigantium: ac ſpeculas ad humilem arenam deduxit. Ipſius naturæ opera vexantur. Et ideo æquo animo ferre debemus urbium excidia. Caſura omnia exſtant: omnes exitus manet: ſive interna vis, flatuſque præcluſi † violenti, pondus ſub quo tenentur, excuſſerint; ſive torrentium in abdito vis obſtantia effregerit; ſive flammarum violentia compaginem ſoli ruperit; ſive vetuſtas, a qua nihil tutum eſt, expu-

† *Mira eſt hoc loco in fere omnibus exemplaribus variatio. Sed Granatenſis lectionem retineri poſſe haud immerito cenſuimus.* (a) *Tit. Ad patientiam præparatio.* † *Al.* Venti.

gnaverit minutatim ; ſive gravitas cæli ejecerit populos, & ſitus deſerta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias longum eſt. Hoc unum ſcio. Omnium mortalium opera, mortalitate damnata ſunt : inter peritura vivimus.... Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria. Multa ceciderunt, ut altius ſurgerent, & in majus. C. Caligula † felicitatis urbis inimicus, ajebat, Romæ ſibi incendia ob hoc unum dolori eſſe, quod ſciret meliora reſurrectura, quam arſiſſent. *Eadem Epiſt.* 91.

In ſecundis nemo confidat ; in adverſis nemo deficiat: alternæ ſunt vices rerum. Quid exſultas? Iſta quibus veheris in ſummum, neſcis ubi te relictura ſint : habebunt ſuum, non tuum finem. Quid jaces? Ad imum delatus es : nunc eſt reſurgendi locus. In melius adverſa ; in deterius optata flectuntur. Ita concipienda eſt animo varietas, non privatarum tantum domuum quas levis caſus impellit, ſed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta, ſupra imperantes jacuerunt. Vetera imperia in ipſo flore cecidere. Iniri non poteſt numerus, quam multa ab aliis fracta ſint. Nunc quum maxime Deus alia exaltat ; alia ſubmittit : nec molliter ponit ; ſed ex faſtigio ſuo nullas habitura reliquias jactat. Magna iſta, (a) quia parvi ſumus, credimus. Multis rebus non ex natura ſua, ſed ex humilitate noſtra magnitudo eſt. *In Præfat. Lib.* 3. *Nat. Quæſt.*

Nihil difficile eſt naturæ, utique ubi in finem ſui properat. Ad originem rerum parce utitur viribus, diſpenſatque ſe incrementis fallentibus : ſubito ad ruinam toto impetu venit. Quam longo tempore opus eſt, ut conceptus ad puerperium perducatur infans? Quantis laboribus tener educatur? Quam diligenti nutrimento obnoxium noviſsime corpus adoleſcit? At quam nullo negotio ſolvitur? Urbes conſtituit ætas : hora diſſolvit. Momento fit cinis : diu ſilva. Magna tutela ſtant, ac vigent omnia : cito ac repente diſsiliunt. Quicquid ex hoc ſtatu rerum natura flexerit, in exitium mortalium ſatis eſt. *Lib.* 3. *Nat. Quæſt. cap.* 27.

Quid

† *Pro* C. Caligula *alia exemplaria legunt* : Timagenes. *Pincianus*, & *Granatenſis* C. Caligulæ *nomen reſtituendum putarunt, quod infenſiſsimus ille fuerit urbis ſucceſsibus, ut auctor eſt Suetonius Tranquillus in* Caligula.

(a) *Tit. Puſillanimitas.*

Quid tibi voluiſti (a) tam injuſta, & tam violenta fortuna? Tam cito indulgentiæ tuæ tè pœnituit?... Nihil ergo prodeſt innocentia ad omnem legem exacta? nihil antiqua frugalitas? nihil felicitatis ſummæ potentia? ſumma conſervata abſtinentia? nihil ſincerus, † & ex toto litterarum amor? nihil ab omni labe mens vacans? Luget Polybius, & in uno fratre quicquid de reliquis poſsit metuere admonitus, etiam de ipſis doloris ſui ſolatiis timet. Facinus indignum! luget Polybius, & aliquid propitio dolet Cæſare. Hoc ſine dubio impotens fortuna captaſti: ut oſtenderes neminem contra te, ne a Cæſare quidem poſſe defendi. *Lib. de Conſol. ad Polyb. cap.* 22.

Cito improborum læta ad perniciem cadunt. *Ex Pub. Mim.*

Excelſis multo facilius caſus nocet. *Ex eodem.*

Errat ſi quis exiſtimat tutum diu eſſe regem. *Ex eodem.*

Fortuna quum blanditur, captatum venit. *Ex eodem.*

Fortunam citius reperies, quam retineas. *Ex eodem.*

Felix improbitas optimorum eſt calamitas. *Ex eodem.*

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel. *Ex eodem.*

Fortuna vitrea eſt: quum ſplendet, frangitur. *Ex eodem.*

Fortuna levis eſt: cito repoſcit quod dedit. *Ex eodem.*

Nulla eſt tam bona fortuna, de qua nihil queri poſſis. *Ex eodem.*

Fortunæ utriuſque contemtus & moderatio.

QUid eſt præcipuum *in rebus humanis*? Erigere animum ſupra minas & promiſſa fortunæ. Nihil dignum putare, quod ſperes. Quid enim habet dignum quod concupiſcas? qui a divinorum contemplatione (b) quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quam quorum oculi in denſam umbram ex claro ſole rediere.... Quid eſt præcipuum? Non admittere in animo mala conſilia: puras (c) ad cælum manus tollere: nullum petere bonum, quod ut ad te tranſeat, † aliquis poſsit amittere: optare,

(a) *Tit. Vita miſera.* † *Al.* Et putus litterarum amor. (b) *Tit. Contemplatio.* (c) *Tit. Religio.* † *Al.* Aliquis dare debet, aliquis amittere.

quod ſine adverſario optatur, bonam mentem: cetera magno æſtimata mortalibus, etiam ſi quis domum caſus attulerit, ſic intueri, quaſi exitura qua venerint. *In Præfat. Lib.* 3. *Nat. Quæſt.*

Sed ut tibi rationem reddam, quam nulli mortalium invideo, audi quid promittam, & quanti quæque æſtimem. Divitias nego bonum eſſe: nam ſi eſſent bonæ, bonos facerent. Nunc, quoniam quod apud malos deprehenditur, dici bonum non poteſt; hoc illis nomen nego. Ceterum & habendas eſſe, & utiles, & magna commoda vitæ conferentes, fateor. *De Vita beata, cap.* 24.

Quid ergo ſit, quare illas non in bonis numerem; & quid in illis præſtem aliud quam vos, quoniam inter utroſque convenit habendas; audite. Pone in opulentiſsima me domo: pone ubi aurum argentumque in promiſcuo uſu ſit. Non ſuſpiciam me (a) ob iſta, quæ etiamſi apud me; extra me tamen ſunt. In ſublicium pontem (b) me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me deſpiciam, quod in illorum numero conſideo, qui manum ad ſtipem porrigunt.... Quid ergo eſt? Domum illam ſplendidam malo, quam pontem. Pone in ſtramentis ſplendentibus, & delicato apparatu: nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum; quod purpura convivis meis ſubſternetur. Nihilo miſerior ero, ſi laſſa cervix mea in manipulo fœni acquieſcet: ſi ſuper circenſe tomentum, per ſuturas veteris lintei effluens, incubabo. Quid ergo eſt? Malo quid mihi animi ſit oſtendere prætextatus † & chlamidatus, quam nudis ſcapulis & fœtentibus. Fac ſententiæ omnium mihi ex voto cedant; novæ gratulationes prioribus ſubtexantur: non ob hoc mihi placebo. Muta in contrarium hanc indulgentiam temporis; hinc illhinc percutiatur animus, damno, luctu, incurſionibus variis; nulla hora ſine querela ſit: non ideo me dicam inter miſerrima miſerum; non ideo aliquem exſecrabor diem: proviſum eſt enim a me, ne quis mihi ater dies eſſet. Quid er-

(a) *Tit. Conſtantia.* (b) *Tit. Modeſtia.* † *Al.* Canuſiatus, *al.* Cauſeatus, *al.* Candidatus. *Ego prioribus rejectis*, Candidatus, *aut etiam* Chlamidatus *prætulerim.*

ergo eſt? Malo gaudia temperare, quam dolores compeſcere. Hoc tibi ille Socrates dicet. Fac me victorem univerſarum gentium. Delicatus ille Liberi currus triumphantem uſque ad Thebas a ſolis ortu vehat. † Jura reges Perſarum petant. Me hominem eſſe tum maxime cogitabo; quum Deus undique conſalutabor. Huic tam ſublimi faſtigio conjunge protinus præcipitem mutationem. In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris ſuperbi ac feri pompam: non humilior ſub alieno curru agar, quam in meo ſteteram. Quid ergo eſt? vincere tamen, quam capi malo. Totum fortunæ regnum deſpiciam: ſed ex illo, ſi dabitur electio, meliora ſumam. Quidquid ad me venerit, bonum fiet: ſed malo faciliora ac jucundiora veniant, & minus vexatura tractantem. *Lib. de Vita beata, cap.* 25.

Hoc prius aggrediar, quod pietas tua audire geſtit; nihil mali eſſe mihi. Si hoc tibi demonſtrare non potero, ipſas res quibus me putas premi, non eſſe intolerabiles, faciam manifeſtum. Sin id credi non potuerit: at ego mihi ipſe magis placebo, quod inter eas res beatus ero, quæ miſeros ſolent facere. Non eſt quod de me aliis credas: ipſe tibi, ne quid incertis opinionibus perturberis, indico me non eſſe miſerum. Adjiciam (quo ſecurior ſis) nec fieri quidem poſſe miſerum. *Conſol. ad Helviam, cap.* 4.

Bona conditione conditi ſumus, ſi eam non deſeruerimus. Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum non magno apparatu opus eſſet. Unuſquiſque facere ſe beatum poteſt. Leve momentum in adventitiis rebus eſt: & quod in neutram partem magnas vires habeat. Nec ſecunda ſapientem evehunt, nec adverſa demittunt. Laboravit enim ſemper ut in ſe plurimum poneret; intra ſe omne gaudium peteret. Quid ergo? ſapientem me eſſe dico? Minime. Nam id quidem ſi profiteri poſſem; non tantum negarem miſerum me eſſe: ſed omnium fortunatiſsimum, & in vicinum Deo perductum prædicarem. Nunc quod ſatis eſt ad omnes miſerias leniendas, ſapientibus viris me dedi: & nondum in auxilium mei validus, in aliena caſtra confugi; eorum ſcilicet, qui facile ſe ac ſuos tuentur. Illi me juſſerunt ſtare aſ-

† *Alii legunt*: Jura regnis imponam. *Et ut ego quidem reor, caſtigatius.*

aſsidue velut in præſidio poſitum, & omnes conatus fortunæ, & omnes impetus proſpicere multo ante quam incurrant. Illis gravis ipſa fortuna eſt, quibus eſt repentina. * Facile eam ſuſtinere poteſt, qui ſemper exſpectat. Nam & hoſtium adventus eos proſternit, quos inopinate occupavit. At qui futuro ſe bello ante bellum paraverunt, compoſiti & aptati; primum (qui tumultuoſiſsimus eſt) ictum facile excipiunt. Nunquam ego fortunæ credidi, etiam ſi videretur pacem agere. Omnia illa quæ in me indulgentiſsime conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco poſui, unde poſſet ea ſine motu meo repetere. Intervallum inter me & illam magnum habui. Itaque abſtulit illa, non avulſit. Neminem adverſa fortuna comminuit, niſi quem ſecunda decepit. Illi qui munera ejus velut ſua & perpetua amaverunt; qui ſe propter illam ſuſpici voluerunt; jacent, & mœrent: quum † invalidos & pueriles animos, omnis ſolidæ voluptatis ignaros, falſa & mobilia oblectamenta deſtituunt. At ille qui ſe lætis rebus non inflavit, nec mutatis contrahit; adverſus utrumque ſtatum invictum animum tenet, exploratæ jam firmitatis. Nam in ipſa felicitate, quid contra felicitatem valeret, expertus eſt. Itaque ego in illis quæ omnes optant, exiſtimavi ſemper, nihil veri boni ineſſe: quin inania, & ſpecioſo ac decepturo fuco circumlita inveni, intra nihil habentia fronti ſuæ ſimile. Nam in illis quæ mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio, quam (a) opinio vulgi minabatur. Verbum quidem ipſum, perſuaſione quadam & conſenſu, jam aſperius ad aures venit; & audientes tanquam triſte & exſecrabile ferit: ita enim populus juſsit. Sed populi ſcita ex magna parte ſapientes abrogant. *Lib. de Conſol. ad Helviam, cap.* 5.

Fortuna animum quem fovet, ſtultum facit. *Ex Pub. Mim.*

Fortuna cui nemo invidet, gratum facit. *Ex eodem.*

Habet in adverſis auxilia, qui in ſecundis commodat. *Ex eodem.*

In felicitate ſe erigere, eſt felicitatem ſubmittere. *Ex eodem.*

---

† *Al.* Vanos. (a) *Tit. Vulgus.*

Ad-

Adverſitas, Tribulatio.

MAjus eſt perfringere difficilia, quam læta moderari. *Epiſt. 66. prope fin.*

Hoc loco mihi Demetrius noſter occurrit, qui vitam ſecuram & ſine ullis fortunæ incurſionibus, mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denuntiatione & incurſu firmitatem animi tui tentes; ſed in otio inconcuſſo jacere: non eſt tranquillitas; malacia eſt. Attalus Stoicus dicere ſolebat: malo me fortuna in caſtris ſuis, quam in deliciis habeat. Torqueor, ſed fortiter: bene eſt. Occidor, ſed fortiter: bene eſt. *Epiſt. 67. prope fin.*

Inter multa magnifica Demetrii noſtri, & hæc vox eſt, a qua recens ſum: ſonat adhuc & vibrat in auribus meis. Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi. Non licuit enim illi ſe experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, immo & ut ante votum: male tamen de illo dii judicaverunt. Indignus viſus eſt, a quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignaviſsimum quemque refugit. Quaſi dicat: quid ego iſtum adverſarium mihi aſſumam? ſtatim arma ſubmittet. Non opus eſt in illum tota potentia mea: levi comminatione pelletur. Non poteſt ſuſtinere vultum meum. Alius circumſpiciatur, cum quo conferre poſsimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi: & ſcit eum ſine gloria vinci, qui ſine periculo vincitur. Idem facit fortuna. Fortiſsimos ſibique pares quærit: quoſdam faſtidio tranſit. Contumaciſsimum quemque & rectiſsimum aggreditur, adverſus quem vim ſuam intendat. Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exſilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum niſi magna fortuna non invenit. Infelix eſt Mucius, quod dextera ignes hoſtium premit; & ipſe a ſe exigit erroris ſui pœnas? quod regem quem armata manu non potuit, exuſta fugat? Quid ergo? felicior eſſet, ſi in ſinu amicæ foveret manum? Infelix eſt Fabricius, quod rus ſuum, quantum

tum a Repub. vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum cœnat illas ipſas radices & herbas, quas in repurgando agro triumphalis ſenex evulſit? Quid ergo? felicior eſſet, ſi in ventrem ſuum longinqui litoris piſces, & peregrina aucupia congereret? Si conchyliis ſuperi atque inferi maris, pigritiam ſtomachi nauſeantis erigeret? *De Provid. cap.* 3.

Veniamus ad Regulum. Quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt cutem clavi: & quocumque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit: & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. Vis ſcire quam non pœniteat hoc pretio æſtimaſſe virtutem? Refice tu illum, & mitte in ſenatum: eandem ſententiam dicet. Feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti, ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo leve reſonantium quæritur? Mero ſe licet ſopiat, & aquarum fragoribus avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce. Sed illi ſolatium eſt, pro honeſto dura tolerare; & ad cauſam a patientia reſpicit: hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimia laborantem, magis his quæ patitur, vexat cauſa patiendi. Non uſque eo in poſſeſsionem generis humani vitia venerunt, ut dubium ſit, an electione fati data, plures Reguli naſci quam Mæcenates velint.... Quod ad Catonem pertinet, ſatis dictum eſt: ſummamque illi felicitatem contigiſſe conſenſus hominum fatebitur: quem ſibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret. Inimicitiæ potentum graves ſunt? Opponatur ſimul Pompejo, Cæſari, Craſſo. Grave eſt, a deterioribus honore anteiri? Vatinio poſtferatur. Grave eſt civilibus bellis intereſſe? Toto terrarum orbe pro cauſa bona tam infeliciter, quam pertinaciter militet. Grave eſt ſibi manus afferre? Faciat? Quid per hoc conſequar? Ut omnes ſciant non eſſe hæc mala, quibus ego dignum Catonem putavi. *Eod. cap.* 3. *de Provident.*

Proſpera in Plebem ac vilia ingenia deveniunt. At ca-

la-

lamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem, & sine morsu animi velle transire vitam; ignorare est rerum naturæ alteram partem. Magnus es vir: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad Olympia. Si nemo præter te, coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti; sed tanquam consulatum præturamve adepto: honore auctus es. Idem dicere & bono viro possum, si illi nullam ocasionem difficilior casus dedit, in qua una vim sui animi ostenderet. Miserum te judico, quod non fuisti miser: transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris: ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui, experimento. Quid quisque posset, nisi tentando non didicit. Itaque quidam ultro se cessantibus malis obtulerunt, & virtuti ituræ in obscurum, occasionem per quam enitescceret, quæsierunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. *Lib. de Provid. cap.* 4.

Avida est periculi virtus; & quo tendat, non quid passura sit, cogitat: quamquam & quod passura est, gloriæ pars est. Militares viri gloriantur vulneribus; læti fluentem meliore casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint qui integri revertuntur ex acie, magis spectatur qui saucius redit. Ipsis inquam (a) Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animose fortiterque faciendi. Ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate. Gubernatorem in tempestate: in acie militem intelligas. Unde possum scire (b) quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? Unde possum scire, quantum adversus ignominiam & infamiam, odiumque populare, constantiæ habeas, si inter plausus senescis? si te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus favor sequitur? Unde scio quam æquo animo laturus sis orbitatem, si quoscumque sustulisti, vides? Audivi te, quum alios consolareris: tunc conspexissem, si te ipse consolatus esses, si te ipse dolere vetuisses. Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quæ dii immortales velut sti-

(a) *Tit. Providentia Dei.* (b) *Tit. Tentationis fructus.*

ſtimulos admovent animis. Calamitas, virtutis occaſio eſt. Illos merito quis dixerit miſeros, qui nimia felicitate torpeſcunt: quos, velut in mari lento, tranquillitas iners detinet. Quic-
* quid illis inciderit, novum veniet. Magis urgent ſæva inexpertos. Grave eſt teneræ cervici jugum. Ad ſuſpicionem vulneris tiro palleſcit: audaciter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpe viciſſe poſt ſanguinem. *Ibidem.*

Cogita non eſſe magni animi (a) ſe rebus proſperis fortem gerere, ubi ſecundo curſu vita procedit. Nec gu-
* bernatoris quidem artem, tranquillum mare & obſequens ventus oſtendit. Adverſi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. *Lib. de Conſol. ad Marciam, cap. 6.*

Unum habet aſsidua infelicitas boni, quod quos ſemper vexat, noviſsime indurat. *Lib. de Conſolat. ad Helviam, cap.* 2.

¶ *Vide etiam hac de re Titulos huic finitimos*: Fortitudo, Conſtantia, Exſilium, Perſecutiones bonorum, Patientia.

Perſecutiones bonorum virorum.

IMmenſum erit, ſi percurrere cœpero, ipſa Reſpublica quam ingrata in optimos ac devotiſsimos ſibi fuerit: quamquam non minus ſæpe peccaverit, quam in ipſam peccatum eſt. Camillum in exſilium miſit: Scipionem dimiſit: exſulavit poſt Catilinam Cicero, diruti ejus penates, bona direpta, factum quicquid victor Catilina feciſſet. Rutilius innocentiæ pretium tulit, in Aſia latere. Catoni
* populus Romanus prætúram negavit, conſulatum pernegavit. *Lib.* 5. *de Benef. cap.* 17.

Vos improbi, ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, ſicut ad occurſum ignotorum hominum minuti canes, latratis. Expedit enim vobis neminem videri bonum: quaſi aliena virtus exprobratio delictorum veſtrorum ſit. *Lib. de Vita beata, cap.* 19.

Vos quidem qui virtutem cultoremque ejus odiſtis, nihil novi facitis. Nam & ſolem lumina ægra formidant: & aver-

---

(a) *Tit. Magnanimitas.*

averſantur diem ſplendidum nocturna animalia, quæ ad primum ejus ortum ſtupent, & latibula ſua paſsim petunt: abduntur in aliquas rimas timida lucis. Gemite, & feli-cem linguam bonorum exercete convicio. Inſtate, commordete: citius multo frangetis dentes, quam imprimetis. *Ibid. cap.* 21.

¶ *Vide etiam hac de re, Tit.* Vulgus.

Exſilium.

REmoto igitur judicio plurium (quos prima rerum facies, utcumque credita eſt, aufert) videamus quid ſit exſilium: nempe loci commutatio eſt. Anguſtare videor vim ejus, & quicquid peſsimum in ſe habet, ſubtrahere. Hanc commutationem loci ſequuntur incommoda, pauper-tas, ignominia, contemtus. Adverſus iſta poſtea confligam. Interim primum illud intueri volo, quid acerbi afferat ipſa loci commutatio. *Lib. de Conſol. ad Helviam, cap. 6.*

Adverſus ipſam mutationem locorum (detractis certis incommodis, quæ exſilio adhærent) ſatis hoc remedii putat Varro doctiſsimus Romanorum; quod quocumque venimus, eadem rerum natura utendum eſt. M. Brutus ſatis hoc putat, quod licet in exſilium euntibus virtutes ſuas ferre ſecum. Hæc etiam ſi quis ſingula parum judicat efficacia ad conſolandum exſulem; utraque in unum collata fatebitur plurimum poſſe. Quantulum enim eſt quod perdidimus? Duo quæ pulcherrima ſunt, quocumque nos moverimus ſequentur: natura communis, & propria virtus. Id actum eſt (mihi crede) ab illo, quiſquis formator univerſi fuit: ſive ille Deus eſt potens omnium; ſive incorporalis ratio ingentium operum artifex; ſive divinus ſpiritus per omnia maxima ac minima æquali intentione diffuſus; ſive fatum & immutabilis cauſarum inter ſe cohærentium ſeries: id (inquam) actum eſt, ut in alienum arbitrium niſi viliſſima quæque non caderent. Quicquid optimum homini eſt, id extra humanam potentiam jacet: nec dari nec eripi poteſt. Mundus hic, quo nihil neque majus neque ornatius rerum

rum natura genuit : animus contemplator , admiratorque mundi , pars ejus magnificentiſsima , propria nobis & perpetua , tamdiu nobiſcum manſura , quamdiu ipſi manebimus. Alacres itaque & erecti , quocumque res tulerit , intrepido gradu properemus. *Ibid. cap.* 8.

Emetiamur quaſcumque terras , nullum inventuri ſolum intra mundum , quod alienum homini ſit. Undecumque (a) ex æquo ad cælum erigitur acies. Paribus intervallis omnia divina ab omnibus humanis diſtant. At dum oculi mei ab illo ſpectaculo (cujus inſatiabiles ſunt) non abducantur ; dum mihi lunam ſolemque intueri liceat ; dum ceteris inhærere ſideribus ; dum ortus eorum , occaſus , intervallaque , & cauſas inveſtigare velocius meandi vel tardius ; ſpectare tot per noctem ſtellas micantes , & alias immobiles , alias non in magnum ſpatium exeuntes , ſed intra ſuum ſe circumagentes veſtigium , quaſdam ſubito erumpentes , quaſdam igne fuſo perſtringentes aciem , quaſi decidant , vel longo tractu cum luce multa prætervolantes: dum cum his ſim , & cæleſtibus (qua homini fas eſt) immiſcear ; dum animum ad cognatarum rerum conſpectum tendentem in ſublimi ſemper habeam : quantum refert mea, quid calcem ? Atqui non eſt hæc terra frugiferarum aut lætarum arborum ferax. Non magnis & navigabilibus fluminum alveis irrigatur. Nihil gignit quod aliæ gentes petant , vix ad tutelam incolentium fertilis. Non pretioſus hic lapis cæditur. Non auri argentique venæ eruuntur. Anguſtus animus eſt , quem terrena delectant. Ad illa abducendus eſt , quæ ubique æque apparent , ubique æque ſplendent : & hoc cogitandum eſt , iſta veris bonis per falſa & prave credita obſtare... Iſtud (b) humile tugurium nempe virtutes recipit. Jam omnibus templis formoſius erit , quum illhic juſtitia conſpecta fuerit , quum continentia , quum prudentia , quum pietas , & omnium officiorum recte diſpenſandorum ratio , & humanorum divinorumque ſcientia. Nullus anguſtus eſt locus , qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit. Nullum exſilium grave eſt , in quo licet cum hoc ire comitatu. *Ibid. cap.* 9.

Bru-

(a) *Tit. Contemplatio naturæ.* (b) *Tit. Virtus.*

Brutus in eo libro quem de virtute compoſuit, ait ſe vidiſſe Marcellum Mytilenis exſulantem; & quantum modo natura hominis pateretur, beatiſsime viventem; nec unquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore. Itaque adjicit, viſum ſibi ſe magis in exſilium ire, qui ſine illo rediturus eſſet, quam illum in exſilio relinquere. O fortunatiorem Marcellum, eo tempore quo exſilium ſuum Bruto approbavit, quam quo † Reipub. conſulatum! Quantus vir ille fuit, qui effecit ut aliquis exſul ſibi videretur, quod ab exſule recederet? Qui in admirationem ſui adduxit hominem, etiam Catoni ſuo mirandum? ... Num dubitas, quin ille *Marcellus* tantus vir, ſic ad tolerandum æquo animo exſilium ſe ipſe adhortatus ſit? (a) Quod patria cares, non es miſer: etenim ita te diſciplinis imbuiſti, ut ſcires omnem locum ſapienti viro patriam eſſe. Quid porro? hic qui te expulit, non ipſe per annos decem continuos patria caruit? propagandi ſine dubio imperii cauſa: ſed nempe caruit. Nunc ecce trahit illum ad ſe Africa, reſurgentis belli minis plena: trahit Hiſpania, quæ fractas & afflictas partes refovet: trahit Ægyptus infida: totus denique orbis, qui ad occaſionem concuſsi imperii intentus eſt. Cui primum rei occurret? Cui parti ſe opponet? Aget illum per omnes terras victoria ſua. Illum ſuſpiciant & colant gentes. Tu vive Bruto miratore contentus. Bene ergo exſilium tulit Marcellus: nec quicquam in animo ejus mutavit loci commutatio. *Eod. cap.* 9.

Interim, quantum per moras membrorum, & hanc circumfuſam gravemque ſarcinam licet, celeri (b) & volucri cogitatione animus divina perluſtrat. Ideoque nec exſulare unquam poteſt liber, & diis cognatus, & omni mundo omnique ævo par. Nam cogitatio ejus circa omne cælum, & in omne præteritum futurumque tempus emittitur. Corpuſculum hoc, cuſtodia & vinculum animi, huc atque illhuc jactatur. In hoc ſupplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipſe ſacer & æternus eſt, & cui non poſsit injici manus. *Ibid. cap.* 11.

† *Al.* Populo Romano. (a) *Sermocinatio ipſius hominis ſecum.*
(b) *Contemplatio naturæ.*

Exſulabis. Erras. Quum omnia fecerim, patriam meam tranſire non poſſum. Omnium una eſt. Extra hanc nemo proficiſci poteſt. Exſulabis. Non patria mihi interdicitur, ſed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio. Nulla terra exſilium eſt; altera patria eſt. Non eris in patria. Patria eſt, ubicumque bene eſt. Illud autem per quod bene eſt, in homine, non in loco eſt. In ipſius inquam poteſtate eſt, quæ ſit illi fortuna. Si enim ſapiens eſt, peregrinatur: ſi ſtultus, exſulat. Exſulabis. Hoc dicis: alterius loci civitate donaberis. *In Excerptis poſter.*

Patientia, Impatientia. Præparatio animi ad adverſa ferenda.

QUum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus (a) virtutibus utitur; quum una in promtu ſit, & maxime appareat, patientia. Ceterum, illhic eſt fortitudo: cujus patientia, & perpeſsio, & tolerantia rami ſunt. Illhic eſt prudentia, ſine qua nullum initur conſilium: quæ ſuadet, quod effugere non poſsis quam fortiſsime ferre. Illhic eſt conſtantia, quæ dejici loco non poteſt: & propoſitum nulla vi extorquente dimittit. Illhic eſt individuus ille comitatus virtutum. Quicquid honeſte fit, una virtus facit; ſed de conſilii ſententia. *Epiſt.* 67.

Interim tene hoc mordicus: adverſis (b) non ſuccumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere; tanquam quicquid poteſt facere, factura ſit. Quicquid exſpectatum eſt diu, levius accedit. *Epiſt.* 78.

Nunquam vir ille perfectus adeptuſque virtutem, fortunæ maledixit. Nunquam accidentia triſtis excepit: civem eſſe ſe univerſi & militem credens, labores velut imperatos ſubiit. Quicquid inciderat, non tanquam malum aſpernatus eſt, & in ſe caſu delatum: ſed quaſi delegatum ſibi. Hoc qualecumque eſt (inquit) meum eſt, aſperum eſt, durum eſt: in ipſo navemus operam. Neceſſario itaque magnus

---

(a) *Tit. Virtutum connexio.* (b) *Tit. Fortuna.*

gnus apparuit, qui nunquam malis ingemuit; nunquam de fato ſuo queſtus eſt; fecit multis intellectum ſui; & non aliter quam in tenebris lumen effulſit, advertitque in ſe omnium animos: quum eſſet placidus & lenis, & humanis diviniſque rebus pariter æquus. Habebat perfectum animum, ad ſummam ſui adductus, ſupra quam nihil eſt niſi mens Dei, ex qua pars & in hoc pectus mortale defluxit: quod nunquam (a) magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur: nec domum eſſe hoc corpus, ſed hoſpitium; & quidem breve hoſpitium: quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hoſpiti videas. Maximum, inquam (mi Lucili) argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia judicat & anguſta: ſi exire non metuit. Scit enim quo exiturus ſit, qui unde venerit, meminit. *Epiſt.* 120.

Quid eſt præcipuum? Poſſe læto animo adverſa tolerare: quicquid acciderit ſic ferre, quaſi tibi volueris accidere. Debuiſſes enim velle, ſi ſciſſes ex decreto Dei fieri. (b) Flere, queri, ingemere, deſciſcere eſt. Quid eſt præcipuum? Animus contra calamitates fortis & contumax: luxuriæ non adverſus tantum, ſed & infeſtus: nec avidus periculi, nec fugax: † proſperitatem non exſpectans, ſed adverſus utrumque intrepidus & inconfuſus: nec illius tumultu, nec hujus fulgore percuſſus. *In Præfat. lib.* 3. *Nat. Quæſt.*

Compoſito *animo* nihil accidet. Sic tamen componetur, ſi quid humanarum rerum varietas poſsit, cogitaverit ante quam ſenſerit. Si & liberos, conjugem, atque patrimonium ſic habuerit, tanquam non utique ſemper habiturus; & tanquam non futurus ob hoc miſerior, ſi habere deſierit. Calamitoſus eſt animus (c) futuri anxius, & ante miſerias miſer: qui ſollicitus eſt, ut ea quibus delectatur, ad extremum uſque permaneant. Nullo enim tempore conquieſcet: & exſpectatione futuri, præſentia quibus frui poterat,

 amit-

(a) *Tit. Mors.* (b) *Tit. Fortunæ utriuſque moderatio.* † *Al.* Qui ſciat fortunam non exſpectare, ſed facere: & adverſus utramque intrepidus inconfuſuſque prodire, nec illius tumultu, *cet.* (c) *Tit. Mors.*

amittet. In æquo eſt autem dolor amiſſæ rei, & timor amittendæ. Nec ideo præcipio tibi negligentiam. Tu vero metuenda declina: & quicquid conſilio proſpici poteſt, proſpice. Quodcumque læſurum eſt, multo ante quam accidat, ſpeculare & averte.... Plus dolet quam neceſſe eſt, qui ante dolet quam neceſſe ſit.... *Mortale eſt omne mortalium bonum*: de his loquitur bonis † ad quæ concurritur. Nam illud verum bonum non moritur: certum eſt ſempiternumque, ſapientia & virtus: hoc unum contingit immortale mortalibus. Ceterum tam improbi ſunt, tamque obliti quo eant, quo illos ſinguli dies trahant; ut mirentur aliquid ipſos amittere, amiſſuri uno die omnia. Quicquid eſt, cui dominus inſcriberis; apud te eſt, tuum non eſt. Nihil firmum (a) infirmo, nihil fragili æternum & invictum eſt. Tam neceſſe eſt perire, quam perdere: & hoc ipſum (ſi intelligimus) ſolatium eſt, æquo animo perdere quod perdendum eſt.... Peringratus eſt, qui quum amiſerit, pro accepto nihil debet. Dic tibi: ex iſtis quæ terribilia videntur, nihil eſt invictum. Singula vicere jam multi: ignem Mucius, crucem Regulus, venenum Socrates, exſilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Rurſus iſta, quæ ut ſpecioſa & felicia trahunt vulgum, a multis & ſæpe contemta ſunt. Fabricius (b) divitias imperator rejecit, cenſor notavit. Tubero paupertatem & ſe dignam & capitolio judicavit, quum fictilibus in publica cœna uſus, oſtendit debere his hominem eſſe contentum, quibus dii etiam num uterentur. *Epiſt.* 98.

Quid iſta circumſpicis, quæ tibi poſſunt fortaſſe evenire, ſed poſſunt & non evenire? incendium dico, ruinam, aliaque quæ nobis incidunt; non inſidiantur. Illa potius vide, illa devita, quæ nos obſervant, quæ captant. Rari ſunt caſus, etiam ſi graves; naufragium facere, vehiculo everti. Ab homine (c) homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi: hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, ante quam ſurgat. Crepant ædi-

fi-

† *Sc. Metrodorus, cujus ſunt verba præcedentia.* (a) *Tit. Vita.* (b) *Tit. Parſimonia.* (c) *Tit. Homo.*

ficia ante quam corruant. Prænuntiat fumus incendium. Subita eſt ex homine pernicies: & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras ſi iſtorum tibi qui occurrunt vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum. *Epiſt.* 103.

Id agendum eſt, ne quid nobis inopinatum ſit. Et quia omnia novitate graviora ſunt; hæc cogitatio aſsidua præſtabit, ut nulli ſis malo tiro.... Nihil miremur eorum ad quæ nati ſumus: quæ ideo nulli querenda, quia paria ſunt omnibus. Ita dico, (a) paria ſunt: nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. Æquum autem jus eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt. Imperetur æquitas animo, & ſine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit: algendum eſt. Æſtas calores refert: æſtuandum eſt. Intemperies cæli valetudinem tentat: ægrotandum eſt. Et fera nobis loco occurret, & homo pernicioſior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non poſſumus. Id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum: quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ conſentiamus. Natura autem hoc quod vides regnum, mutationibus temperat. Nubilo ſerena ſuccedunt. Turbantur maria, quum quieverunt. Flant invicem venti. Noctem dies ſequitur. Pars cæli conſurgit, pars mergitur. Contrariis rerum æternitas conſtat. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt: hanc ſequatur, huic pareat: & quæcumque fiunt, debuiſſe fieri putet; nec velit objurgare naturam. Optimum eſt pati, quod emendare non poſsis: & Deum (quo auctore cuncta proveniunt) ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia. Nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui, quicquid patimur, intextum eſt. Et ſic alloquamur Jovem, cujus gubernaculo moles iſta dirigitur, quo modo Cleanthes noſter verſibus diſertiſsimis alloquitur: quos mihi in noſtrum ſermonem mutare permittitur, Ciceronis viri diſertiſsimi exemplo. Si placuerint, boni conſules. Si diſplicuerint, ſcies me in hoc ſecutum Ciceronis exemplum.

(a) *Tit. Adverſitatis neceſsitas.*

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit: nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle: comitabor gemens.
. . . . . .
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

... Hic est magnus animus (a) qui se Deo tradidit. At contra, ille pusillus ac degener qui obluctatur; & de ordine mundi male existimat; & emendare mavult Deos, quam se. *Epist.* 107. *in fine.*

Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: levis est patientia. Si gravis est, feramus: non levis est gloria.... Dura res est dolor. Immo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. Naturam infamare nolite: illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem. Quid, quod ille sequitur fugientes? *Lib. de Remed. Fortuit. sive in Excerptis poster.*

Ad imperfectos, & mediocres, & male sanos hic meus sermo pertinet, non ad sapientem. Huic non timide nec pedetentim ambulandum est. Tanta enim fiducia sui est, ut obviam fortunæ ire non dubitet, nec unquam loco illi cesurus sit. Nec habet ubi illam timeat: quia non mancipia tantum possessionesque & dignitatem; sed corpus quoque suum & oculos, & quicquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum inter precaria numerat: vivitque ut commodatus sibi, & reposcentibus sine tristitia redditurus. Nec ideo est vilis sibi, quia scit se suum non esse: sed omnia tam diligenter facit, tam circumspecte, quam religiosus homo sanctusque solet tueri fidei commissa. Quandocumque autem reddere jubebitur, non queretur cum fortuna; sed dicet: gratias ago pro eo quod possedi habuique. Magna quidem res tuas mercede colui: sed quia imperas, cedo gratus libensque. Si quid habere me tu volueris, etiam nunc servabo: si aliud placet, † ego vero faciam. Signatumque argentum, domum, familiamque meam reddo, restituo. Appellaverit natura, quæ prior nobis credidit: & huic dicemus: recipe animum meliorem quam de-

(a) *Tit. Magnanimitas.* † *Sequentia sic in quamplurimis exemplaribus dispunguntur*: Ego vero factum signatumque argentum, domum, *cet.*

dediſti. Non tergiverſor, nec refugio. Paratum habes a volente, quod non ſentienti dediſti. Aufer. Reverti unde veneris, quid grave eſt? Male vivet, quiſquis neſciet bene mori. Huic itaque primum rei pretium detrahendum eſt, & ſpiritus inter ſervitia numerandus. *De Tranquil. animi, cap.* 11.

Gladiatores (ait Cicero) inviſos habemus, ſi omni mo- ✲
do vitam impetrare cupiunt: favemus, ſi contemtum ejus præ ſe ferunt. Idem evenire nobis ſcias. Sæpe enim cauſa moriendi eſt, timide mori. Fortuna illa quæ ludos ſibi facit, quo (inquit) te reſervem, malum & trepidum animal? eo magis convulneraberis & confodieris, quia neſcis præbere jugulum. At tu etiam vives diutius, & morieris expeditius; qui ferrum non ſubducta cervice, nec manibus oppoſitis, ſed animoſe recipis. Qui mortem timebit, nihil unquam pro homine vivo faciet. At, qui ſcit hoc ſibi (quum conciperetur) ſtatim condictum, vivet ad formulam: & ſimul illud quoque eodem animi robore præſtabit, ne quid ex his quæ eveniunt, ſubitum ſit. Quicquid enim fieri poteſt, quaſi futurum proſpiciendo, malorum omnium impetus molliet, qui ad præparatos exſpectanteſque nihil afferunt novi; ſecuris & beata tantum exſpectantibus graves eveniunt. Morbus enim, captivitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum eſt. Sciebam in quam tumultuoſum me contubernium natura duxiſſet. Toties in vicinia mea conclamatum eſt: toties præter limen immaturas exſequias fax cereuſque præceſsit. Sæpe altius ruentis ædificii fragor ſonuit. Multos ex his quos forum, curia, ſermo mecum contraxerat, nox abſtulit; & vinctas ad ſodalicium manus copulatas intercidit. Mirer aliquando ad me pericula acceſſiſſe, quæ circa me ſemper erraverunt? Magna pars hominum eſt, quæ navigatura, de tempeſtate non cogitat. Nunquam me in bona re, mali pudebit auctoris. Publius tragicis comiciſque vehementior ingeniis... inter multa alia... & hoc ait:

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Hoc ſi quis in medullas demiſerit, & omnia aliena mala (quorum ingens quotidie copia eſt) ſic aſpexerit, tanquam illis liberum, & ad ſe iter ſit; multo ante ſe armabit, quam pe-

petatur. Sero animus ad periculorum patientiam poſt pericula inſtruitur. Non putavi hoc futurum: nunquam hoc eventurum credidiſſem. Quare autem non? Quæ ſunt divitiæ, quas non egeſtas, & fames, & mendicitas a tergo ſequatur? Quæ dignitas, cujus non prætextam, & augurale, & patricia, & ſordes comitentur... & extrema contemtio? Quod regnum eſt, cui non parata ſit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis iſta intervallis diviſa; ſed horæ momentum intereſt inter ſolium & aliena genua. *Deinde commemoratis multorum principum ac regum inſperatis caſibus, ut Pompeji, Sejani, Crœſi, Ptolemei, Mithridatis, & Jugurthæ, concludit his verbis.* In tanta rerum ſurſum ac deorſum euntium verſatione, ſi non quicquid fieri poteſt pro futuro habes, das in te vires rebus adverſis: quas infregit, quiſquis prior vidit. *Ibidem.*

Non ſentire mala ſua, non eſt hominis: & non ferre, non eſt viri. *Lib. de Conſol. ad Polyb. cap.* 36.

Cuivis dolori remedium eſt patientia. *Ex Pub. Mim.*

Feras, non culpes quod mutari non poteſt. *Ex eodem.*

Feras quod lædit, ut quod prodeſt perferas. *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam finitima huic loca*, Adverſitas, Fortitudo, Conſtantia, Fortuna, & Fortunæ utriuſque contemtus.

Perſeverantia.

QUicquid facies, cito redi a corpore ad animum: illum diebus ac noctibus exerce. Labore modico alitur ille. Hanc exercitationem non frigus, non æſtus impediet: ne ſenectus quidem. Id bonum cura, quod vetuſtate fit melius. Nec ego jubeo (a) te ſemper imminere libro, aut pugillaribus. Dandum & aliquod intervallum animo: ita tamen ut non reſolvatur, ſed remittatur. *Epiſt.* 15.

Non (b) quum vacaveris philoſophandum eſt: omnia alia negligenda, ut huic aſsideamus: cui nullum tempus ſatis magnum eſt; etiam ſi a pueritia uſque ad longiſsimos humani ævi terminos vita protendatur. Non multum refert, utrum

(a) *Tit. Recreatio.* (b) *Tit. Studium continuum.*

utrum omittas philoſophiam, an intermittas. *Epiſt.* 72.

Labor, & Induſtria.

GEneroſos animos labor nutrit. *Epiſt.* 31.

Nihil eſt (a) quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis. Curvatas trabes calor explicat: & aliter natæ, in id finguntur, quod uſus noſter exigit. Quanto facilius animus accipit formam, flexibilis & omni humore obſequentior? Quid enim aliud eſt animus, quam quodam modo ſe habens ſpiritus? *Epiſt.* 50.

Nulli ſapere caſu obtigit. Pecunia veniet ultro, honor offeretur, gratia ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi: virtus (b) in te non incidet; ne levi quidem opera, aut parvo labore cognoſcitur: ſed eſt tanti laborare, omnia bona ſemel occupaturo. Unum enim eſt bonum, quod honeſtum. *Epiſt.* 76.

Temperantia, Intemperantia.

MAgni animi eſt (c) magna contemnere; ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia vitaliaque ſunt: at hæc, eo quod ſuperfluunt, nocent. Sic ſegetem nimia ✻ ſternit ubertas. Sic rami onere franguntur. Sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: qua non tantum in aliorum injuriam, ſed etiam in ſuam utuntur. Quis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quam in quoſdam (d) voluptates ſuæ ſunt? Quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc unum poſsis ignoſcere, quod quæ fecere, patiuntur. Nec immerito hic illos furor vexat. Neceſſe eſt in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſiliit. Illa enim habet ſuum finem: inania, & ex li-

(a) *Tit. Perſeverantia.* (b) *Tit. Virtus difficilis.* (c) *Tit. Magnanimitas. Tit. Proſperitas.* (d) *Tit. Voluptas.*

libidine orta, ſine termino ſunt. Neceſſaria metitur utilitas: ſupervacua quo redigis? Voluptatibus utique ſe immergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt: & ob hoc miſerrimi ſunt, quod eo pervenerunt, ut illis, quæ ſupervacua fuerant, facta ſint neceſſaria. Serviunt itaque voluptatibus ſuis; non fruuntur: & mala ſua (quod malorum ultimum eſt) amant. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant; ſed etiam placent. Et deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores ſunt. *Epiſt.* 39.

Parſimoniam ſuam Seneca deſcribit his verbis: Panis ſiccus & ſine menſa prandium: poſt quod non ſunt lavandæ manus. Dormio minimum. Conſuetudinem meam noſti. Breviſſimo ſomno utor, & quaſi interjungo. Satis eſt mihi vigilare deſiiſſe. Aliquando dormiſſe me ſcio, aliquando ſuſpicor. *Epiſt.* 83.

¶ *Vide hac etiam de re finitimos huic Titulos*, Voluptas, Abſtinentia, Frugalitas, Ebrietas, *cet.*

Voluptas.

Vir ſapiens (a) miſerrimos mortalium judicet (in quantiſcumque opibus refulgebunt) ventri ac libidini deditos: quorum animus inerti otio torpet. Dicat ergo ipſe ſibi: voluptas fragilis eſt, & brevis: faſtidit objecta: quo avidius hauſta eſt, citius in contrarium recidens: cujus ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil eſt aut magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat. Res humilis, membrorum turpium ac vilium miniſterio veniens, exitu fœda. Illa eſt voluptas (b) & homine & viro digna, non implere corpus, nec ſaginare; nec cupiditates irritare, quarum tutiſsima eſt quies: ſed perturbatione carere, & eâ quæ hominum inter ſe rixantium ambitus concutit; & eâ quæ intolerabilis ex alto venit, ubi de diis famæ creditum eſt, vitiiſque illos noſtris æſtimavimus. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, nunquam ſen-

(a) *Voluptas vana.* (b) *Vera voluptas.*

ſenſuram ſui tædium percipit hic, quem deformamus quum maxime: qui (ut ita dicam) divini juris atque humani peritus, præſentibus gaudet, ex futuro non pendet. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 2.

Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longiſsime fugiamus. Indurandus eſt animus, & a blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. † Vina Hannibalem hiberna ſolverunt: & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt. Nobis quoque militandum eſt: (a) & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ ſunt in primis voluptates: quæ (ut vides) ſæva quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicate, nihil molliter eſſe faciendum.... Effeminat (b) animos amœnitas nimia. Nec dubie aliquid ad corrumpendum vi- *
gorem poteſt regio. Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum dura in aſpero ungula eſt. In molli paluſtrique paſcuo ſaginata, cito ſubteruntur. Et fortior miles ex confragoſo venit. Segnis eſt urbanus & verna. Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficit pulvere ille unctus & nitidus. Severior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. *Epiſt.* 51.

Debilitatem nobis indixere deliciæ: & quod diu noluimus, poſſe deſivimus. *Epiſt.* 55.

Iſtæ, quæ voluptates vocantur, ubi tranſcenderint modum, pœnæ ſunt. *Epiſt.* 83. *prope fin.*

Videant (c) qui ſummum bonum voluptatem dixerunt, quam turpi illud loco poſuerint. Itaque negant poſſe voluptatem a virtute diduci: & ajunt nec honeſte quemquam vivere, ut non jucunde vivat: nec jucunde, ut non honeſte quoque.... Sed ſi iſta indiſcreta eſſent, non videremus

† *Plurimi ex Mureto legunt*: Vim Hannibalis, *cet. At Joh. Opſopœus ſic ex correctioribus membranis hunc locum caſtigatum voluit*: Una Hannibalem hiberna ſolverunt. *Emphaſim enim eſſe putat in* Una. *Et hanc quoque lectionem nonnullis viris doctis haud diſplicuiſſe intelligimus.*

(a) *Tit. Tentatio.* (b) *Tit. Labor.* (c) *Tit. Felicitas.*

mus quædam jucunda, ſed non honeſta: quædam vero honeſtiſsima, ſed aſpera & per dolores exigenda. *Lib. de Vita beata, cap. 6.*

Addite nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpiſsimam venit. At virtus malam vitam non admittit. Et infelices quidam non ſine voluptate, immo ob ipſam voluptatem ſunt: quod non eveniret, ſi virtuti ſe voluptas immiſcuiſſet; qua virtus ſæpe caret, nunquam indiget. Quid diſsimilia, immo diverſa componitis? Altum quiddam (a) eſt virtus, excelſum, regale, invictum, infatigabile. Voluptas, humile, ſervile, imbecillum, caducum: cujus ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem, latitantem ſæpius ac tenebras captantem; circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia; mollem, enervem, mero ac unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis † pollutam. Summum bonum immortale eſt; neſcit exire: nec ſatietatem habet, nec pœnitentiam. Nunquam enim recta mens vertitur: nec ſibi odio eſt, nec quicquam mutavit, quia ſemper ſecuta eſt optima. At voluptas tum quum maxime delectat, extinguitur: nec multum loci habet. Itaque cito implet, & tædio eſt: & poſt primum impetum marcet. Nec id unquam certum eſt, cujus in motu natura eſt. Ita ne poteſt quidem ulla ejus eſſe ſubſtantia, quod venit tranſitve celerrime, in ipſo uſu ſui periturum. Eo enim pervenit, ubi deſinat: & dum incipit, ſpectat ad finem. *Eod. lib. cap. 7.*

Quid, quod tam bonis quam malis voluptas ineſt? Nec minus turpes dedecus ſuum, quam honeſtos egregia delectant. Ideoque præceperunt veteres optimam ſequi vitam, non jucundiſsimam: ut rectæ ac bonæ voluntatis non dux, ſed comes voluptas ſit. *Ibid. cap. 8.*

Voluptas nocet nimia. In virtute non eſt verendum ne quid nimium ſit: quia in ipſa eſt modus. Non eſt bonum, quod magnitudine laborat ſua. *Lib. de Vita beata, cap. 13.*

Et ſi placet illa *virtutis & voluptatis* junctura; virtus an-

(a) *Tit. Virtus.* † *Al.* Polinctam, *id eſt*, unctam, delibutam.

antecedat, comitetur voluptas, & circa corpus ut umbra
verſetur. Virtutem quidem excelſiſsimam omnium, volu-
ptati tradere ancillam; nihil magnum animo capientis eſt.
Prima *ergo* virtus ſit: hæc ferat ſigna. Habebimus nihilo mi-
nus voluptatem, ſi domini ejus & temperatores erimus.
Aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi qui voluptati tra-
didere principia, utroque caruere: virtutem enim amit-
tunt. Ceterum non ipſi voluptatem; ſed ipſos voluptas ha-
bet: cujus aut inopia torquentur, aut copia ſtrangulantur.
Miſeri ſi deſeruntur ab illa; miſeriores ſi obruuntur. Sic-
ut deprehenſi in mari Syrtico, modo in ſicco relinquun- *
tur, modo torrente unda fluctuantur. Evenit autem hoc
nimia intemperantia, & amore cæco rei. Nam mala pro
bonis petenti, periculoſum eſt aſſequi. Ut feras cum labo- *
re periculoque venamur, & captarum quoque illarum ſol-
licita poſſeſsio eſt; ſæpe enim laniant dominos: ita † ha-
bentes magnas voluptates, in magnum malum evaſere, ca-
ptæque cepere. Quæ quo plures majoreſque ſunt; eo ille
minor ac plurium ſervus eſt, quem felicem vulgus appel-
lat. Permanere libet in hac etiam num hujus rei imagine.
Quemadmodum qui beſtiarum cubicula indagat, & laqueo *
captare feras magno æſtimat, & magnos canibus circum-
dare ſaltus ut illarum veſtigia premat, potiora deſerit, mul-
tiſque officiis renuntiat: ita qui ſectatur voluptatem omnia
poſtponit; & (a) primam libertatem negligit, ac pro ven-
tre dependit: nec voluptates ſibi emit; ſed ſe voluptatibus
vendit. *Ibid. cap.* 14.

Voluptates *improborum* trepidæ, & variis terroribus in-
quietæ ſunt: ſubitque quum maxime exſultantes ſollicita co-
gitatio. Hæc quamdiu? Ab hoc affectu reges ſuam fleve-
re potentiam: nec illos magnitudo fortunæ ſuæ delectavit,
ſed venturus aliquando finis exterruit. Quum per magna
camporum ſpatia porrigeret exercitum, nec numerum ejus,
ſed menſuram comprehenderet Perſarum rex inſolentiſsi-
mus, lacrimas profudit, quod intra centum annos nemo
ex tanta juventute ſuperfuturus eſſet. At illis erat admotu-
rus fatum ille ipſe qui flebas, perdituruſque alios in ter-
ra,

† *Al.* Habentis magnæ voluptates. (a) *Tit. Libertas.*

ra, alios in mari, alios in prælio, alios in fuga: & intra exiguum tempus conſumturus illos, quibus centeſimum annum timebat. *Lib. de Brevit. vitæ, cap.* 16.

Quid, quod gaudia eorum quoque trepida ſunt? Non enim ſolidis cauſis innituntur: ſed eadem qua oriuntur vanitate turbantur. Qualia autem putes tempora eſſe, etiam ipſorum confeſsione miſera; quum hæc quoque quibus ſe atollunt, & ſupra hominem efferunt, parum ſincera ſint? Maxima quæque bona (a) ſollicita ſunt: nec ulli fortunæ minus bene, quam optimæ creditur. Alia felicitate ad tuendam felicitatem opus eſt: & pro ipſis quæ ſucceſſerunt votis, vota facienda ſunt. Omne enim quod fortuito obvenit, inſtabile eſt. Quo altius ſurrexerit, vergit pronius in occaſum. Neminem porro caſura delectant. Miſerrimam ergo neceſſe eſt, non tantum breviſsimam, vitam eorum eſſe, qui magno parant labore quod majore poſsideant: operoſe aſſequuntur quæ volunt; anxii tenent quæ aſſecuti ſunt. Nulla interim nunquam amplius redituri temporis eſt ratio. Novæ occupationes veteribus ſubſtituuntur; ſpes ſpem excitat, ambitionem ambitio: miſeriarum non finis quæritur, ſed materia mutatur. *Ibid. cap.* 17.

¶ *Vide etiam finitima loca*, *Tit.* Luxus, *Tit.* Gula, *Tit.* Ebrietas, *Tit.* Temperantia.

Luxus.

NUnc vobiſcum loquor, quorum æque ſpatioſe luxuria, quam aliorum avaritia diffunditur. Vobis dico: quo uſque nullus erit lacus, cui non villarum veſtrarum faſtigia immineant? nullum flumen, cujus non ripas ædificia veſtra prætexant? Ubicumque ſcatebunt aquarum calentium venæ, ibi nova diverſoria luxuriæ excitabuntur. Ubicumque in aliquem ſinum litus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis: nec contenti ſolo, niſi quod manu feceritis, maria agetis introrſus. Omnibus licet locis tecta veſtra ſplendeant, alicubi impoſita montibus in vaſtum terra-

rum

(a) *Tit. Divitiæ. Tit. Fortunæ inſtabilitas.*

rum mariſque proſpectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta: quum multa ædificaveritis, quum ingentia; tamen & ſingula corpora eſtis & parvula. Quid proſunt multa cubicula? In uno jacetis. Non eſt veſtrum, ubicumque non eſtis. Ad vos deinde tranſeo, quorum profunda (a) & inſatiabilis gula, hinc maria ſcrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore perſequitur. Nullis animalibus, niſi ex faſtidio pax eſt. Quantulum enim eſt, quod ex iſtis epulis quas per tot comparatis manus, feſſo voluptatis ore libatis? Quantulum ex iſta fera periculoſe capta, dominus crudus ac nauſeans guſtat? Quantulum ex tot conchyliis tam longe advectis, per iſtum ſtomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam quod non intelligitis, vos majorem famem habere quam ventrem. Hæc (b) aliis dic: ut dum dicis, audias ipſe. Scribe: ut dum ſcripſeris, legas; omnia ad mores, & (c) ad ſedandam rabiem affectuum referens. Stude, non ut plus aliis ſcias, ſed ut melius. *Epiſt.* 89.

Mihi crede: felix illud ſæculum ante architectonas fuit. Iſta nata ſunt jam naſcente luxuria: in quadratum tigna decidere; & ſerra per deſignata currente, certa manu trabem ſcindere.

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.

Non enim tecta, cœnationi epulum recepturæ parabantur. Nec in hunc uſum pinus, aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus; ut ex illa, lacunaria auro gravia penderent. Furcæ utrimque ſuſpenſæ fulciebant caſam. Spiſſatis ramalibus, ac fronde congeſta & in proclive depoſita, decurſus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis (d) habitavere ſecuri. Culmus liberos texit. Sub marmore atque auro ſervitus habitat. *Epiſt.* 90.

Simplici cura conſtant neceſſaria: in delicias laboratur... Non fuit tam inimica natura, ut quum omnibus aliis animalibus facilem ac tutam vitam daret; homo ſolus non poſſet ſine tot artibus vivere. Nihil horum ab illa nobis im-

(a) *Tit. Gula.* (b) *Tit. Doctor.* (c) *Tit. Affectus.* (d) *Tit. Libertas.*

imperatum eſt. Nihil ægre quærendum, ut poſsit vita produci. Ad parata nati ſumus. Nos omnia nobis difficilia, facilium faſtidio fecimus. Tecta tegumentaque, & fomenta corporum, & cibi, & quæ nunc ingens negotium facta ſunt; obvia erant, & gratuita, & opera levi parabilia. Modus enim omnium, prout poſtulabat neceſsitas, erat. Nos iſta pretioſa, nos mira, nos magnis multiſque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura quod poſcit. A natura luxuria deſcivit: quæ quotidie ſe ipſam incitat, & tot ſæculis creſcit, & ingenio adjuvat vitia. Primo ſupervacua cœpit concupiſcere; inde contraria: noviſsime corpori animum addixit, & illius deſervire libidini juſsit.... Jam ruſticitatis & miſeriæ eſt, velle quantum ſat eſt. *Ead. Epiſt.* 90.

Nunc vero quam longe proceſſerunt mala valetudinis? Has uſuras voluptatum pendimus ultra modum faſque concupitarum. Innumérabiles eſſe morbos miraris? Coquos numera. Ceſſat omne ſtudium: & liberales diſciplinas profeſſi, ſine ulla frequentia, deſertis angulis præſident. In rhetorum ac philoſophorum ſcholis ſolitudo eſt.... Tranſeo agmina exoletorum, per nationes coloreſque deſcripta; ut eadem omnibus levitas ſit, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum: ne quis cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur. Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum: per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur. Dii boni, quantum hominum unus venter exercet! *Epiſt.* 95.

Turpis, qui alto ſole ſemiſomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc ante lucanum eſt. Sunt qui officia lucis noctiſque pervertunt: nec ante deducunt oculos heſterna graves crapula, quam appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (ut ait Virgilius) pedibus noſtris ſubditos e contrario poſuit:

Noſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illis ſera rubens accendit lumina veſper:

talis horum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui (ut Marcus Cato ait) nec orientem unquam ſolem viderunt, nec occidentem.

tem. Hos tu existimas scire, quemadmodum vivendum sit, qui nesciunt quando? Et hi mortem timent, in quam se vivi condiderunt? Tam infausti ominis, quam nocturnæ aves sunt.... Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? Quorum silvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent? Non vivunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mare jaciunt: nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur? Quum instituerunt omnia contra naturæ consuetudinem velle; novissime in totum ab illa decisCunt. Lucet: somni tempus est. Quies est: nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. Jam lux propius accedit: tempus est cœnæ. Non oportet id facere, quod populus. Res sordida est, trita ac vulgari via vivere. Dies publicus relinquatur: proprium nobis ac peculiare mane fiat. Isti vero mihi defunctorum loco sunt. Quantulùm enim a funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt? Hanc vitam agere eodem tempore multos meminimus: inter quos & Atilium Butam prætorium, cui (post patrimonium ingens consumtum) Tiberius paupertatem confitenti: sero, inquit, experrectus es.... Causa autem est ita vivendi quibusdam, non quia aliquid existiment noctem ipsam habere jucundius; sed quia nihil juvat obvium: & gravis malæ conscientiæ lux est. Et omnia concupiscenti aut contemnenti, pro ut magno aut parvo emta sunt, fastidio est lumen gratuitum... Causa tamen præcipua mihi videtur hujus morbi, vitæ communis fastidium. Quo modo cultu se a ceteris distinguunt; quo modo elegantia cœnarum, munditiis vehiculorum: sic volunt separare etiam temporum dispositione. Nolunt solita peccare, quibus peccandi præmium, † fama est. Hanc petunt omnes isti, qui ut ita dicam, retro vivunt. Ideo (Lucili) tenenda nobis vita est, quam natura præscripsit: nec ab illa declinandum. Illam sequentibus omnia facilia & expedita sunt: contra illam nitentibus non alia vita est, quam contra aquam remigantibus. *Epist.* 122.

† *Al.* Infamia est.

¶ *Vide etiam finitima huic loca, ſcilicet, Tit.* Gula, Ebrietas, Intemperantia: *contraque*, Parſimonia, Abſtinentia, *cet.*

Frugalitas, & Parſimonia luxui contraria.

QUi domum intraverit, nos potius miretur quam ſupellectilem noſtram. Magnus ille eſt qui fictilibus ſic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor eſt, qui ſic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi eſt, pati non poſſe divitias. *Epiſt.* 5.

Hanc ergo ſanam, & ſalubrem formam vitæ teneto, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Durius tractandum eſt, ne animo male pareat. Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Hanc utrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scito, hominem tam bene culmo quam auro tegi. Contemne omnia, quæ ſupervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile: cui magno nihil magnum eſt. *Epiſt.* 8.

In ipſa Scipionis Africani villa jacens, hæc tibi ſcribo, adoratis manibus ejus & ara, quam ſepulcrum eſſe tanti viri ſuſpicor. Animam quidem ejus in cælum, ex quo erat, rediiſſe perſuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit (hos enim & Cambyſes furioſus, ac furore feliciter uſus habuit); ſed ob egregiam ejus moderationem pietatemque, magis in illo admirabilem quum reliquit patriam, quam quum defendit.... Magna ergo me voluptas ſubit, contemplantem mores Scipionis ac noſtros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum. Exercebat enim opere ſe, terramque (ut mos fuit priſcis) ipſe ſubigebat. Sub hoc ille tecto tam ſordido ſtetit. Hoc illum pavimentum tam vile ſuſtinuit. At nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat? Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerunt; niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt; niſi illis un-

undique operoſa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur. Eo deliciarum pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus. *Epiſt.* 86.

Idem Seneca de frugalitate ſua in Epiſt. 87. *ſic ait*: Cum pauciſsimis ſervis, quos unum capere vehiculum potuit, ſine ullis rebus, niſi quæ corpore noſtro continebantur, ego & Maximus meus biduum jam beatiſsimum agimus. Culcitra in terra jacet; ego in culcitra. Ex duabus penulis, altera ſtragulum, altera opertorium facta eſt. De prandio nihil detrahi potuit: paratum fuit † non magis hora, nuſquam ſine caricis, nuſquam ſine pugillaribus. Illæ, ſi panem habeo, pro pulmentario ſunt: ſi non, pro pane. Quotidie mihi annum novum faciunt: quem ego fauſtum & felicem reddo bonis cogitationibus & animi magnitudine: qui nunquam major eſt, quam ubi aliena ſepoſuit: & fecit ſibi pacem, nihil timendo; fecit ſibi divitias nihil concupiſcendo. Vehiculum in quod impoſitus ſum, ruſticum eſt. Mulæ, vivere ſe ambulando teſtantur: mulio excalceatus non propter æſtatem. Vix a me obtineo, ut hoc vehiculum velim videri meum. Durat adhuc (a) perverſa recti verecundia. Quoties in aliquem comitatum lautiorem incidimus, invitus erubeſco: quod argumentum eſt, iſta quæ probo, quæ laudo, nondum habere certam ſedem & immobilem. Qui ſordido vehiculo erubeſcit, pretioſo gloriabitur. Parum adhuc profeci: nondum audeo frugalitatem palam ferre. Etiam nunc curo opiniones viatorum. Contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat: inſanitis, erratis, ſtupetis ad ſupervacua, neminem æſtimatis ſuo.... Quid ad rem pertinent mulæ ſaginatæ, unius omnes coloris? Quid iſta vehicula cælata?

——— *Inſtrati oſtro alipedes, pictiſque tapetis.*
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

Iſta nec dominum meliorem poſſunt facere, nec mulam. M. Cato Cenſorius (quem tam Romano populo hercule profuit naſci quam Scipionem: alter enim cum hoſtibus noſtris bellum, alter cum moribus geſsit) canterio vehebatur,

† *Muretus*: Sine magiro: *id eſt, ſine coquo.* (a) *Tit. Verecundia.*

tur, & hippoperis quidem impoſitis, ut ſecum utenſilia portaret.... O quantum erat ſæculi decus, imperatorem triumphalem Cenſorium (& quod ſuper omnia hæc eſt) Catonem uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem. Partem enim ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant. *Epiſt.* 87.

Ego certe quum Attalum audirem in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, ſæpe miſertus ſum generis humani, & illum ſublimem altioremque humano faſtigio credidi. Ipſe regem ſe eſſe dicebat: ſed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret cenſuram agere regnantium. Quum vero commendare paupertatem cœperat, & oſtendere, quicquid uſum excederet, pondus eſſe ſupervacuum & grave ferenti: ſæpe exire e ſchola pauperi libuit. Quum cœperat voluptates noſtras traducere; laudare caſtum corpus, ſobriam menſam, puram mentem non tantum ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſupervacuis: libebat (a) circumſcribere gulam & ventrem. Inde mihi quædam permanſere, Lucili. Magno enim in omnia impetu veneram: deinde ad civitatis vitam reductus, ex bene cœptis pauca ſervavi. Inde oſtreis boletiſque in omnem vitam renuntiatum eſt. Hæc enim non cibi, ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſsimum eſt edacibus & ſe ultra quam capiunt farcientibus; facile deſcenſura, facile reditura. Inde in omnem vitam unguento abſtinemus: † quem obtinemus odor in corpore eſt. Nullo inde vino calet ſtomachus. Inde in omnem vitam balneum fugimus. Decoquere corpus atque exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatumque credimus... Laudare ſolebat Attalus cul-citram, quæ reſiſteret corpori. Tali utor etiam ſenex, in qua veſtigium apparere non poſsit. *Epiſt.* 108.

Addiximus animum voluptati: cui indulgere initium omnium malorum eſt. Tradidimus ambitioni & famæ, ceteris æque vanis & inanibus. Quid ergo nunc te hortor ut facias? Nihil novi: nec enim novis malis remedia quæruntur. Sed hoc primum, ut tecum ipſe diſpicias, quid ſit

(a) *Senecæ parſimonia & abſtinentia.* † *Al.* Quoniam optimus odor in corpore eſt nullus. Inde vino carens ſtomachus.

ſit neceſſarium, quid ſupervacuum. Neceſſaria tibi ubique occurrent: ſupervacua & ſemper, & toto animo quærenda ſunt. Non eſt autem quod te nimis laudes, ſi contemſeris aureos lectos, & gemmeam ſupellectilem. Quæ eſt enim virtus (a) ſupervacua contemnere? Tunc te admirare, quum contemſeris neceſſaria. Non magnam rem facis, quod vivere (b) ſine regio apparatu potes, quod non deſideras miliarios apros, nec linguas fœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ jam tota animalia faſtidientis, & certa membra ex ſingulis eligentis. Tunc te admirabor, ſi non contemſeris etiam ſordidum panem: ſi tibi perſuaſeris herbas (ubi neceſſe eſt) non pecori tantum, ſed homini naſci: ſi ſcieris cacumina arborum explementum eſſe ventris, in quem ſic pretioſa congerimus, tanquam recepta ſervantem. Sine faſtidio implendus eſt. Quid enim ad rem pertinet quid accipiat, perditurus quicquid acceperit? *Epiſt.* 110.

Itinere confectus incommodo magis quam longo, in Albanum meum nocte multa perveni. Nihil habeo paratum niſi me. Ita in lectulo laſsitudinem pono: hanc coqui, hanc piſtoris moram boni conſulo. Mecum enim de hoc ipſo loquor, quam nihil ſit grave, quod leviter excipias: quam indignandum nihil, niſi ipſe indignando adſtruas. Non habet panem meus piſtor: ſed habet villicus, ſed habet atrienſis, ſed habet colonus. Malum panem, inquis. Exſpecta: bonus fiet. Etiam illum tenerum tibi, & ſiligineum fames reddet. Ideo non eſt ante edendum, quam illa imperet. Exſpectabo ergo: nec ante edam, quam aut bonum panem habere cœpero; aut malum faſtidire deſiero. Neceſſarium eſt parvo aſſueſcere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum, etiam locupletibus ... occurrent. Quicquid vult, habere nemo poteſt. Illud poteſt, nolle quod non habet: rebus oblatis hilaris uti. Magna pars libertatis eſt (c) bene moratus venter, & contumeliæ patiens. Æſtimari non poteſt, quantam voluptatem capiam ex eo, quod laſsitudo mea ſibi ipſa acquieſcit. Non unctiones, non balneum, non ullum aliud remedium quam

(a) *Tit. Paupertas voluntaria.* (b) *Tit. Abſtinentia.* (c) *Tit. Libertas.*

temporis quæro. Nam quod labor contraxit, quies tollit.... Aliquando enim experimentum animi ſumſi ſubitum. Hoc enim eſt ſimplicius & verius. Nam ubi ſe præparavit, & indixit ſibi patientiam, non æque apparet quantum habet veræ firmitatis. Illa ſunt certiſsima argumenta, quæ ex tempore dedit: ſi non tantum æquus moleſta, ſed placidus aſpexit; ſi non excanduit, non litigavit; ſi quod dari deberet, ipſe ſibi non deſiderando ſupplevit; & cogitavit, aliquid conſuetudini ſuæ, ſibi nihil deeſſe. *Epiſt.* 123.

Multa quam ſupervacua eſſent non intelleximus, niſi quum deeſſe cœperunt. Utebamur enim illis, non quia debebamus, ſed quia habebamus. Quam multa autem paramus, quia alii paraverunt? quia apud pleroſque ſunt? Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari: quum plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit quia frequentius, ſequimur. Et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt.... Quanto ſatius eſt, rectum ſequi limitem, & eo ſe perducere, ut ea demum ſint tibi jucunda, quæ honeſta? Quod aſſequi poterimus, ſi fecerimus duo eſſe genera rerum, quæ nos aut invitent, aut fugent. Invitent; ut divitiæ, voluptates, forma, ambitio, cetera blanda & arridentia. Fugent; labor, mors, dolor, ignominia, victus adſtrictior. Debemus itaque exerceri, ne hæc timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, & ab invitantibus recedamus: adverſus † premen-
* tia concitemur. Non vides quam diverſus ſit aſcendentium habitus, & deſcendentium? Qui pronum eunt, reſupinant corpora: qui in arduum, incumbunt. Nam ſi deſcendas, pondus ſuum in priorem partem dare; ſi aſcendas, retro abducere; cum vitio (Lucili) conſentire eſt. In voluptates deſcenditur: in aſpera & dura ſubeundum eſt. Hic impellamus corpora, illhic refrenemus. *Ead. Epiſt.* 123.

¶ *Vide etiam finitima huic loca, & contraria, nempe: Tit.* Parſimonia, Gula, Abſtinentia, Ebrietas, Voluptas, *& ſi quæ ſunt alia.*

Ab-

† *Al.* Petentia. *Al.* Potentia.

Abſtinentia.

ANte circumſpiciendum eſt, cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas. *Epiſt.* 19.

Venter præcepta non audit, poſcit, appellat. Non eſt tamen moleſtus creditor: parvo dimittitur; ſi modo das illi quod debes, non quod potes. *Epiſt.* 21.

Non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ injecerit Socion. Diſſerebat, quare ille animalibus abſtinuiſſet, quare poſtea Sextius. Diſsimilis utrique cauſa erat: ſed utrique magnifica. Hic homini ſatis alimentorum citra ſanguinem eſſe credebat: & crudelitatis conſuetudinem fieri, ubi in voluptatem eſſet adducta laceratio. Adjiciebat, contrahendam materiam eſſe luxuriæ. Colligebat, bonæ valetudini contraria eſſe alimenta varia, & noſtris aliena corporibus. At Pythagoras omnium inter omnia cognationem eſſe dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas tranſeuntium.... Interim ſceleris hominibus ac parricidii metum fecit, quum poſsint in parentis animam inſcii incurrere; & ferro morſuve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur.... Si vera ſunt iſta, abſtinuiſſe animalibus innocentia eſt: ſi falſa, frugalitas eſt. † Quod iſthic crudelitatibus tuis damnum eſt? Alimenta tibi leonum & vulturum eripio. His inſtinctus, (a) abſtinere animalibus cœpi: & anno peracto non tantum facilis erat mihi conſuetudo, ſed dulcis. Agiliorem mihi animum eſſe credebam. *Epiſt.* 108.

Numquid enim (mi Lucili) in hoc furor non eſt, quod nemo noſtrum mortalem ſe cogitat? Quod nemo imbecillum? Immo in illo, quod nemo noſtrum unum eſſe ſe cogitat? Aſpice culinas noſtras, & concurſantes inter tot ignes coquos noſtros. Unum videri putas ventrem, cui † tanto tumultu comparatur cibus? Aſpice † vinaria noſtra,

† *Al.* Quod iſtius crudelitatis tuæ damnum eſt? (a) *Senecæ a carnibus abſtinentia.* † *Al.* Tantorum cultu. † *Al.* Veteraria. *Al.* Veterana. *At ego Granatenſis lectionem, ceu correctiorem, in textu retinendam decrevi.*

& plena multorum ſæculorum vindemiis horrea. Unum putas videri ventrem, cui tot climatum regionumque vina conduntur? Aſpice quot locis vertatur terra: quot millia colonorum arent, fodiant. Unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa ſeritur? Sani erimus, & modica concupiſcemus, ſi unuſquiſque ſe numeret: metiatur ſimul corpus, ſciatque nec multum capere, nec diu poſſe. Nihil tamen æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam (a) frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quicquid facies, reſpice ad mortem. *Epiſt.* 114.

¶ *Vide etiam Titulos huic finitimos, qui proxime præceſſerunt, quique ſequuntur.*

Gula.

QUo pervenere deliciæ? Is pro putrido jam piſcis affertur, qui † hodie eductus, hodie occiſus eſt. Neſcio de re magna tibi credere. Ipſe oportet mihi credam. Huc afferatur: coram me animam agat. Ad hunc faſtum pervenit venter delicatorum, ut guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo convivio natantem palpitantemque viderint. Quantum ad ſollertiam luxuriæ pereuntis accedit, tanto ſubtilius quotidie & elegantius aliquid excogitat furor, uſitata contemnens. Illa audiebamus: nihil eſſe melius ſaxatili mullo. At nunc audimus: nihil eſt moriente formoſius. Da mihi in manus vas vitreum, in quo exſultet, in quo trepidet. Ubi multum diuque laudatus eſt, ex illo perlucido vivario extrahitur. Tunc ut quiſque peritior eſt, monſtrat: vide quo modo exarſerit rubor, omni acrior minïo: vide quas per latera venas agat: ecce, ſanguineum putes ventrem; quam lucidum quiddam cæruleumque ſub ipſo tempore effulſit! jam porrigitur & pallet, & in unum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico aſsidet, nemo videre mortem patris ſui ſuſtinet, quam optavit. Quotus quiſque funus domeſticum ad

(a) *Tit. Vita, & mors.* † *Al.* Qui non hodie eductus. *At Pincianus negationem adjectam putat ab aliquo, qui ſenſum non percipiebat.*

ad rogum prosequitur? Fratrum propinquorumque extrema hora deseritur: ad mortem mulli concurritur. Nihil enim est illo formosius. Non tempero mihi, quin utar interdum temerariis verbis, & proprietatis modum excedam. Non sunt ad popinam, dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque gulosi sunt. *Lib.* 3. *Natur. Quæst. cap.* 18.

Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coïrent paullatim. Deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse; firmis adhuc solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui post quam cœpit, non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri; & inventæ sunt mille condituræ, quibus aviditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus quam ex fame macies. Inde incerti labentium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assuescit plus capere quam poterat. Inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentum torpor, aut palpitatio corporum sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum, auriumque tormenta, & cerebri æstuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera; aliarum impetu sævientium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant; qui sibi imperabant; sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigata, aut venatu, aut tellurem versantia. Excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pixidibus. Simplex erat ex simplici causa valetudo. Multos morbos multa fercula fecerunt. Vi-

de

de quantum rerum per unam gulam tranſiturarum, permiſceat luxuria, terrarum mariſque vaſtatrix. Neceſſe eſt itaque inter ſe tam diverſa diſsideant, & hauſta male digerantur, aliis alio nitentibus. *Epiſt.* 95.

Ubi Seneca de nivium generatione in lib. 4. *Natural. Quæſt. diſputavit, ſic tandem concludit.* Quid iſtas (inquis) ineptias, quibus nec litteratior fit quiſquam nec melior, tam operoſe perſequeris? Quo modo fiant nives dicis, quum multo magis ad nos dici a te pertineat, quo modo emendæ non ſint nives. Jubes me cum luxuria litigare. Quotidianum iſtud & ſine effectu jurgium eſt. Litigemus tamen: etiam ſi ſuperior futura eſt, pugnantes ac reluctantes vincat.... Unde ad hoc perventum ſit, ut nulla nobis aqua ſatis frigida videretur quæ flueret, dicam. Quamdiu ſanus, & ſalubris cibi capax ſtomachus eſt; impleturque, non premitur; naturalibus fomentis contentus eſt. Ubi quotidianis cruditatibus non temporis æſtus, ſed ſuos ſentit; ubi ebrietas continua viſceribus inſedit, & præcordia bile, in quam vertitur, torret: aliquid neceſſario quæritur quo æſtus ille frangatur; qui ipſis aquis incaleſcit, remediis incitat vitium. Itaque non æſtate tantum; ſed & media hieme nivem hac cauſa bibunt. Quæ hujus rei cauſa eſt, niſi inteſtinum malum, & luxu corrupta præcordia, quibus nullum intervallum unquam quo interquieſcerent datum eſt; ſed prandia cœnis uſque in lucem perductis ingeſta ſunt, & diſtentos copia ferculorum ac varietate commeſſatio altius merſit? *Lib.* 4. *Natur. Quæſt. cap.* 13.

¶ *Vide etiam hac de re finitimos huic Titulos proxime præcedentes, & ſequentes.*

Sobrietas, Ebrietas.

VUlt nos ab ebrietate deterrere Zeno, vir maximus, hujus ſectæ fortiſsimæ conditor. Audi ergo quemadmodum colligat virum bonum non futurum ebrium. Ebrio ſecretum ſermonem nemo committit: viro autem bo-

bono committit: ergo vir bonus ebrius non eſt.... Non eſt animus in ſua poteſtate, ebrietate devinctus. Quemadmo- *
dum muſto dolia ipſa rumpuntur; & omne quod in imo jacet, in ſummam partem vis caloris ejectat: ſic vino æſtuante, quicquid in imo jacet abditum, effertur (a) & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante: ita ne ſecretum quidem. Quod ſuum alienumque eſt, pariter effundunt.... Interim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? Dic quam turpe ſit plus ſibi ingerere quam capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram. Quam multa ebrii faciant, quibus ſobrii erubeſcant. Nihil aliud eſſe ebrietatem, quam voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum † ebrium habitum: numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non eſt minor, ſed brevior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum cariſsimum ſibi ac fideliſsimum inter epulas tranſfodit: & intellecto facinore, mori voluit, certe debuit. *Epiſt.* 83.

Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim (b) pudore peccandi, quam bona voluntate, prohibitis abſtinent. Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid male latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, (c) ſed protrahit. Tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat; ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit. Tunc impudicus morbum profitetur ac publicat. Tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido. Omne vitium detegitur & prodit. Adjice illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum; ſtomachi tormenta, quum efferveſcit merum ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen utcumque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt. Quid, quum ſomno vitiatur? & quæ ebrietas fuit,

(a) *Tit. Secretum.* † *Al.* Ebrii habitum. (b) *Tit. Pudor.* (c) *Mira notatio Ebrii.*

fuit, cruditas facta eſt? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc, acerrimas gentes, bellicoſaſque hoſtibus tradidit. Hæc, multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit. Hæc, contumaciſsimos & jugum recuſantes, in alienum egit arbitrium. Hæc † invictas acies mero domuit. Alexandrum (cujus modo feci mentionem) tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas (victa temporum locorumque difficultate) tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt; intemperantia bibendi condidit.... *Ibidem.*

Manſuetudo, Clementia.

EX his quæ nos offendunt, alia renuntiantur nobis, alia ipſi audimus & videmus. His quæ narrata ſunt, non debemus (a) cito credere. Multi ementiuntur, ut decipiant: multi quia decepti ſunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit injuriam, ut videatur doluiſſe factam. Eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit.... Qui dicere tibi niſi clam non vult, pæne non dicit. Quid eſt iniquius quam ſecreto credere; palam iraſci? *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 29.

Quorumdam ipſi teſtes ſumus. In his naturam excutiemus, voluntatemque facientium. Puer eſt? (b) ætati donetur: neſcit an peccet. Pater eſt? aut tantum profuit, † ut illi donanda injuria ejus ſit: aut fortaſsis ipſum hoc meritum ejus eſt, quo offendimur. Mulier eſt? † errat. Juſſus eſt? neceſsitati, quis niſi iniquus ſuccenſet? Læſus eſt? non eſt injuria pati, quod prior feceris. Judex eſt? plus illius credas ſententiæ, quam tuæ. Rex eſt? ſi nocentem punit, cede juſtitiæ: ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt, aut ſimile muto? imitaris illud, ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? levius tranſiliet ſuſtinentem.

† *Al.* Invictos acie. (a) *Tit. Fides.* (b) *Subjectio elegans.* † *Pincianus corrigendum putat*: Ut illius jam injuria jus ſit. † *Idem Pincianus legendum arbitratur*, Erat; *non* Errat: *ut ſenſus ſit, muliebrem errorem ignoſcendum: erat enim mulier, hoc eſt, ſexus in errores proni.*

tem. Deus eſt? tam perdis operam quum illi iraſceris, quam quum illum alteri precaris iratum. Bonus vir eſt, qui injuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & jam ſibi dedit, qui peccavit. *Ibid. cap.* 30.

Regis quiſque intra ſe animum habet, ut licentiam ſibi dari velit in alterum, in ſe nolit alteri. Aut ignorantia nos itaque rerum, aut inſolentia iracundos facit. Ignorantia: quid enim mirum eſt, malos mala facinora edere? Quid novi eſt, ſi inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, ſervus peccat? Turpiſsimam, ajebat Fabius, imperatori excuſationem eſſe: *non putavi.* Ego turpiſsimam homini puto. Omnia puta: exſpecta: etiam in bonis moribus aliquid exſiſtet aſperius. Fert humana natura inſidioſos amicos, fert ingratos, fert cupidos, fert impios. Quum de moribus unius judicabis, de publicis cogita. Ubi maxime gaudebis, maxime metues. Ubi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non deſunt, ſed quieſcunt. Semper futurum aliquid quod te offendat, exiſtima. Gubernator nunquam ita totos ſinus explicuit ſecurus, ut non expedite ad contrahendum armamenta diſponeret. *Eodem lib. cap.* 31.

Magni (a) animi eſt, injurias deſpicere. Ultionis contumelioſiſsimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio. Multi leves injurias altius ſibi demiſere, dum vindicant. Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecurus exaudit. *Ibid. cap.* 32.

Quid facilius fuit Antigono, quam duos manipulares duci jubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines & periculoſiſsime & libentiſsime faciunt, qui de rege ſuo male exiſtimant? Audierat omnia Antigonus, utpote quum inter dicentes † & audientem palla intereſſet: quam ille leviter commovit, & longius (inquit) diſcedite, ne vos rex audiat. Idem quadam nocte

(a) *Tit. Magnanimitas.* † *Joh. Opſopœus hunc locum ſic emendat*: Et audientem aulæum intereſſet, quod ille, *cet. Antigonus enim, ut ille ait, in tabernaculo erat; milites in excubiis, velo diſcreti.*

cte (quum quoſdam ex militibus ſuis exaudiſſet, omnia mala imprecantes regi, qui ipſos in illud iter & inextricabile lutum deduxiſſet) acceſsit ad eos, qui maxime laborabant : & quum ignorantes a quo adjuvarentur, explicuiſſet ; nunc (inquit) maledicite Antigono, cujus vitio in has miſerias incidiſtis : ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Idem (a) tam miti animo hoſtium ſuorum maledicta, quam civium tulit. Itaque quum in parvulo quodam caſtello Græci obſiderentur ; & fiduciâ loci contemnentes hoſtem, multa in deformitatem Antigoni jocarentur ; & nunc ſtaturam humilem, nunc coliſum naſum deriderent : gaudeo (inquit) & bene ſpero, ſi in caſtris meis Silenum habeo. Quum hos dicaces fame domuiſſet ; captis ſic uſus eſt, ut eos qui militiæ utiles erant, in cohortes deſcriberet, ceteros præconi ſubjiceret : id quoque ſe negavit facturum fuiſſe, niſi (b) expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 22.

Dicat itaque quiſque ſibi quoties laceſsitur : numquid potentior ſum Philippo? Illi tamen impune maledictum eſt. Numquid in domo mea plus poſſum, quam toto orbe terrarum Divus Auguſtus potuit? Ille tamen contentus fuit a conviciatore ſuo ſecedere. Quid eſt quare ego ſervi mei † hilarius reſponſum & contumaciorem vultum, & non pervenientem uſque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem? Quis ſum, cujus aures lædi nefas ſit? Ignoverunt multi hoſtibus : ego non ignoſcam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuſet, feminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas. Nunc primum offendit? Cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe & alias offendit? Feramus quod diu tulimus. Amicus eſt? Fecit quod noluit. Inimicus eſt? Fecit quod debuit. Prudentiori cedamus : ſtultiori remittamus. Pro quocumque illud reſpondeamus nobis : ſapientiſsimos quoque viros multa delinquere. Neminem eſſe tam circumſpectum, cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat. Neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius fa-

(a) *Tit. Rex.* (b) *Tit. Lingua.* † *Al.* Clatius. *Al.* Elatius.

factum casus impingat. Neminem tam timidum offensarum, qui non in illas, dum vitat, incidat. *Ibid. cap.* 24.

Noli æstimare hanc horam, aut hunc diem. Totum inspice mentis tuæ habitum. Etiam si nihil mali feciſti, potes facere. Quanto satius est sanari injuriam, quam ulciſci? Multum temporis ultio absumit. Multis se injuriis objicit, dum una dolet. Diutius irascimur omnes quam lædimur. Quanto melius est abire in diversum, nec vitia vitiis opponere? Num quis satis constare sibi videtur, si mulam calcibus repetat, & canem morsu? Ista, inquis, peccare se nesciunt. Primum; quam iniquus es, apud quem, hominem esse, ad impetrandam veniam nocet? Deinde; si cetera animalia hoc iræ tuæ subducit, quod consilio carent: eo loco tibi sit quisquis consilio caret. Quid enim refert, an alia mutis dissimilia habeat; si quod in omni peccato muta defendit, similem habet caliginem mentis? ... Mansuete immansueta tractanda sunt. Quod in luctu dici solet, efficaciſsime & in ira dicetur: utrum aliquando desines, an nunquam? Si aliquando; satius est iram relinquere, quam ab ira relinqui. Sin semper hæc cogitatio durabit; vides quam impacatam tibi denuntias vitam. Qualis enim erit semper *ira* tumentis? *Eod. lib. cap.* 27.

Ut de clementia scriberem, Nero Cæsar, una me vox tua maxime compulit: quam ego non sine admiratione, & quum diceretur, audisse me memini; & deinde aliis narrasse. Vocem generosam, magni animi, magnæ lenitatis: quæ non composita, nec alienis auribus data, subito crepuit; sed bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit. Animadversurus in latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius & tibi principi natus, exigebat a te, scriberes, in quos & ex qua causa animadverti velles. Hoc sæpe dilatum, ut aliquando fieret, instabat. Invitus invito quum cartam protulisset traderetque, exclamasti: vellem nescire litteras. O dignam vocem quam audirent omnes gentes, quæ Romanum imperium incolunt; quæque juxta jacent dubiæ libertatis; quæque se contra, viribus aut animis attollunt! O vocem in concionem omnium mortalium mittendam, in cujus ver-

verba principes regesque juramentum faciant! O vocem priscæ generis humani innocentiæ! dignam cui redderetur antiquum illud sæculum. *Lib.* 2. *de Clem. cap.* 1.

Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi: vel, lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis.... Itaque dici potest & inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda.... Huic contrariam imperiti putant severitatem. Sed nulla virtus virtuti contraria est. *Ibid. cap.* 3.

Quid ergo opponitur clementiæ? Crudelitas: quæ nihil aliud est; quam attrocitas animi in exigendis pœnis. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent; modum non habent. *Ibid. cap.* 4.

* Quo modo (a) quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cædi vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit: quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conservant: quemadmodum projecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitiæ vestigia tot verberati procellis ostentant: ita sapientis animus (b) solidus est; & id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quam illa quæ retuli. *Lib.* 2. *de Tranq. animi, cap.* 3. (*)

Quid igitur? Non erit aliquis, qui sapienti facere tentet injuriam? Tentabit; sed non perventuram ad eum. Majore enim intervallo a contactu inferiorum abductus est, quam ut ulla vis noxia usque ad illum vires suas perferat. Etiam quum potentes, & imperio editi, & consensu servientium validi, nocere ei tentent: tam citra sapientem omnes eorum impetus deficient, quam quæ nervo tormentisve in altum exprimuntur, quum extra visum exsilierunt, citra cælum tamen flectuntur. Quid tu putas, quum stolidus ille rex multitudine telorum diem obscurasset, ullam sagittam in solem incidisse? aut demissis in profundum * catenis Neptunum potuisse constringi? Ut cælestia humanas

(a) *Tit. Fortitudo & Patientia.* (b) *Sapientis mansuetudo & patientia inexpugnabilis & invicta.* (*) *Id est, Libro de Constantia Sapientis, sive Quod in sapientem non cadit injuria.*

nas manus effugiunt; & ab his qui templa diruunt, aut ſimulacra conflant, nihil divinitati nocetur: ita quicquid fit in ſapientem proterve, petulanter, ſuperbe; fruſtra tentatur. At ſatius erat, neminem eſſe qui facere vellet. Rem difficilem optas humano generi, innocentiam. At non fieri, eorum intereſt qui facturi ſunt; non ejus qui pati, ne ſi fiat quidem, † poteſt. Immo neſcio, an magis vires ſapientia oſtendat tranquilla inter laceſſentia? ſicut maximum argumentum eſt Imperatoris armis viriſque pollentis, tuta ſecuritas & in hoſtium terra. Dividamus ſi tibi videtur, Serene, injuriam a contumelia. Prior illa naturâ gravior eſt: hæc levior, & tantum delicatis gravis: qua non læduntur, ſed offenduntur. Tanta eſt tamen animorum diſſolutio & vanitas, ut quidam nihil acerbius putent. Sic invenies ſervum, qui flagellis quam colaphis cædi malit: & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat, quam contumelioſa verba. Ad tantas ineptias perventum eſt, ut non dolore tantum, ſed doloris opinione vexemur: more puerorum, quibus metus incutit umbra, & perſonarum deformitas, & depravata facies; lacrimas vero evocant nomina parum grata auribus, & digitorum motus, & alia quæ impetu quodam erroris improvidi refugiunt. *Ibid. cap.* 4. *

Injuria propoſitum hoc habet, aliquem malo afficere. Malo autem ſapientia non relinquit locum. Unum enim illi malum eſt, turpitudo: quæ introire eo, ubi jam virtus honeſtumque eſt, non poteſt. Injuria ergo ad ſapientem non pervenit. Nam ſi injuria alicujus mali patientia eſt: ſapiens autem nullius mali eſt patiens; nulla ad ſapientem injuria pertinet. Omnis injuria, diminutio ejus eſt in quem incurrit. Nec poteſt aliquis injuriam accipere ſine aliquo detrimento, vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos poſitarum. Sapiens autem nihil perdere poteſt: omnia in ſe repoſuit: nihil fortunæ credit: bona ſua in ſolido habet; contentus virtute, (a) quæ fortuitis non indiget. Nihil eripit fortuna, niſi quod dedit: virtutem autem non dat; ideo nec detrahit. Libera eſt, inviolabilis, immo-

† *Al.* Non poteſt. (a) *Tit. Fortitudo, Patientia, & Virtus.*

ta, inconcuſſa: ſic contra caſus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci poſsit. Adverſus apparatus terribilium, rectos oculos tenet: nihil ex vultu mutat, ſive illi dura, ſive ſecunda oſtendantur. Itaque nihil perdet, quod perire ſenſurus ſit. Unius enim in poſſeſsione virtutis eſt, ex qua depelli nunquam poteſt: ceteris precario utitur. Quis autem jactura movetur alieni? Quod ſi injuria nihil lædere poteſt ex his quæ propria ſapientis ſunt, quia virtute ſua ſalva ſunt: injuria ſapienti non poteſt fieri. Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpon philoſophus interrogatus, num quid perdidiſſet? nihil, inquit: omnia namque mea mecum ſunt. Atqui & patrimonium ejus in prædam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis, & patriam violaverat. At ille victoriam illi excuſsit: & ſe (urbe capta) non invictum tantum; ſed indemnem eſſe teſtatus eſt. Habebat enim ſecum vera bona, in quæ non eſt manus injectio. At ea quæ diſsipata & direpta ferebantur, non judicabat ſua; ſed adventitia, & nutum fortunæ ſequentia: ideo non ut propria dilexerat. Omnium enim extrinſecus affluentium lubrica & incerta poſſeſsio eſt. Cogita nunc, an huic fur, an calumniator, an vicinus potens, aut dives aliquis, facere injuriam poſsit: cui bellum, & hoſtis ille egregiam artem quaſſandarum urbium profeſſus, eripere nihil potuit. Inter micantes ubique gladios, & militarem in rapinam tumultum; inter flammas & ſanguinem, ſtragemque impulſæ civitatis; inter fragorem templorum ſuper deos ſuos cadentium, uni homini pax fuit. Non eſt itaque quod audax judices promiſſum: cujus tibi, ſi parum fidei habes, ſponſorem dabo. Vix enim credis, tantum firmitatis in hominem, aut tantam animi magnitudinem cadere: ſed ſi prodit in medium, qui dicat: *Eod. lib. cap.* 5.

Non eſt quod dubites, an attollere ſe homo natus ſupra humana poſsit; an dolores, damna, ulcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa ſe frementium, ſecurus aſpiciat: & dura placide ferat, & ſecunda moderate; nec illis cedens, nec his fretus: unus idemque inter diverſa ſit: nec quicquam ſuum, niſi ſe, putet eſſe; ea quoque parte

te qua melior est. En adsum hoc vobis probaturus: sub isto tot civitatum eversore, munimenta incursu arietis labefieri; & turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repente residere; & æquaturum editissimas arces aggerem crescere: at nulla machinamenta posse reperiri, quæ bene fundatum animum agitent. † Eripui me nudum domo: & incendiis undique relucentibus, per flammas, per sanguinem fugi. Filias meas qui casus habeat, an pejor publico, nescio. Solus & senior, & hostilia circa me omnia videns; tamen integrum incolumemque esse sensum meum profiteor: teneo, habeo quicquid mei habui. Non est quod me victum; victorem te credas. Vicit fortuna tua fortunam meam. Caduca illa & dominum mutantia, ubi sint nescio. Quod ad res meas pertinet, mecum sunt, mecum erunt. Perdiderunt isti divites patrimonia. Libidinosi amores suos, & magno pudoris impendio dilecta scorta. Ambitiosi curiam & forum, & loca exercendis in publico vitiis destinata. Feneratores perdiderunt tabellas suas, quibus avaritia falso læta divitias imaginatur. Ego quidem omnia integra illibataque habeo. Proinde istos interroga qui flent, qui lamentantur, strictis gladiis nuda pro pecuniâ corpora opponunt, qui hostem onerato sinu fugiunt. Ergo ita habe, Serene: perfectum illum virum, humanis diviniſque virtutibus plenum, nihil perdere. Bona ejus solidis & inexsuperabilibus munimentis præcincta sunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intravit. Non Carthaginis aut Numantiæ mœnia, una manu capta. Non capitolium, arcemve. Patent ista hostili vestigio. Illa quæ sapientem tuentur, a flamma & ab incursu tuta sunt: nullum introitum præbent, excelsa, inexpugnabilia, diis æqua. *Ibid. cap. 6.*

Non est quod dicas, ita ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non fingimus istud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsæ virtutis concipimus: sed qualem confirmamus, exhibuimus & exhibebimus. Raro forsitan, magnisque ætatum intervallis invenitur. Neque enim magna, & excedentia solitum ac

† *Al.* Erepsi modo e ruinis domus. *Et, ut reor, castigatius.*

vulgarem modum crebro gignuntur. *Ibid. cap.* 7.

Non poteſt ergo quiſquam aut nocere ſapienti, aut prodeſſe. Quemadmodum divina nec juvari deſiderant, nec lædi poſſunt. Sapiens autem vicinus proximuſque diis conſiſtit, excepta mortalitate, ſimilis Deo.... Non habet unde accipiat injuriam: ab homine me tantum dicere putas? ſed nec a fortuna quidem: quæ quoties cum virtute congreſſa eſt, nunquam par receſsit. Si maximum illud (ultra quod nihil habent iratæ leges, ac ſæviſsimi domini quod minentur; in quo imperium ſuum conſumit fortuna) æquo placidoque animo accipimus, & ſcimus mortem malum non eſſe, ob hoc ne injuriam quidem: multo fortius alia tolerabimus. *Eod. lib. cap.* 8.

Omnia itaque ſic patitur, ut hiemis rigorem, & intemperantiam cæli, & fervores morboſque, & cetera forte accidentia. *Ibid. cap.* 9.

Sed quoniam priorem partem percurrimus, ad alteram *quæ de contumelia eſt*, tranſeamus.... Hunc affectum movet humilitas animi, contrahentis ſe, ob factum dictumque inhonorificum. Ille me hodie non admiſit, quum alios admitteret. Sermonem meum aut ſuperbe averſatus eſt, aut palam riſit. Et non in medio me loco, ſed imo collocavit: & alia hujus notæ. Quæ quid vocem, niſi querelas nauſeantis animi, in quas fere delicati & felices incidunt? Non vacat enim hæc notare cui pejora inſtant. Nimio otio ingenia naturæ infirma, & muliebria, & inopiâ veræ injuriæ laſcivientia, his commoventur: quorum pars major conſtat vitio interpretantis. Itaque nec prudentiæ quicquam in ſe eſſe nec fiduciæ oſtendit, qui contumelia afficitur. Non dubie enim contemtum ſe judicat: & hic morſus non ſine quadam humilitate animi evenit ſupprimentis ſe ac deſcendentis. Sapiens autem a nullo contemnitur. Magnitudinem ſuam novit: nullique tantum de ſe licere nuntiat, quantum ſibi. *Ibid. cap.* 10.

Hæc vero minora ne ſentit quidem: nec adverſus ea, ſolita illa virtute utitur dura tolerandi; ſed aut non adnotat, aut digna riſu putat. Præterea, quum magnam partem contumeliarum ſuperbi inſolenteſque faciant, & male

fe-

felicitatem ferentes; habet quo iſtum affectum inflatum reſpuat, pulcherrimam virtutem omnium, animi ſanitatem magnitudinemque. Illa, quicquid hujuſmodi eſt, tranſcurrit ut vanas ſomniorum ſpecies, viſuſque nocturnos, nihil habentes ſolidi nec veri. *Ibid. cap.* 11.

Quem animum nos adverſus pueros habemus, hunc ✲ ſapiens adverſus omnes, quibus etiam (a) poſt juventam canoſque puerilitas eſt. An quicquam illi profecerunt, quibus animi mala ſunt, auctique in majus errores? qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt? *Ibid. cap.* 12.

Quid eſt autem quare hanc animi firmitatem non credis in virum ſapientem cadere; quum tibi in aliis idem notare, ſed non ex eadem cauſa liceat? Quis enim phre- ✲ netico medicus iraſcitur? Quis febricitantis, & frigidâ prohibiti maledicta in malam partem accipit? Hunc affectum adverſus omnes habet ſapiens, quem adverſus ægros ſuos medicus: quorum nec obſcæna (ſi remedio egent) contrectare, nec reliquias & effuſa intueri dedignatur, nec per furorem ſævientium excipere convicia. Scit ſapiens (b) omnes hos qui togati purpuratique incedunt, † valentes coloratoſque, male ſanos eſſe: quos non aliter videt, quam ægros intemperantes. Itaque ne ſuccenſet quidem, ſi quid in morbo petulantius auſi ſunt adverſus medentem. Et quo animo honores eorum nihilo æſtimat; eodem parum honorifice facta. Quemadmodum non placet ſibi, ſi illum mendicus coluerit; nec contumeliam judicabit, ſi illi homo plebis ultimæ ſalutanti, mutuam ſalutationem non reddiderit: ſic nec ſe ſuſpiciet quidem, ſi illum multi divites ſuſpexerint. Scit enim illos nihil a mendicis differre: immo miſeriores eſſe. Illi enim exiguo; hi multo egent. *Eod. lib. cap.* 13.

Bonum apud virum cito moritur iracundia. *Ex Pub. Mim.*

Clementia in quamcumque domum venerit, felicem eam tranquillamque præſtabit. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Senectus.* (b) *Tit. Vulgus.* † *Alii, ceteris reciſsis, ſolum legunt*: Coloratos maleque ſanos eſſe.

Parcendum eſt improbandis civibus, non aliter quam membris languentibus. *Ex eodem.*

Peccandi verecundiam facit ipſa clementia regentis. *Ex eod.*

Quicquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem inclina, vel præpondera. *Ex eodem.*

Res magnæ clementiæ eſt, indulgendo corrigere peccata, magis quam vindicando. *Ex eodem.*

Severitatem abditam; clementiam in procinctu habe. *Ex eodem.*

Ira.

EXegiſti a me, Novate, ut ſcriberem quemadmodum poſſet ira leniri. Nec immerito mihi videris hunc præcipue affectum pertimuiſſe, maxime ex omnibus tetrum ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique ineſt; hic totus concitatus & in impetu doloris eſt.... dum alteri noceat, ſui negligens; in ipſa irruens tela, & ultionis ſecum multa tracturæ avidus. Quidam itaque e ſapientibus viris iram dixerunt brevem inſaniam: æque enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſsitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi conſiliiſque præcluſa, vanis agitata cauſis, ad diſpectum æqui verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſere frangun-
* tur. Ut autem ſcias non eſſe ſanos quos ira poſſedit, ipſorum habitum intuere. Nam (a) ut furentium certa indicia ſunt; audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi; multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine; labia quatiuntur; dentes comprimuntur; horrent ac ſubriguntur capilli; ſpiritus coactus ac ſtridens; articulorum ſe ipſos torquentium ſonus; gemitus mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus; & complosæ ſæpius manus; & puiſata humus pedibus; & totum concitum corpus, magnaſque iræ mi-

---

(a) *Notatio irati.*

minas agens; fœda viſu & horrenda facies depravantium ſe atque intumentium. Neſcias utrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme. Cetera licet abſcondere, & in abdito alere: ira ſe profert, & in faciem exit; quantoque major eſt, hoc effervescit manifeſtius. *Lib.* 1. *de Ira, cap.* 1.

Jam vero (a) ſi effectus ejus damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas ſordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum ſub civili haſtâ capita venalia, & ſubjectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flammâ relucentia. Aſpice nobiliſsimarum civitatum fundamenta vix notabilia: has ira dejecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas: has ira exhauſit. Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili ſuo confodit: alium inter ſacra menſæ jura percuſsit: alium inter leges celebriſve ſpectaculum fori lancinavit: alium filii parricidio dare ſanguinem juſſit: alium ſervili manu regalem aperire jugulum: alium in cruces membra dividere. *Ibid. cap.* 2.

Si bonum eſſet ira, perfectiſsimum quemque ſequeretur. Atqui iracundiſsimi infantes, ſeneſque, & ægri ſunt: & invalidum omne naturâ querulum eſt. *Ibid. cap.* 13.

Ira eſt concitatio animi ad ultionem voluntate & judicio pergentis. *Lib.* 2. *de Ira, cap.* 3.

Nec magis quiſquam eodem tempore, & iratus poteſt eſſe & vir bonus, quam æger & ſanus. *Eod. lib. cap.* 12.

Pyrrhum maximum præceptorem certaminis gymnici, ſolitum ajunt, his quos exercebat præcipere, ne iraſcerentur. Ira enim perturbat artem: & qua noceat tantum; non qua caveat, aſpicit. Sæpe itaque ratio patientiam ſuadet; ira vindictam: & qui primis defungi malis potuimus, in majora devolvimur. Quoſdam unius verbi contumelia, non æquo animo lata, in exſilium projecit: & qui levem injuriam ſilentio ferre noluerant, graviſsimis malis obruti ſunt; indignatique aliquid ex pleniſsima libertate diminui, ſervile in ſe ſe attraxerunt jugum. *Ibid. cap.* 14.

(a) *A malis conſequentibus amplificat iræ malum.*

Duo (ut opinor) ſunt *iræ remedia* : ne incidamus in iram , & ne in ira peccemus. Ut in corporum cura , alia de tuenda valetudine , alia de reſtituenda , præcepta ſunt: ita aliter iram debemus repellere , aliter compeſcere , ut vincamus. *Ibidem , cap.* 18.

Illud *etiam* ſequitur , ut minimis ſordidiſque rebus non exacerbemur. Parum agilis eſt puer ; aut tepidior aqua potui ; aut turbatus torus ; aut menſa negligentius poſita. ✱ Ad iſta concitari , inſania eſt. Ægræ & infelicis valetudinis eſt , quem levis aura contraxit : affecti oculi , quos candida veſtis obturbat : diſſolutus deliciis , cujus latus alieno labore condoluit. Mindyridem , ajunt , fuiſſe ex Sybaritarum civitate : qui quum vidiſſet fodientem & altius raſtrum allevantem , laſſum ſe fieri queſtus , vetuit illum opus in conſpectu ſuo facere. † Bilem habere ſæpius queſtus eſt , quod foliis roſæ duplicatis incubuiſſet. Ubi animum ſimul & corpus voluptates corrupere , nihil tolerabile videtur : non quia dura , ſed quia molles patimur. Quid enim eſt , cur tuſsis alicujus , aut ſternutamentum, aut muſca parum curioſe fugata , nos in rabiem agat , aut obverſatus calix , aut clavis negligentis ſervi manibus elapſa ? Feret iſte æquo animo civile convicium , & ingeſta in concione curiave maledicta , cujus aures tracti ſubſelii ſtridor offendit ? Perpetietur hic famem , & æſtivæ expeditionis ſitim , qui puero male diluenti nivem iraſcitur ? Nulla itaque res magis iracundiam alit , quam luxuria. *Ibid. cap.* 25. *&* 26.

Nihil *ſane* æque profuit , (a) quam primum intueri deformitatem rei , deinde periculum. Non eſt ullius affectus facies turbatior : pulcherrima ora fœdavit ; torvos vultus ex tranquilliſsimis reddidit. Liquit decor omnis iratos: etiam ſi amictus illius compoſitus ſit ad legem , trahet veſtem , omnemque curam ſui effundet. Si capillorum natura vel arte jacentium non informis eſt habitus : cum animo inhorreſcunt , tumeſcunt venæ , concutitur crebro ſpiritu pectus , rabida vocis eruptio colla diſtendit. Tunc artus trepidi , inquietæ manus , totius corporis fluctuatio. Qua-

† *Alii , & ut puto rectius* : Idem ſæpius queſtus eſt. (a) *Effictio elegans.*

Qualem intra putas esse animum, cujus extra imago tam fœda est? Quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit? *Eodem lib. cap.* 35.

Quibusdam (ut ait Sextius) iratis profuit aspexisse speculum. Perturbavit illos tanta mutatio sui. Veluti in rem præsentem adducti, non agnoverunt se. Et quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? Animus si ostendi, & si in ulla materia perlucere posset, intuentes nos confunderet: ater, maculosusque, æstuans, & distortus, & tumidus. Nunc quoque tanta deformitas ejus est, per ossa carnesque & tot impedimenta effluentis. Quid si nudus ostenderetur? Speculo quidem neminem deterritum ab ira credo. Quid ergo? Qui ad speculum venerat ut se mutaret, jam mutaverat. Iratis quidem, nulla est formosior effigies, quam atrox & horrida: qualesque esse, etiam videri volunt. Magis illud videndum est, quam multis ira per se nocuerit. Alii nimio fervore rupere venas; & sanguinem supra vires elatus clamor egessit; & luminum diffudit aciem in oculos vehementius humor egestus; & in morbos ægri recidere. Nulla celerior ad insaniam via est. Multi itaque continuaverunt iræ furorem: nec quam expulerant mentem, unquam receperunt. Ajacem in mortem egit furor; in furorem ira. Mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecantur: & irasci se negant, non minus quam insanire furiosi. Omnia per vim gerunt: gladiis & pugnare parati, & incumbere. Maximum enim malum illos cepit, & omnia exsuperans vitia. Alia paullatim intrant. Repentina & universa vis hujus est: omnes denique alios affectus sibi subjicit. *Ibid. cap.* 36.

Amorem ardentissimum vincit. Transfoderunt itaque amata corpora: & in eorum quos occiderant, jacuere complexibus. Avaritiam, durissimum malum minimumque flexibile, ira calcavit; adacta opes suas spargere, & domui rebusque in unum collatis injicere ignem. Quid? non ambitiosus magno æstimata projecit insignia, honoremque delatum repulit? Nullus affectus est in quem non

ira

ira dominetur. *Lib.* 2. *de Ira*, *cap.* 37.

Quemadmodum adverſus peſtilentiam nihil prodeſt firmitas corporis, & diligens valetudinis cura; (promiſcue enim imbecilla robuſtaque invadit:) ita ab ira tam inquietis moribus periculum eſt, quam compoſitis & remiſsis. Quibus eo turpior & periculoſior eſt, quo plus in illis mutat. Sed (a) quum primum ſit, non iraſci; ſecundum, retinere; tertium, alienæ iræ mederi: dicam primum, quemadmodum in iram non incidamus: deinde, quemadmodum nos ab illa liberemus: noviſsime, quemadmodum iraſcentem retineamus placemuſque, & ad ſanitatem reducamus. Ne (b) iraſcamur, præſtabimus, ſi omnia vitia iræ nobis ſubinde propoſuerimus, & illam bene æſtimaverimus. Accuſanda eſt apud nos, damnanda. Perſcrutanda ejus mala, & in medium protrahenda ſunt; ut qualis ſit, appareat. Comparanda cum peſsimis eſt. Avaritia acquirit & contrahit, quo aliquis melior utatur: ira impendit. Paucis gratuita eſt. Iracundus dominus quoſdam in fugam ſervos egit, quoſdam in mortem. Quanto plus iraſcendo, quam id erat propter quod iraſcebatur, amiſit? Ira patri luctum, marito divortium attulit, magiſtratui odium, candidato repulſam. Pejor eſt etiam quam luxuria: quoniam illa ſua voluptate fruitur; hæc alieno dolore. Vincit malignitatem & invidiam.... Nihil eſt ſimultatibus gravius: has ira conciliat. Nihil eſt bello funeſtius: in hoc potentium ira prorumpit.... Præterea ira (ut ſeponamus quæ mox ſecutura ſunt damna, inſidias, perpetuam ex certaminibus mutuis ſollicitudinem) dat pœnas, dum exigit. Naturam hominis vitiat. Illa in amorem hortatur; hæc in odium. Illa prodeſſe jubet; hæc nocere. Adjice, quod quum indignatio a nimio ſui ſuſpectu veniat, & animoſa videatur; puſilla eſt, & anguſta. Nemo enim non eo, a quo ſe contemtum judicat, minor eſt. *Lib.* 3. *de Ira*, *cap.* 5.

Quoties diſputatio longior & pugnacior erit, in prima reſiſtamus, ante quam robur accipiat. Alit ſe ipſam contentio: demiſſos altius tenet. Facilius eſt ſe a certamine abſtinere, quam abducere. *Ibid. cap.* 8.

Ve-

(a) *Partitio operis.* (b) *A malis conſequent. amplificat, & diſſuadet.*

Vetus dictum est: a lasso rixam quæri. Æque autem & ab esuriente, & a sitiente, & ab omni homine quem aliqua res urit. Nam ut ulcera ad levem tactum, deinde * etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita animus affectus minimis offenditur; adeo ut quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio ad litem evocent. Nunquam sine querelâ ægra tanguntur.... Facile est autem affectus suos, quum primum oriuntur, deprehendere. Morbum signa præcurrunt. Quemadmodum tempestatis ac pluviæ ante ipsas notæ veniunt: ita iræ, amoris, omniumque ista- * rum procellarum animos vexantium sunt quædam prænuntia. Qui comitiali vitio solent corripi, jam adventare va- * letudinem intelligunt, si calor summa deseruit; & incertum lumen, nervorumque trepidatio est; si memoria sublabitur, caputque versatur. Solitis itaque remediis incipientem † casum occupant... aut si parum medicina profecit, vitaverunt turbam, & sine teste ceciderunt. Proderit morbum suum nosse, & vires ejus ante quam spatientur opprimere. Videamus quid sit, quod nos maxime concitet. Alium verborum, alium rerum contumeliæ movent. Hic vult nobilitati suæ, hic formæ suæ parci. Ille elegantissimus haberi cupit; ille doctissimus. Hic superbiæ impatiens est; hic contumaciæ. Ille servos non putat dignos, quibus irascatur: hic intra domum sævus est, foris mitis. Ille, rogari invidiam judicat: hic, non rogari, contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur. *Eod. lib. cap.* 10.

Non expedit (a) omnia videre, omnia audire. Multæ nos injuriæ transeant: ex quibus pleraſque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit; qui malignos sermones etiam si secreto habiti sint eruit, se ipse inquietat. Quædam interpretatio eo perducit, ut videantur injuriæ. Itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. Pleraque in lusum jocumque vertantur. Socratem (ajunt) colapho percussum nihil amplius dixisse, quam molestum esse, quod nescirent homines quando cum galea prodire deberent. Non quemad-

mo-

† *Al.* Caulam. *Al.* Curam. (a) *Remedia adversus iram.*

modum facta ſit injuria refert, ſed quemadmodum lata.... Piſiſtratum Athenienſium tyrannum, memoriæ proditur, quum multa in crudelitatem ejus ebrius conviva dixiſſet, nec deeſſent qui vellent manus ei commodare ... placido animo tuliſſe, & hoc irritantibus reſpondiſſe: non magis illis ſe ſuccendi, quam ſi quis obligatis oculis in ſe incurriſſet. Magna pars querelas manu fecit, aut falſa ſuſpicando, aut levia gravando. *Ibid. cap.* 11.

Sæpe ad nos ira venit, ſæpius nos ad illam; quæ nunquam arceſſenda eſt: etiam quum incidit, rejiciatur.... Eo loco nos conſtituamus, quo ille eſt cui iraſcimur. Nunc facit iracundos iniqua noſtri æſtimatio: & quæ facere vellemus, pati nolumus. Nemo ſe differt. Atqui maximum remedium iræ, dilatio eſt: ut primus ejus fervor relangueſcat; & caligo quæ premit mentem, aut reſidat, aut minus denſa ſit. Quædam ex his quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies molliet: quædam ex toto evaneſcent. Non potuit impetrare Plato a ſe tempus, quum ſervo ſuo iraſceretur: ſed ponere illum ſtatim tunicam, & præbere ſcapulas verberibus juſsit, ſua manu ipſe percuſſurus. Poſt quam intellexit iraſci ſe; ſicut ſuſtulerat manum, ſuſpenſam detinebat, & ſtabat percuſſuro ſimilis. Interrogatus deinde ab amico qui forte intervenerat, quid ageret? Exigo, inquit, pœnas ab homine iracundo. Velut ſtupens, geſtum illum ſævituri, deformem ſapienti viro ſervabat, oblitus jam ſervi: quia alium quem potius caſtigaret, invenerat. Itaque abſtulit ſibi in ſuos poteſtatem: & ob peccatum quoddam commotior, tu (inquit) Speuſippe, ſervulum iſtum verberibus objurga: nam ego iraſcor. Ob hoc non cæcidit, propter quod alius cæcidiſſet. Iraſcor, inquit: plus faciam quam oportet: libentius faciam. Non ſit iſte ſervus in ejus poteſtate, qui in ſua non eſt. Aliquis vult irato committi ultionem; quum Plato ſibi imperium abrogaverit? Nihil tibi liceat, dum iraſceris. Quare? quia vis omnia licere. Pugna tecum ipſe. Si iram vincere non potes, illa te incipit vincere. Si abſconditur, ſi illi exitus non datur, ſigna ejus obruamus: & illam quantum fieri poteſt, occultam ſecretamque teneamus. *Eod. lib. cap.* 12.

In

In imo pectoris ſeceſſu recondatur : feratúrque , non ferat. Immo in contrarium omnia ejus indicia flectamus. Vultus remittatur , vox lenior ſit , gradus lentior. Paullatim cum exterioribus interiora formentur. In Socrate iræ ſignum erat , vocem ſubmittere , loqui parcius. Apparebat tunc illum ſibi obſtare. Deprehendebatur itaque a familiaribus , & coarguebatur. Nec erat illi exprobratio latitantis iræ ingrata. Quidni gauderet , quod iram ſuam multi intelligerent , nemo ſentiret? *Ibid. cap.* 13.

Seneca deinde ut iræ ſævitiam amplificet , exempla inſignis crudelitatis ab ira profectæ , non modo Barbarorum , ſed etiam Græcorum regum commemorat : ac tandem ſubdit : Utinam iſta ſævitia inter peregrina manſiſſet exempla : nec in Romanos mores cum aliis adventitiis vitiis , etiam ſuppliciorum irarumque barbaria tranſiſſet ! M. Mario , cui vicatim populus ſtatuas poſuerat ; cui ture & vino Rom. Populus ſupplicabat , L. Sylla perfringi crura , erui oculos, amputari manus juſsit : & quaſi toties occideret quoties vulnerabat , paullatim & per ſingulos artus laceravit.... Dignus erat Marius qui illa pateretur , Sylla qui juberet, Catilina qui faceret. Sed indigna Reſp. quæ in corpus ſuum pariter & hoſtium & vindicum gladios reciperet. *Lib.* 3. *de Ira , cap.* 18.

Paullo inferius poſt enarratam Caji Cæſaris immanitatem ſic ait : Non enim Caji ſævitiam ; ſed iræ malum , propoſitum eſt ſcribere : quæ non tantum viritim furit ; ſed gentes totas lancinat , ſed urbes , ſed flumina exuta ab omni ſenſu doloris converberat. Sicut Rex Perſarum , totius populi nares recidit in Syria.... Peperciſſe illum judicas , quod non tota capita præcidit ? Novo genere pœnæ delectatus eſt. Tale aliquid paſsi forent Æthiopes , qui ob longiſsimum iræ ſpatium Macrobii appellantur. In hos enim (quia non ſupinis manibus exceperant ſervitutem ; miſsiſque legatis libera reſponſa dederant , quæ contumelioſa reges vocant) Cambyſes fremebat ; & non proviſis commeatibus , non exploratis itineribus , per invia , per arentia trahebat omnem bello utilem turbam : cui intra primum iter deerant neceſſaria ; nec quicquam ſubminiſtrabat ſterilis &

in-

inculta, humanoque veſtigio ignota regio. Suſtinebant famem, primo tenerrima frondium, & cacumina arborum; tum coria igne mollita, & quicquid neceſsitas cibum fecerat. Poſtquam inter arenas, radices quoque & herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium ſolitudo; decimum quemque ſortiti, alimentum habuerunt fame ſævius. Agebat adhuc ira (a) regem præcipitem, quum partem exercitus amiſiſſet, partem comediſſet: donec timuit ne & ipſe vocaretur ad ſortem. Tum demum ſignum receptui dedit. Servabantur illi interim generoſæ aves, & inſtrumenta epularum camelis vehebantur: quum ſortirentur milites ejus, quis male periret, quis pejus viveret. *Ibid. cap.* 20.

Hic iratus fuit genti, & ignotæ & immeritæ; ſenſuræ tamen: Cyrus fluvio. Nam quum Babylonem oppugnaturus feſtinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occaſionibus ſunt; Gynden late fuſum amnem † nando tranſire tentavit: quod vix tutum eſt, etiam quum ſenſit æſtatem, & ad minimum deductus eſt. Ibi unus ex his equis, qui trahere regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementer commovit regem. Juravit itaque, amnem illum † regis commeatus auferentem, eo ſe redacturum, ut tranſiri calcarique etiam a feminis poſſet. Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatum: & tam diu aſſedit operi, donec c. & lxxx. cuniculis diviſum alveum in ccc. & lx. rivos diſpergeret, & ſiccum relinqueret, in diverſum fluentibus aquis. Periit itaque & tempus, magna in vanis rebus jactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occaſio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hoſti cum flumine gerit. *Ibid. cap.* 21.

Multos abſolvemus, ſi cœperimus ante judicare quam iraſci. Nunc autem primum impetum ſequimur. Deinde quamvis vana nos concitaverint, perſeveramus, ne videamur cœpiſſe ſine cauſa: & quod iniquiſsimum eſt, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. Retinemus enim illam & augemus; quaſi argumentum ſit juſte iraſcendi, graviter ira-

(a) *Quam ſit præceps & violenta ira.* † *Caſtigatiora exemplaria non habent* nando, *ſed* vado. † *Al.* Regiis equis meatum auferentem.

iraſci. Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes. *Eod. lib. cap.* 29.

Frivolis turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad umbram aſpis exſurgit: urſos leoneſque mappa proritat. Omnia quæ naturâ fera ac rabida ſunt, conſternantur ad minima. Idem inquietis & ſtolidis ingeniis evenit: rerum ſuſpicione feriuntur: adeo quidem, ut interdum injurias vocent modica beneficia; in quibus frequentiſsima, certe acerbiſsima iracundiæ materia eſt. Cariſsimis enim iraſcimur, quod minora nobis præſtiterint, quam mente concepimus; quam quæ alii tulerint: quum utriuſque rei paratum remedium ſit. Magis alteri indulſit? Noſtra nos ſine comparatione delectent. Nunquam erit felix (a) quem torquebit felicior. Minus habeo quam ſperavi? Sed fortaſſe plus ſperavi, quam debui. *Ibid. cap.* 30.

Nulli ad aliena reſpicienti ſua placent. Inde diis quoque iraſcimur, quod aliquis nos antecedat, obliti quantum ſequatur a tergo ingentis invidiæ. Tanta tamen importunitas hominum eſt, ut quamvis multum acceperint; injuriæ loco ſit, plus accipere potuiſſe. *Ibid. cap.* 31.

Videamus (b) quo modo alienam iram leniamus: nec enim ſani eſſe tantum volumus, ſed ſanare. Primam iram non audebimus oratione mulcere: ſurda eſt, & amens. Dabimus illi ſpatium: remedia in remiſsionibus proſunt. Nec oculos tumentes tentabimus; vim rigentem movendo incitaturi, nec cetera vitia dum fervent. Initia morborum quies curat. Quantulum, inquis, prodeſt remedium tuum, ſi ſua ſponte deſinentem iram placat? Primum, ut citius deſinat, efficit: deinde cuſtodiet, ne recidat: ipſum quoque impetum, quem non audet lenire, fallet. Removebit omnia ultionis inſtrumenta. Simulabit iram, ut tanquam adjutor & doloris comes plus auctoritatis in conſiliis habeat. Moras nectet: & dum majorem quærit pœnam, præſentem differet. Omni arte requiem furori dabit. Si vehementior erit; aut pudorem illi cui non reſiſtit incutiet, aut metum. Si infirmior; ſermones inferet vel gratos vel novos, & cupiditate cognoſcendi avocabit. Medi-

(a) *Tit. Invidia.* (b) *Tertia ſupra poſitæ diviſionis pars.*

*dicum ajunt, quum regis filiam curare deberet, nec ſine ferro poſſet; dum tumentem mammam leniter fovet, ſcalpellum ſpongia tectum induxiſſe. Repugnaſſet puella remedio palam admoto: eadem, quia non exſpectavit, dolorem tulit. *Eodem lib. cap.* 39.

Quædam non niſi decepta ſanantur. Alteri dices: vide ne inimicis iracundia tua voluptati ſit. Alteri: vide ne magnitudo animi tui, creditumque apud pleroſque robur cadat. Indignor mehercule, & non invenio dolendi modum: ſed tempus exſpectandum eſt. Dabit pœnas. Serva iſtud in animo tuo: quum potueris, & pro mora reddes. Caſtigare vero iraſcentem, & ultro obviam ire ei, incitare eſt. *Ibid. cap.* 40.

Graviſsima eſt probi hominis iracundia. *Ex Pub. Mim.*

Homo, extra corpus eſt ſuum, quum iraſcitur. *Ex eod.*

Iratum breviter vites; inimicum diu. *Ex eodem.*

Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum. *Ex eod.*

Iratus, etiam facinus conſilium putat. *Ex eodem.*

Maledictum interpretando facies acrius. *Ex eodem.*

Muliebre eſt, furere in ira. *Ex eodem.*

Numquam liquidum ſincerumque ex turbido venit. *Ex eodem.*

Re vera memoria beneficiorum fragilis eſt; injuriarum tenax. *Ex eodem.*

Si quis iraſcitur, pœnas ab alio expetit, a ſe exigit. *Ex eodem.*

Furor fit, læſa ſæpius patientia. *Ex eodem.*

Mutat ſe bonitas, quum irrites injuriâ. *Ex eodem.*

Heu! quam difficile eſt lædi ab illo, de quo non poſſis queri. *Ex eodem.*

Modeſtia.

ILlud autem te admoneo: ne eorum more qui non proficere ſed conſpici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia ſint. † Aſperum, incultum, &

† *Al.* Aſperum cultum, & intonſum caput. *Sed non video cur a Granatenſis lectione hac parte recedamus.*

& intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi poſitum, & quicquid aliud ambitionem perverſa via ſequitur, devita. Satis ipſum nomen philoſophiæ, etiam ſi modeſte tractetur, invidioſum eſt. Quid ſi nos (a) hominum conſuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia diſsimilia ſint: frons noſtra populo conveniat. Non ſplendeat toga: ne ſordeat quidem. Id agamus, ut meliorem vitam ſequamur quam vulgus; non ut contrariam. Alioqui quos emendari volumus, fugamus a nobis & avertimus. *Epiſt.* 5.

Maximum hoc eſt, (b) & officium ſapientiæ & indicium, ut verbis opera concordent; ut ipſe ubique par ſibi, idemque ſit. Quis hoc præſtabit? Pauci: aliqui tamen. Eſt difficile hoc. Nec dico ſapientem ſemper uno iturum gradu; ſed una via. Obſerva itaque num quid veſtis tua domuſque diſſentiant? Num quid in te liberalis ſis, in tuos ſordidus? Num quid cœnes frugaliter, ædifices luxurioſe? Unam ſemel ad quam vivas regulam prende: & ad hanc, omnem vitam tuam exæqua. Quidam ſe domi contrahunt; dilatant foris & extendunt. Vitium eſt hæc diverſitas, & ſignum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem ſuum. *Epiſt.* 20.

I, qua cœpiſti: & in iſto te vitæ habitu compone; (c) placide, non molliter.... Paullatim enim effeminatur animus; atque in ſimilitudinem otii ſui & pigritiæ, in qua jacet, ſolvitur. *Epiſt.* 82.

Sapiens (d) non aliis exprobret: non abhorreat a publicis moribus: nec hoc agat, ut quicquid non facit, damnare videatur. Licet ſapere ſine pompa, ſine invidia. *Epiſt.* 103. *in fine.*

Etiam obliviſci quod ſis, interdum expedit. *Ex Pub. Mim.*

Nihil petas, quod negaturus es. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Vulgus.* (b) *Tit. Æquabilitas vitæ, & conſtantia.* (c) *Tit. Voluptas.* (d) *Tit. Vulgus.*

Linguæ moderatio.

APud Pythagoram, diſcipulis quinque annis tacendum erat. *Epiſt.* 52.

Imago animi ſermo eſt : qualis eſt vir, talis oratio. *Ex Pub. Mim.*

Miſerum eſt, cogi tacere quod cupis loqui. *Ex eodem.*

Tene ſemper vocis & ſilentii temperamentum. Tamen & in hoc incumbe, ut libentius audias quam loquaris. Tacere qui neſcit, neſcit loqui. *Ex eodem.*

Turpia ne dixeris : paullatim enim pudor rerum per verba diſcutitur. Tranſibit ſermo in affectum, ſi honeſta loquamur. *Ex eodem.*

Quod tacitum eſſe vis, nemini dixeris. Quia non poteris ab alio ſilentium exigere, ſi tibi ipſi non præſtas. *Ex eod.*

Recreatio, ſive Relaxatio animi.

OMnibus quidem prodeſt ſubinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor : & omnis triſtitia quæ continuatione pertinacis ſtudii adducitur, feriarum hilaritate diſcutitur. Nulli tamen intermiſsio manifeſtius quam *Porcio Latroni* proderat.... Itaque ſolebat & ipſe, quum ſe aſſidua & nunquam intermiſſa contentione fregerat, ſentire ingenii laſsitudinem : quæ non minor eſt quam corporis, ſed occultior. *In Prologo lib.* 1. *Controverſ.*

Jucundum eſt nihil, niſi quod reficit varietas. *Ex Pub. Mim.*

Verecundia, Pudor.

SIc fac omnia, tanquam ſpectet aliquis. Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe ; & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis judices.... Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Quum jam profeceris tantum,

tum, ut ſit tibi tui etiam reverentia, licebit dimittas pædagogum. Interim te aliquorum auctoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cujus interventu perditi quoque homines vitia ſupprimerent. *Epiſt.* 25.

Ignoſcere, humanum; ubi pudet cui ignoſcitur. *Ex Pub. Mim.*

Recta ingenia debilitat verecundia; prava confirmat audacia. *Ex eodem.*

Proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſsio. *Ex eodem.*

Ornatus corporis & veſtium.

QUid ſibi (a) rerum natura voluit, quod quum vera corpora dediſſet, etiam ſimulacra eorum aſpici voluit? Quorſus pertinuerit, hanc comparare materiam excipiendarum imaginum potentem? Non in hoc ſcilicet, ut ad ſpeculum barbam faciemque velleremus; aut ut faciem viri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriæ conceſsit: ſed primum omnium, quia imbecilli oculi ad ſuſtinendum cominus ſolem ignoraturi erant formam ejus, hebetato illum lumine oſtendit. Quamvis enim eum orientem occidentemque contemplari liceat; tamen habitum ejus, ipſum qui verus eſt, non rubentis, ſed candida luce fulgentis neſciremus, niſi in aliquo nobis † humore lævior, & aſpici facilior occurreret. Præterea duorum ſiderum occurſum, quo interpolari dies ſolet, non videremus; nec ſcire poſſemus quid eſſet, † niſi liberius humi, ſolis lunæque imagines videremus. Inventa ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta. Primum, ſui notitia: deinde, & ad quædam conſilium. Formoſus, ut vitaret infamiam: deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus quicquid corpori deeſſet. Juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi &

(a) *Tit. Dei opificium.* † *Pincianus legendum putat*: Humore lævoreve adſpici facilior occurreret. † *Al.* Niſi lævore hujuſmodi, ſolis lunæque, *cet. Ex eodem Pinciano.*

fortia audendi : ſenex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nos met ipſos videndi. Fons cuique perlucidus, aut leve ſaxum imaginem reddit:

——*Nuper me in litore vidi,*
Quum placidum ventis ſtaret mare.

Qualem fuiſſe cultum putas ad hoc ſpeculum ſe comentium? Ætas illa ſimplicior & fortuitis contenta, nondum † in vitium beneficium detorquebat; nec inventum naturæ in libidinem luxumque rapiebat.... Poſtea rerum jam potiente luxuria, ſpecula totis paria corporibus, auro argentoque cælata ſunt; denique gemmis adornata: & pluris unum ex his feminæ conſtitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publice dabatur imperatorum pauperum † liberis. An tu exiſtimas ex auro nitidum habuiſſe Scipionis filias ſpeculum, quum illis dos fuiſſet æs grave? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit! Non feciſſet illis Senatus dotem, ſi habuiſſent. At quiſquis ille fuit, cui ſoceri loco Senatus fuit, intellexit ſe accepiſſe dotem, quam fas non eſſet reddere. Jam libertinorum virgunculis in unum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione. Proceſsit enim immodeſtius, paullatim opibus ipſis invitata luxuria; & incrementum ingens vitia acceperunt. Adeoque omnia indiſcreta ſunt perverſiſsimis artibus, ut quicquid mundus muliebris vocabatur, ſarcinæ viriles ſint. *Lib.* 1. *Nat. Quæſt. cap.* 17.

Superbia.

EST proprium ſuperbiæ, magno æſtimare introitum ac tactum ſui liminis: pro honore dare, ut oſtio ſuo propius aſſideas; ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludunt. *Lib.* 6. *de Benef. cap.* 33.

Am-

† *Pincianus*: In vitia blanditias. † *Al.* Filiabus.

Ambitio.

NEmo eorum qui in Repub. verſantur, quos vincat, ſed a quibus vincatur, aſpicit. Et illis non tam jucundum eſt, multos poſt ſe videre; quam grave, aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio: non reſpicit. Nec ambitio tantum inſtabilis eſt, verum cupiditas omnis: quia incipit ſemper a fine. *Epiſt.* 73.

Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, ſubmove vitia. Multi inveniuntur qui ignem inferant urbibus; qui inexpugnabilia ſæculis, & per aliquot ætates tuta proſternant; qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus atque machinis quaſſent. Multi ſunt, qui ante ſe agant agmina, & tergis hoſtium graves inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant: ſed hi quoque, ut vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſiſtit: ſed nec ipſi ambitioni crudelitatique reſtiterant. Tunc quum agere viſi ſunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devaſtandi, & ad ignota mittebat. An tu putas ſanum, qui a Græciæ primum cladibus (in qua eruditus eſt) incipit? qui quod cuique optimum eſt, eripit? Lacedæmona ſervire jubet; Athenas tacere. Non contentus tot civitatum ſtrage, quas aut vicerat Philippus aut emerat; alias alio loco projicit, & toto orbe arma circumfert. Nec ſubſiſtit uſquam laſſa crudelitas, immanium ferarum modo, quæ plus quam exigit fames, mordent. Jam in unum regnum multa regna conjecit. Jam Græci Perſæque eumdem timent. Jam etiam a Dario liberæ nationes jugum accipiunt. Idem tamen ultra oceanum ſolemque indignatur ab Herculis Liberique veſtigiis victoriam flectere. Ipſi naturæ vim parat. Non ille ire vult; ſed non poteſt ſtare: non aliter quam in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis eſt, jacuiſſe. Nec Cn. quidem Pompejo externa inire bella aut domeſtica, virtus aut ratio ſuadebat: ſed inſanus amore magnitudinis falſæ, modo in Hiſpaniam & Sertoriana arma, modo ad colligen-

dos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur cauſæ ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septemtrionem? quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Aſiæ angulos traxit? Infinita ſcilicet cupido creſcendi, quum ſibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæſarem in ſua fata pariter ac publica immiſit? Gloria, & ambitio, & nullus ſupra ceteros eminendi modus. Unum ante ſe ferre non potuit, quum Reſpub. ſupra ſe duos ferret. Quid? tu C. Marium ſemel conſulem (unum enim conſulatum accepit, ceteros rapuit) quum Theutonos Cimbroſque concideret; quum Jugurtham per Africæ deſerta ſequeretur; tot pericula putas appetiſſe virtutis inſtinctu? Marius exercitum; Marium ducebat ambitio. Iſti quum
* omnia concuterent, concutiebantur: turbinum more, qui rapta convolvunt; ſed ipſi ante volvuntur: & ob hoc majore impetu incurrunt, quia nullum illis ſui regimen eſt. Ideoque quum multis fuerint malo, peſtiferam illam vim qua pleriſque nocuerunt, ipſi quoque ſentiunt. Non eſt quod credas, quemquam fieri aliena infelicitate felicem. Omnia iſta exempla quæ oculis atque auribus noſtris ingeruntur, retexenda ſunt: & plenum malis ſermonibus pectus exhauriendum. Inducenda eſt in occupatum locum virtus: quæ mendacia (a) contra verum placentia exſtirpet; quæ nos a populo, cui nimis credimus, ſeparet; ac ſinceris opinionibus reddat. Hæc eſt enim ſapientia: in naturam converti; & eo reſtitui, unde publicus error expulerit. *Epiſt.* 94.

Quum videris prætextam ſæpe jam ſumtam; quum celebre in foro nomen, non invideas. Iſta vitæ damno parantur. Ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos ſuos conterent. Quoſdam autem (b) quum in ſummum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas reliquit. Quoſdam quum in conſummationem dignitatis per mille indignitates irrepſiſſent, miſera ſubit cogitatio ipſos laboraſſe in titulum ſepulcri. *Lib. de Brevit. vitæ, cap.* 19.

De

(a) *Tit. Vulgus.* (b) *Hoc dicit propter eos, qui ſtatim poſt dignitatem longo tempore quæſitam mortui ſunt.*

De vera & falsa gloria.

NUnquam volui (a) populo placere. Nam quæ ego scio, non probat populus : quæ probat populus , ego nescio. Quis hoc? inquis : tanquam nescias cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt , Peripatetici , Academici , Stoici , Cynici. Quis enim (b) placere potest populo , cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur : similem te illis facias oportet. *Epist.* 29.

Conciliari , nisi turpi ratione , amor turpium non potest. Quid ergo illa laudata , & omnibus præferenda artibus rebusque philosophia præstabit? Scilicet , ut malis tibi placere , (c) quam populo : ut æstimes judicia , non numeres. *Ibidem.*

Ceterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi; si intrante te , clamor , plausus , & pantomimica ornamenta obstrepuerint ; si tota civitate te feminæ puerique laudaverint : quid ni ego tui miserear , quum sciam quæ via ad istum favorem ferat? *Ibidem.*

O quam ignorant homines cupidi gloriæ , quid illa sit, aut quemadmodum petenda ! *Epist.* 95. *in fine.*

Magnificum est laudari a laudato viro , laude digno. *Epist.* 102.

Heu quam difficile est , gloriæ custodia ! *Ex Pub. Mim.*

Laus nova nisi oritur , etiam vetus amittitur. *Ex eod.*

Lascivia & laus nunquam habent concordiam. *Ex eod.*

Opinantur de te homines mala , sed mali : displicere enim malis laudabile est. *Ex eodem.*

Hypocrisis.

BOnitatis verba imitari , major malitia est. *Ex Pub. Mim.*

Malus , ubi bonum se esse simulat , tunc est pessimus. *Ex eodem.*

(a) *Tit. Vulgus.* (b) *Tit. Detractionis contemtus.* (c) *Tit. Vulgus.*

Nemo poteſt perſonam diu ferre fictam. Ficta cito in naturam ſuam tranſeunt. *Ex eodem.*

Cognitio & exploratio ſui.

NEmo non benignus eſt ſui judex. Inde eſt, ut omnia meruiſſe ſe exiſtimet. *Lib.* 2. *de Benef. cap.* 26.

Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, ante quam emendes. *Epiſt.* 28.

Multorum, quia imbecilla ſunt, latent vitia: non minus auſura quum illis vires ſuæ placuerint, quam illa quæ jam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tuto ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore. *Epiſt.* 42.

Quædam *vitia* locis ac temporibus adſcribimus. At illa
* quocumque tranſierimus, ſecutura ſunt. Harpaſten uxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim alieniſsimus ab iſtis prodigiis ſum. Si quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quærendus: me rideo. Hæc fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem † tibi narro rem, ſed veram. Neſcit eſſe ſe cæcam: ſubinde pædagogum ſuum rogat, ut migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe avarum intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos ſine duce erramus; & dicimus: non ego ambitioſus ſum; ſed nemo aliter Romæ poteſt vivere. Non ego ſumtuoſus; ſed urbs ipſa magnas impenſas exigit. Non eſt meum vitium quod iracundus ſum; quod nondum conſtitui certum genus vitæ: ado-

---

† *Quod Seneca rem incredibilem dicit, hoc ego ſæpius in quodam Cœnobio Valentino adnotavi: Monachum ſcilicet cæcum effectum, qui nullis Præſulum monitis, nullis ſodalium argumentis ludificationibuſve adduci potuit, ut cæcitatem ſuam fateretur. Simile quiddam refert Muretus de ſurdaſtro amico ſuo, homine eruditiſsimo, qui quum non audiret, homines ſolito ſubmiſsius loqui ajebat, veritos fortaſſe ne intelligerentur.*

adoleſcentia hæc facit. Quid nos decipimus? Non eſt extrinſecus malum noſtrum: intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet. Et ideo difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos ægrotare neſcimus. *Epiſt.* 50.

Nemo iſtorum quos divitiæ honoreſque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur? Cum baſi illum ſua metiris. Non eſt magnus pumilio, licet in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore: ſic nobis imponitur, quod neminem æſtimamus eo quo eſt; ſed adjicimus illi & ea, quibus adornatus eſt. Atqui quum voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice. Ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia: corpus ipſum exuat: animum intuere qualis quantuſque ſit, alieno an ſuo magnus. *Epiſt.* 76. *

Omnes ſenſus perducendi ſunt ad firmitatem. Naturâ patientes ſunt, ſi animus illos deſinat corrumpere; qui quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, ut conſummato die quum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior; quæ ſciet ſibi quotidie ad judicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? Quam tranquillus, altus, ac liber; quum aut laudatus eſt animus, aut admonitus; & ſpeculator ſui cenſorque ſecretus cognoſcit de moribus ſuis? Utor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Quum ſublatum (a) e conſpectu lumen eſt, & conticuit uxor moris jam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor; facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam? quum poſsim dicere: vide ne iſtud amplius facias; nunc tibi ignoſco. In illa diſputatione pugnacius locutus es. Noli poſtea congredi cum imperitis. Nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberius admonuiſti quam debebas. Itaque non emendaſti, ſed offendi-

(a) *Quid ad hoc homo chriſtianus dicet?*

disti. De cetero vide, non tantum an verum sit quod dicis; sed an ille cui dicitur, veri patiens sit. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 36.

Familiariter domestica aspicimus, & semper judicio favor officit. Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se perveniisse: nisi quædam in se dissimulassent, quædam apertis oculis transiliissent. Non est enim quod nos magis aliena judices adulatione perire, quam nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? Quis non inter adulantium blandientiumque positus greges, plurimum tamen sibi ipse assentatus est? *Lib. de Tranq. animi, cap.* 1.

Victoria sui: quam quidam mortificationem, vel abnegationem sui vocant.

QUem magis admiraberis, quam qui imperat sibi? quam qui se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrii regere, quam animum suum continere, & tradere sibi. *Lib.* 5. *de Benef. cap.* 7.

Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, quum prætextâ positâ sumsisti virilem togam, & in forum deductus es. Majus exspecta, quum puerilem animum deposueris, & te in viros philosophia transcripserit. Adhuc enim non pueritia in nobis, sed (quod est gravius) puerilitas remanet: & hoc quidem pejus est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum; nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia; hi falsa formidant: nos utraque. *Epist.* 4.

Nullum bonum (a) juvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Nullius autem rei facilior amissio est, quam quæ desiderari amissa non potest. *Ibid.*

Nullâ sapientiâ naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. Quicquid infixum & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quam fatigatis & æstuanti-

(a) *Tit. Consolatio.*

tibus ſolet. Quibuſdam tremunt genua dicturis. Quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Hæc (a) nec diſciplina, nec uſus unquam excutit: ſed natura vim ſuam exercet; & illos vitii ſui, etiam robuſtiſſimos, admonet.... Hæc, ut dixi, nulla ſapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam ſub imperio, ſi omnia eraderet vitia. Quæcumque attribuit conditio naſcendi, & corporis temperatura, quum multum ſe diuque animus compoſuerit, hærebunt. Nihil horum vitari poteſt, non magis quam arceſsiri. *Epiſt.* 11.

Interpone aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſsimo cibo, dura atque horrida veſte, dicas tibi: hoc eſt quod timebatur? In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet: & contra injurias fortunæ inter beneficia ✲ firmetur. Miles in media pace decurrit ſine ullo hoſte, vallum jacit, & ſupervacuo labore laſſatur, ut ſufficere neceſſario poſsit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati, prope ad inopiam acceſſerunt, ne unquam expaveſcerent quod ſæpe didiciſſent.... Hoc triduo & quatriduo fer, interdum pluribus diebus; ut non luſus ſit, ſed experimentum. Tum mihi crede, Lucili, exſultabis dupondio ſatur: & intelliges, ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna: hoc enim quod neceſsitati ſat eſt, debet etiam irata. *Epiſt.* 18.

Si vis (inquit *Epicurus*) Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adjiciendum; ſed cupiditatibus detrahendum eſt. Et apertior iſta ſententia eſt, quam ut interpretanda ſit: & diſertior, quam ut adjuvanda. Hoc unum te admoneo, ne iſtud tandem exiſtimes de divitiis dictum. Quocumque tranſtuleris, idem poterit. Si vis Pythoclea honeſtum facere, non honoribus adjiciendum eſt; ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea eſſe in perpetua voluptate, non voluptatibus adjiciendum eſt; ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea ſenem facere & implere vitam, non annis adjiciendum eſt; ſed cupiditatibus detrahendum. *Epiſt.* 21.

Hoc

(a) *Hæc de primis animi motibus accipienda ſunt.*

Hoc tibi ſoli putas accidiſſe, & miraris quaſi rem novam: quod peregrinatione tam longa, & tot locorum varietatibus, non diſcuſsiſti triſtitiam gravitatemque mentis. Animum debes mutare, non cælum. Licet vaſtum trajeceris mare; licet (ut ait Virgilius noſter)

——*Terræque urbeſque recedant*;

ſequentur te quocumque perveneris, vitia.... Quid terrarum juvare novitas poteſt? Quid cognitio urbium aut locorum? In irritum cedit iſta jactatio. Quæris quare te fuga iſta non adjuvet? Tecum fugis. Onus animi deponendum eſt. *Epiſt.* 28.

Satis diu cum Bajis litigavimus; nunquam ſatis cum vitiis: quæ oro te (mi Lucili) perſequere, ſine modo, ſine fine; nam illis quoque nec finis eſt, nec modus. Projice quæcumque cor tuum laniant: quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendum erat. *Epiſt.* 51.

Quando continget contemnere utramque fortunam? Quando continget omnibus oppreſsis affectibus, & ſub arbitrium adductis, hanc vocem emittere? Vici. Quem vicerim quæris? Non Perſas, non extrema Medorum, nec ſi quid ultra Dacas bellicoſum jacet: ſed avaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui victores gentium vicit. *Epiſt.* 71. *in fine.*

† Subito nobis hodie Alexandrinæ naves apparuerunt: quæ præmitti ſolent, & nuntiare ſecuturæ claſsis adventum.... Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit.... In hoc omnium diſcurſu properantium ad litus, magnam ex pigritia mea ſenſi voluptatem; quod epiſtolas meorum acceſturus, non properavi ſcire, quis (a) illhic eſſet rerum mearum ſtatus, quid afferrent. Olim jam nec perit quicquam mihi, nec acquiritur. Hoc etiam ſi ſenex non eſſem, fuerat ſentiendum. Nunc vero multo magis: quia quantulumcumque haberem, tamen plus jam mihi ſupereſſet viatici, quam viæ. *Epiſt.* 77.

Incipio toto animo ſtudere. Non multum ad hoc locus

† *Muretus ex Jacobo Bonaſide non* ſubito, *ſed* S. V. B. *legendum arbitratur: id eſt*, Si vales bene eſt, *quod olim in principio epiſtolarum poni conſueverat.* (a) *Tit. Profectus.*

cus confert, nisi se sibi præstet animus: qui secretum & in occupationibus mediis, si volet, habebit. At ille qui regiones eligit, & otium captat, ubique quo distringatur inveniet. Nam Socratem querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: non immerito hoc tibi evenit: tecum enim peregrinabaris. O quam bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent! Nunc primi se ipsos sollicitant, corrumpunt, territant. Quid prodest mare trajicere, & urbes mutare? Si vis ista quibus urgeris effugere, non alibi sis oportet, sed alius. Puta venisse te Athenas, puta Rhodon. Elige arbitrio tuo civitatem. Quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? Tuos afferes. Divitias judicabis bonum? Torquebit te paupertas, & (quod est miserrimum) falsa. Quamvis enim multum possideas, tamen quia aliquis plus habet, tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. Honores (a) judicas bonum? Male te habebit ille consul factus, ille etiam refectus: † ringeris, quoties aliquem in fastis sæpius legeris. Tantus erit ambitionis furor, ut nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit. Maximum malum judicabis mortem: quum in illa nihil sit mali, nisi (quod ante ipsam est) timeri.... Gravissimum judicabis malum, aliquem ex his quos amabis amittere: quum interim hoc tam ineptum erit, quam flere quod arboribus amœnis & domum tuam ornantibus decidant folia. † Quicquid te delectat æque viret. Vivunt dum virent. Utique alium alio die casus excutiet. *Epist.* 104.

Bis vincit, qui se vincit in victoria. *Ex Pub. Mim.*

Effugere cupiditatem, regnum est vincere. *Ex eodem.*

Fer difficilia, facilia ut levius feras. *Ex eodem.*

Putandus est recte fortior, qui cupiditates, quam qui hostes subjicit. *Ex eodem.*

Vis habere magnum honorem? Dabo tibi magnum imperium: impera tibi. *Ex eodem.*

Hoc domi, hoc foris, hoc omni genere vitæ teneamus:

(a) *Tit. Ambitio.* † *Al.* Invidebis. † *Sequentem locum in exemplaribus fere omnibus vitiosissimum, ita ex Pinciano correctum Ludovicus Granatensis produxit.*

mus : ut nobis inexorabiles ſimus ; exorabiles illis , qui niſi ſibi dare veniam neſciunt. *Ex eodem.*

Libertas vera & falſa , itemque vera & falſa ſervitus.

PHiloſophiæ ſervias oportet , ut tibi contingat vera libertas. *Epiſt.* 8.

Ex eo licet ſtupor noſter appareat , quo ea ſola putamus emi , pro quibus pecuniam ſolvimus : ea gratuita vocamus , pro quibus nos ipſos impendimus.... Sæpe maximum pretium eſt , pro quo nullum datur. Multa poſſum tibi oſtendere , quæ acquiſita acceptaque , libertatem nobis extorſerunt. Noſtri eſſemus , ſi iſta noſtra non eſſent. *Epiſt.* 42.

Vaco (a) mi Lucili , vaco : & ubicumque ſum , meus ſum. Rebus enim non me trado , ſed commodo. Nec conſector perdendi temporis cauſas. Quocumque conſtiti loco , ibi cogitationes meas trado , & aliquid (b) in animo ſalutare verſo. *Epiſt.* 62.

Quid eſt præcipuum ? † In primis liberum animum habere. Hæc res efficit † non e jure Quiritium , ut ſis liber, ſed e jure naturæ. Liber autem eſt , qui ſervitutem effugit ſui. Hæc eſt aſsidua ſervitus & ineluctabilis , & per diem ac noctem æqualiter premens , ſine intervallis , ſine commeatu. Sibi (c) ſervire, graviſsima ſervitus eſt : quam diſcutere facile eſt , ſi deſieris multa te poſcere ; ſi deſieris tibi referre mercedem ; ſi ante oculos , & naturam tuam poſueris & ætatem , licet prima ſit ; ac tibi ipſe dixeris: quid inſanio ? quid anhelo? quid ſudo ? quid terram verſo? quid forum viſo ? *In Præfat. lib.* 3. *Nat. Quæſt.*

In

(a) *Tit. Contemplatio.* (b) *Chriſtiana vox.* † *Al.* In primis labris animam habere : *ut intelligas paratam ad mortem , inquit Eraſmus.* † *Variat hoc loco in exemplaribus lectio : ſed quam exhibet Granatenſis , Eraſmo quoque probatam , reliquis præferendam exiſtimo.* (c) *Tit. Cupiditas ſervum facit.*

In primis autem (a) reſpuendæ ſunt voluptates. Enervant & effeminant, & multum petunt. Multum autem a fortuna petendum eſt. Deinde ſpernendæ opes. Auctoramenta ſunt ſervitutum. Aurum & argentum & quicquid aliud felices domos onerat, relinquatur. Non poteſt gratis conſtare libertas. Hanc ſi magno æſtimas, omnia parvo æſtimanda ſunt. *Epiſt.* 104. *in fine.*

Omnes cum fortuna copulati ſumus. Aliorum aurea catena eſt & laxa; aliorum arcta & ſordida. Sed quid refert? Eadem cuſtodia univerſos circumdedit: alligatique ſunt etiam qui alligaverunt. Niſi tu forte leviorem in ſiniſtra catenam putas. Alium honores, alium opes vinciunt. Quoſdam nobilitas, quoſdam humilitas premit. Quibuſdam aliena ſupra caput imperia ſunt, quibuſdam ſua. Quoſdam exſilia uno loco tenent, quoſdam ſacerdotia. Omnis vita ſervitium eſt. Aſſueſcendum itaque conditioni ſuæ, & quam minimum de illa querendum: & quicquid habet circa ſe commodi, apprehendendum eſt. Nihil tam acerbum eſt, in quo non æquus animus ſolatium inveniat. *Lib. de Tranq. animi, cap.* 10.

Semiliberum ſe dixit Cicero. At mehercules nunquam ſapiens in tam humile nomen procedet. Nunquam ſemiliber erit: integræ ſemper libertatis, & ſolidæ; ſolutus & ſui juris, altior ceteris. Quid enim ſupra eum poteſt eſſe, qui ſupra fortunam eſt? *Lib. de Brevit. vitæ, cap.* 5.

Servus eſt? ſed fortaſſe liber animo. Servus eſt? † hoc illi non nocebit. Oſtende quis non ſit. Alius libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo conſularem aniculæ ſervientem: dabo ancillulæ divitem. Oſtendam nobiliſsimos juvenes mancipia Pantomimorum. Nulla ſervitus turpior eſt, quam voluntaria. *Epiſt.* 47.

Beneficium accipere, libertatem vendere eſt. *Ex Pub. Mim.*

Tran-

(a) *Tit. Voluptas, & Avaritia ſervum faciunt.* † *Al.* Hoc illi nocebit? *Al.* Hoc illi nocebit; aliis non nocebit.

Tranquillitas vera & falsa.

VObis voluptas est, inerti otio assuefacere corpusculum; & securitatem soporis simillimam appetere; & sub depressa umbra latitare, tenerrimisque cogitationibus (quas tranquillitatem vocatis) animi marcentis oblectare torporem; & cibis potionibusque intra hortorum latebras corpora ignaviâ pallentia saginare. Virilis nobis voluptas est, dare beneficia vel laboriosa, dum aliarum labores levent: vel periculosa, dum alios a periculis extrahant. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 13.

Cogita quam multa temere pro pecunia, quam multa laborioſe pro honore tentaveris: aliquid & pro otio audendum est. *Epist.* 19.

Animum cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa. Omnia licet foris resonent: dum intus nihil tumultus sit; dum inter se non rixentur cupiditas & timor; dum avaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt?

Omnia noctis erant placidâ composta quiete.

Falsum est: nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. Nox exhibet molestiam, non tollit; & sollicitudines mutat. Nam dormientium quoque insomnia tam turbulenta sunt, quam dies. Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. Aspice illum, cui somnus laxæ domus silentio quæritur: cujus aures ne quis agitet sonus, omnis servorum turba conticuit; & suspensum accedentium propius vestigium ponitur. Huc nempe versatur ac illhuc, somnum inter ægritudines levem captans. Quæ non audit, audisse se queritur. Quid in causa putas esse? animus illi obstrepit. Hic placandus est, hujus compescenda est seditio: quem non est quod existimes placidum, si jacet corpus. *Epist.* 56.

Si bona fide sumus; si receptui cecinimus; si speciosa contemsimus .... nulla res non avocabit, nullum hominum aviumque concentus interrumpet cogitationes bonas soli-

daſque, & jam certas. Leve illud ingenium, nec ſe adhuc reduxit introrſus, quod ad vocem & accidentia erigitur. Habet intus (a) aliquid ſollicitudinis, & concepti pavoris, quod illum curioſum facit, ut ait Virgilius noſter:

Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, nec adverſo glomerati ex agmine Graji;
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitique onerique timentem.

....Timidum illum ſarcinæ faciunt. Quemcumque ex iſtis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus; videbis illum comitique onerique timentem. *Ibidem.*

Quod deſideras, magnum & ſummum eſt, Deoque vicinum; non concuti. *Lib. de Tranq. animi, cap.* 2.

Ille vir ſincerus ac purus, qui reliquit & curiam, & forum, & omnem adminiſtrationem Reipublicæ, ut ad ampliora ſecederet: diligit eos per quos ei facere tuto licet: ſoluſque illis gratuitum teſtimonium reddit; & magnam rem neſcientibus debet.... Sed quemadmodum Neptuno plus debere ſe judicat (ex his qui eadem tranquillitate uſi ſunt) qui plura & pretioſiora illo mari vexit; & animoſius a mercatore, quam a vectore ſolvitur votum.... ſic hujus pacis beneficium ad omnes pertinens, altius ad eos pervenit qui illa bene utuntur. *Epiſt.* 73.

Solitudo.

QUid tibi vitandum præcipue exiſtimem quæris? Turbam. Nondum illi te tuto commiſeris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur: aliquid ex his quæ fugavi, redit.... Avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior? immo vero crudelior, & inhumanior: quia inter homines fui.... Subducendus populo eſt (b) tener animus, & parum tenax recti. Facile tranſitur ad plures. Socrati, Catoni, & Lælio excutere mentem ſuam diſsimilis multitudo potuiſſet: adeo nemo noſtrum qui quum

(a) *Tit. Timor unde.* (b) *Tit. Vulgus. Tit. Societas improborum.*

maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum, tam magno comitatu venientium, poteſt. Unum exemplum luxuriæ aut avaritiæ, multum mali facit. Convictor delicatus paullatim enervat, & emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes, quamvis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit. Quid tu accidere his *moribus* credis, in quos publice factus eſt impetus? Neceſſe eſt aut imiteris, aut oderis. Utrumque autem devitandum eſt: ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt; neve inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Recede in te ipſum quantum potes. Cum his verſare qui te meliorem facturi ſunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo iſta fiunt: & homines dum docent, diſcunt. *Epiſt.* 7.

Sic eſt: non muto ſententiam. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum.... Non invenio cum quo te malim eſſe, quam tecum. *Epiſt.* 10.

* Animalia quædam ne inveniri poſsint, veſtigia ſua circa cubile ipſum confundunt. Idem tibi faciendum eſt: alioqui non deerunt qui perſequantur. Multi aperta tranſeunt; condita & obſtruſa rimantur. Furem ſignata ſollicitant. Vile videtur quicquid patet. *Epiſt.* 68.

Scito quam ſis ambitioni alienus; quam familiaris otio & litteris. Turbam rerum hominumque deſiderent, qui ſe pati neſciunt. Tibi tecum optime convenit. Nec mirum paucis iſtud contingere. Imperioſi (a) nobis ipſi moleſtique ſumus. Modo amore noſtri, modo tædio laboramus. Infelicem animum nunc ſuperbia inflamus, nunc cupiditate diſtendimus: alias voluptate laxamus, alias ſollicitudine exurimus. Quod eſt miſerrimum, nunquam ſumus ſinguli. Neceſſe eſt itaque aſsidua ſit, in tam magnorum vitiorum contubernio, rixa. *In Præfat. Lib.* 4. *Natur. Quæſt.*

Fugiendum ergo, & in ſe redeundum eſt; immo etiam a ſe recedendum. *Ibid. prope fin.*

Magna pars ſanitatis eſt, hortatores inſaniæ reliquiſſe, & ex iſto cœtu invicem noxio procul abiiſſe. Hoc ut eſſe verum ſcias, aſpice quanto aliter (b) unuſquiſque populo vivat; aliter ſibi. Non eſt per ſe magiſtra ſolitudo innocen-

(a) *Tit. Vita miſera. Tit. Vitiorum moleſtia.* (b) *Tit. Vulgus.*

centiæ: nec frugalitatem docent rura: ſed ubi teſtis ac ſpectator abceſsit, vitia ſubſidunt; quorum monſtrari & conſpici fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicujus ruſticæ arboris projectus umbra, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicuit? Nemo oculis ſuis lautus eſt; ne paucorum quidem & familiarium: ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium in quæ inſanimus, admirator & conſcius. Ne concupiſcamus, efficies; ſi † ne offendamus, effeceris. Ambitio, luxuria, & impotentia ſcænam deſiderant. Sanabis iſta, ſi abſconderis. *Epiſt.* 94.

Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus vivere. *Ex Pub. Mim.*

¶ *Tres tituli præcedentes*, Libertas, Tranquillitas, & Solitudo *affinitatem inter ſe quamdam habent: ideo ſimul collocati ſunt.*

† *Al.* Ne oſtendamus. *Sed præſtat cum Pinciano, & Granatenſi legere:* Ne offendamus.

TERTIA CLASSIS LOCORUM COMMUNIUM,
quæ varia continet loca.

Sapiens , Sapientia.

NON multum tibi nocebit transiisse , quæ nec licet scire , nec prodest. Involuta veritas in alto latet. Nec de malignitate naturæ queri possumus: quia nullius rei difficilis inventio est , nisi cujus hic unus inventæ fructus est , inveniisse. Quicquid nos meliores beatosque facturum est , aut in aperto , aut in proximo posuit. Si animus (a) fortuita contemsit ; si se supra metum sustulit ; nec avida spe infinita complectitur , sed didicit a se petere divitias ; si deorum hominumque formidinem ejecit , & scit non multum esse ab homine timendum , a Deo nihil ; si contemtor omnium quibus torquetur vita dum ornatur , eo perductus est , ut illi liqueat, mortem nullius mali esse materiam , multorum finem ; si animum virtuti consecravit , & quocumque vocat illa , planum putat ; si sociale animal est ; & in commune genitus , mundum ut unam domum spectat , & conscientiam suam diis aperit , semperque tanquam in publico vivit ; si se magis veritus quam alios , subductus illis tempestatibus , in solido ac sereno stetit : consummavit scientiam utilem atque necessariam. Reliqua oblectamenta otii sunt. Licet enim jam in tutum retracto animo , ad hæc quoque excurrere ; cultum , non robur ingeniis afferentia. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 1.

Hæc Demetrius noster utrâque manu tenere proficientem jubet , nec usquam demittere ; immo affigere & partem sui facere , eoque quotidiana meditatione perduci , ut sua sponte occurrant salutaria , & ubique ac statim desiderata præsto sint , & sine mora ulla veniat illa turpis honestique distinctio : sciatque nec malum esse ullum nisi turpe ; nec bonum nisi honestum. Hac regula vitæ opera distribuat. Ad hanc legem & agat cuncta , & exigat. *Ibid. cap.* 2.

Mu-

(a) *Tit. Perfecti viri mores.*

Mutationem ſapientis tantam, *hoc eſt*, *in maxima vitia*, natura non patitur. Nam in peſsima ab optimis lapſus, neceſſe eſt etiam in malo, veſtigia boni teneat. Nunquam in tantum virtus extinguitur, ut non certiores animo notas imprimat, quam ut illas eradat ulla mutatio. Feræ inter nos educatæ, quum in ſilvas eruperunt, aliquid manſuetudinis priſtinæ retinent: tantumque a placidiſsimis abſunt, quantum a veris feris, & nunquam humanam manum paſsis. Nemo in ſummam nequitiam incidit, qui unquam hæſit ſapientiæ. Altius infectus eſt, quam ut ex toto elui, & tranſire in colorem alium poſsit. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 19.

Liquere tibi hoc ſcio (Lucili) neminem poſſe beate vivere, ne tolerabiliter quidem, ſine ſapientiæ ſtudio: & beatam vitam perfectâ ſapientiâ effici; ceterum tolerabilem, etiam inchoatâ.... Illud ante omnia vide, utrum in philoſophia, an in ipſa vita profeceris. Non eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum. Non in verbis, ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, ut cum aliqua oblectatione conſumatur dies; ut dematur otio nauſea. Animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat. Sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. Sine hac nemo ſecurus eſt. *Epiſt.* 16.

Sapientis viri animum ac veluti faciem his verbis deſcribit Seneca. Animus (a) intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum; non ex opinione, ſed ex naturâ pretia rebus imponens; toti ſe inferens mundo, & in omnes ejus actus contemplationem ſuam mittens; cogitationibus actionibuſque intentus, ex æquo magnus ac vehemens; aſperis blandiſque pariter invictus; neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens; pulcherrimus cum decore, cum virtutibus ſanus ac ſiccus; imperturbatus, intrepidus: quem nulla vis frangat; quem nec attollant fortuita, nec deprimant. Talis (b) animi virtus eſt: hæc ejus facies, ſi ſub unum veniat aſpectum, & ſemel tota ſe oſtendat. *Epiſt.* 66.

(a) *Tit. Perfecti.* (b) *Tit. Virtus.*

¶ *Vide etiam ſequentes Tit.* Philoſophiam , Scientiam, *qui huic ſunt affines.*

Philoſophia.

ILlud autem (mi Lucili) te rogo (a) atque hortor, ut philoſophiam in præcordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias , non oratione nec ſcripto ; ſed animi firmitate , & cupiditatum diminutione. Verba rebus proba. Aliud propoſitum eſt declamantibus , & aſſenſionem coronæ captantibus ; aliud his qui juvenum & otioſorum aures diſputatione varia aut volubili detinent. Facere docet philoſophia ; non dicere : & hoc exigit , ut ad legem ſuam quiſque vivat ; nec ab oratione vita diſſentiat: ut ipſa inter ſe vita (b) uniius (ſine omnium actionum diſſenſione) coloris ſit. *Epiſt.* 20.

Inveniſſent forſitan *priores* neceſſaria , niſi & ſuperflua quæſiſſent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit , & captioſæ diſputationes , quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos : & ambiguam ſignificationem verbis alligamus , deinde diſſolvimus. Tantum nobis vacat? Jam vivere , jam mori ſcimus? Tota illo mente pergendum eſt , ubi provideri debet , ne res nos , non verba decipiant. Quid mihi (c) vocum ſimilitudines diſtinguis , quibus nemo unquam , niſi qui diſputat , captus eſt ? Res fallunt : illas diſcerne. Pro bonis mala amplectimur. Optamus contra id quod optavimus : pugnant vota noſtra cum votis , conſilia cum conſiliis. Adulatio (d) quam ſimilis eſt amicitiæ ? Non imitatur tantum illam ; ſed vincit , & præterit. Apertis ac propitiis auribus recipitur , & in præcordia ima deſcendit ; eo ipſo gratioſa , quo lædit. Doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſsim. Venit ad me pro amico blandus inimicus. Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt. Temeritas ſub titulo fortitudinis latet. Moderatio vocatur ignavia. Pro cauto timidus accipitur.

In

(a) *Tit. Doctor.* (b) *Æquabilitas vitæ.* (c) *Tit. Tentatio.* (d) *Tit. Adulatio.*

In his magno periculo erratur. His certas notas imprime. *Epiſt.* 45.

In remedium cedunt honeſta ſolatia : & quicquid animum erexit, etiam corpori prodeſt. Studia mihi noſtra ſaluti fuerunt. Philoſophiæ acceptum fero quod ſurrexi, quod convalui : illi vitam debeo. *Epiſt.* 78.

Una re conſummatur animus, ſcientia bonorum ac malorum immutabili, quæ ſoli philoſophiæ competit. Nulla autem ars alia de bonis ac malis quærit. Singulas lubet circumire virtutes. Fortitudo (a) contemtrix timendorum eſt : terribilia, & ſub jugum libertatem noſtram mittentia deſpicit, provocat, frangit. Num quid ergo hanc liberalia ſtudia corroborant ? Fides (b) ſanctiſsimum humani pectoris bonum eſt : nulla neceſsitate ad fallendum cogitur ; nullo corrumpitur præmio. Ure (inquit) cæde, occide : non prodam. Sed quo magis ſecreta quæret dolor, hoc illa altius condam. Num quid liberalia ſtudia hos animos facere poſſunt ? Temperantia (c) voluptatibus imperat : alias odit atque abigit ; alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit: nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupitorum, non quantum velis, ſed quantum debeas, ſumere. Humanitas (d) vetat ſuperbum eſſe adverſus ſocios ; vetat avarum : verbis, rebus, affectibus comem ſe facilemque omnibus præſtat. Nullum alienum malum putat: bonum autem ſuum, id maxime quod alicui bono futurum eſt, amat. Num quid liberalia ſtudia hos mores præcipiunt ? Non magis quam ſimplicitatem, ac modeſtiam, ac frugalitatem, ac parſimoniam : non magis quam clementiam, quæ alieno ſanguini tanquam ſuo parcit ; & ſcit homini non eſſe homine prodige utendum. *Epiſt.* 88.

Faciam ergo quod exigis : & philoſophiam in partes, non in fruſta dividam. Dividi enim illam, (e) non concidi, utile eſt. Nam comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile eſt.... Idem enim vitii habet nimia, quod nulla diviſio. Simile confuſo eſt, quicquid uſque in pulverem ſectum eſt. Primum itaque, ſicut videtur

(a) *Tit. Fortitudo.* (b) *Tit. Fides.* (c) *Tit. Temperantia.* (d) *Tit. Humanitas ſive caritas.* (e) *Diviſio non debet eſſe minuta.*

tibi, dicam inter ſapientiam & philoſophiam quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ. Philoſophia ſapientiæ amor eſt & affectatio. Hæc (a) oſtendit, quo illa pervenit. Philoſophia unde dicta ſit apparet: ipſo enim nomine fatetur. Quidam ſapientiam ita finierunt, ut dicerent eam divinorum & humanorum ſcientiam. Quidam ita: ſapientia eſt noſſe divina & humana, & horum cauſas.... Cohærent ergo inter ſe philoſophia virtuſque. Philoſophiæ tres partes eſſe dixerunt & maximi, & plurimi auctores: moralem, naturalem, & rationalem. Prima componit animum. Secunda rerum naturam ſcrutatur. Tertia proprietates verborum exigit, & ſtructuram, & argumentationes, ne pro vero falſa ſubrepant. Epicurei duas partes philoſophiæ putaverunt eſſe, naturalem, ac moralem: rationalem removerunt. Deinde quum ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie veri latentia coarguere: ipſi quoque locum quem de judicio & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt.... Cyrenaici naturalia cum rationalibus ſuſtulerunt, & contenti fuerunt moralibus. Sed hi quoque quæ removent, aliter inducunt. In quinque enim partes moralia dividunt: ut una ſit de fugiendis & expetendis, altera de affectibus, tertia de actionibus, quarta de cauſis, quinta de argumentis. Cauſæ rerum ex naturali parte ſunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali.... Ergo quum tripartita ſit philoſophia, moralem ejus partem primum incipiamus diſponere. Quam in tria rurſus dividi placuit: ut prima eſſet inſpectio ſuum cuique diſtribuens, & æſtimans quanto quidque dignum ſit, maxime utilis. Quid enim eſt tam neceſſarium, quam (b) pretia rebus imponere? Secunda de impetu. Tertia de actionibus. Primum enim eſt, ut quantum quidque ſit, judices. Secundum, ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque. Tertium, ut inter impetum tuum actionemque conveniat: ut in omnibus iſtis tibi ipſi conſentias. Quicquid (c) ex his tribus defuerit, turbat & cetera. Quid enim prodeſt intus æſtimata habere omnia, ſi ſis impetu ni-

(a) *Tit. Sapientia.* (b) *Tit. Æſtimatio rerum.* (c) *Tit. Affectuum moderatio.*

nimius? Quid prodeſt impetus repreſsiſſe, & habere cupiditates in tua poteſtate, ſi in ipſa rerum actione tempora ignores, nec ſcias quando quidque, & ubi, & quemadmodum agi debeat? Aliud eſt enim dignitates & pretia rerum noſſe; aliud articulos; aliud impetus refrenare; & ad agenda ire, non ruere. Tunc ergo vita ſibi concors eſt, ubi actio non deſtituit impetum. Impetus ex dignitate rei cujuſque concipitur, perinde remiſſus acriorve, prout illa digna eſt peti. *Epiſt.* 89.

Quis dubitare (mi Lucili) poteſt, quin deorum immortalium munus ſit, quod vivimus: philoſophiæ quod recte vivimus? Itaque tanto plus nos debere huic quam diis, quanto majus beneficium eſt bona vita, quam vita? Pro certo deberetur, niſi ipſam dii philoſophiam tribuiſſent: cujus ſcientiam nulli dederunt; facultatem omnibus. *Epiſt.* 90.

Ad beatum ſtatum (a) *philoſophia* tendit: illo ducit, illo vias aperit. Quæ ſint mala, quæ videantur, oſtendit: vanitatem exuit mentibus: dat magnitudinem ſolidam; inflatam vero & ex inani ſpecioſam reprimit: nec ignorari ſinit inter magna quid interſit & tumida: totius naturæ notitiam ac ſuæ tradit. Quid ſint dii, qualeſque declarat: quid inferi, quid lares & genii.... Hæc ejus initiamenta ſunt: per quæ non municipale ſacrum; ſed ingens omnium deorum templum, mundus iſte, reſeratur: cujus vera ſimulacra, veraſque facies cernendas mentibus protulit. Nam ad ſpectacula tam magna hebes viſus eſt. Ad initia deinde rerum redit, & æternam rationem toti inditam, & vim omnium ſeminum ſingula proprie figurantem. Tum de animo cœpit inquirere: unde eſſet, ubi, quamdiu, in quot membra diviſus. Deinde a corporalibus ſe ad incorporalia tranſtulit, veritatemque & argumenta ejus excuſsit. *Ead. Epiſt.* 90.

Quid ſapiens inveſtigaverit, quid in lucem protraxerit, quæris? Primum veram naturam: quam non ut cetera animalia oculis ſecutus eſt, tardis ad divina. Deinde (b) vi-

tæ

(a) *Philoſophiæ finis, officium, & argumentum.* (b) *Tit. Æſtimatio verum.*

tæ legem, quam ad universa direxit. Nec nosse tantum, sed sequi docuit deos: & accidentia non aliter excipere, quam imperata. Vetuit parere opinionibus falsis: & quanti quidque esset vera æstimatione perpendit. Damnavit mixtas pœnitentiæ voluptates: & bona semper placitura laudavit. Et palam fecit (a) felicissimum esse, cui felicitate opus non est: potentissimum esse, qui (b) se habet in potestate. *Ibidem.*

Quantum inter philosophiam intersit (Lucili virorum optime) & ceteras artes; tantum intersse existimo in ipsa philosophia, inter illam partem quæ ad homines, & hanc quæ ad deos spectat. Altior est hæc & animosior: multum permisit sibi: non fuit oculis contenta. Majus esse quiddam suspicata est ac pulchrius, quod extra conspectum natura posuisset. Denique tantum inter duas intersit, quantum inter Deum & hominem. Altera docet, quid in terris agendum sit: altera quid agatur in cælo. Altera errores nostros discutit, & lumen admovet, quo discernantur ambigua vitæ: altera caliginem, in qua volutamur, excedit; & e tenebris ereptos illo perducit, unde lucet. *In Præfat. Lib.* 1. *Nat. Quæst.*

Philosophia & contemplativa est, & activa: spectat, simulque agit. Erras enim si illam putas tantum terrestres operas promittere: altius aspirat. Totum, inquit, mundum scrutor: nec me intra contubernium mortale contineo; suadere vobis, ac dissuadere contenta. Magna me vocant, supraque vos posita.

Nam tibi de summa cæli ratione, deumque,
Disserere incipiam, & rerum primordia pandam:
Unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
Quove eadem rursus natura peremta resolvat:

ut ait Lucretius. Sequitur ergo, ut quum contemplativa sit, habeat decreta sua.... Antiqua, inquit, sapientia nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit. Et tunc longe meliores erant viri. Post quam (c) docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & sollertem scientiam versa est: docemurque disputare, non vi-

(a) *Tit. Felicitas.* (b) *Tit. Victoria sui.* (c) *Tit. Doctor.*

vivere.... *Ex variis cibis* (a) non ſingulares morbi naſcuntur ; ſed inexplicabiles , diverſi , multiformes : adverſus quos & medicina armare ſe cœpit multis generibus , multis obſervationibus. Idem de philoſophia dico. Fuit aliquando ſimplicior inter minora peccantes , & levi quoque cura medicabiles. Adverſus tantam (b) morum everſionem omnia conanda. Et utinam ſic denique lues iſta vincereitur ! Non privatim ſolum , ſed publice furimus. Homicidas compeſcimus , & ſingulas cædes. Quid bella , & occiſarum gentium glorioſum ſcelus ? Non avaritia , non crudelitas modum novit : & iſta quamdiu furtim & a ſingulis fiunt , minus noxia minuſque monſtroſa ſunt. Ex ſenatus conſultis , plebiſque ſcitis ſcelera exercentur : & publice jubentur , vetita privatim. Quæ clam commiſſa capite luerent ; † tamen quia paludati fecere , laudamus. Non pudet homines , mitiſsimum genus , gaudere ſanguine alterno , bella gerere , gerendaque liberis tradere ; quum inter ſe etiam mutis ac feris pax ſit ? Adverſus tam potentem explicitumque late furorem , operoſior philoſophia facta eſt : & tantum ſibi virium ſumſit , quantum his, adverſus quæ parabatur , acceſſerat. *Epiſt.* 95.

Illud ante omnia mihi dicendum eſt , opiniones veterum parum exactas eſſe & rudes. Circa verum adhuc errabatur. Nova omnia erant primo tentantibus. Poſt eadem illa limata ſunt : & ſi quid inventum eſt , illis nihilo minus referri debet acceptum. Magni animi res fuit , rerum naturæ latebras dimovere ; nec contentum exteriori ejus conſpectu , introſpicere , & in deorum ſecreta deſcendere. Plurimum ad inveniendum contulit , qui ſperavit poſſe reperiri. Cum excuſatione itaque veteres audiendi ſunt. Nulla res conſummata eſt , dum incipit. Nec in hac tantum re omnium maxima ac involutiſsima (in qua etiam quum multum actum erit , omnis tamen ætas quod agat inveniet) ; ſed in omni alio negotio , longe ſemper a perfecto fuere principia. *Lib. 6. Natur. Quæſt. cap.* 5.

Quanta ſit philoſophiæ dignitas , colligit Seneca ex Calli-

(a) *Tit. Gula.* (b) *Tit. Corrupti mores.* † *Al.* Eadem quia palam fecere , laudamus.

liſthenis philoſophi indigna nece, quem Alexander interemit: his verbis. Hoc eſt Alexander crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit, occidit Perſarum multa millia: opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat: opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum erit, omnia oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſsibus; & imperium ex angulo Thraciæ uſque ad orientis terminos protulit: dicetur, ſed Calliſthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla tranſierit; ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam ſcelus Calliſthenis. *Eodem lib. cap.* 23.

Conſumſere ſe quidam, dum acta regum externorum componunt; quæque paſsi invicem auſique ſunt populi. Quanto ſatius eſt ſua mala extinguere, quam aliena poſteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quam Philippi & Alexandri latrocinia, ceterorumque qui exitio gentium clari, non minores fuerunt peſtes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfuſum eſt; quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit? Quemadmodum Hannibal ſuperaverit Alpes, ſcribunt. Quemadmodum confirmatum Hiſpaniæ cladibus bellum Italiæ inopinatus intulerit: fractiſque rebus etiam poſt Carthaginem pertinax, reges pererraverit, contra Romanos ducem ſe promittens, etiam ſine exercitu. Quemadmodum non deſierit ſenex omnibus angulis bellum quærere: adeo ſine patria eſſe pati poterat; ſine hoſte non poterat. Quanto ſatius; quid faciendum ſit, quam quid factum ſit quærere? ac docere eos qui ſua permiſere fortunæ, nihil ſtabile ab illa datum eſſe? ejus omnia fluere aurâ mobilius? Neſcit enim quieſcere: gaudet lætis triſtia ſubſtituere, & utraque miſcere. *In Præfat. Lib.* 3. *Natur. Quæſt.*

¶ *Vide etiam affines huic Titulos*: Sapientia, Scientia, Studium, Lectio. *Horum enim inventio pæne communis eſt.*

De utili & inutili ſcientia.

MUs ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergo caſeum non rodit. (a) O pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi? Etiam ſi multum ſupereſſet ætatis, parce jam diſpenſandum erat, ut ſufficeret neceſſariis. Nunc, quæ dementia eſt, ſupervacua diſcere in tanta temporis egeſtate? *Epiſt.* 48.

Indignor, aliquos ex hoc tempore (quod ſufficere nec ad neceſſaria quidem poteſt, etiam ſi cuſtoditum diligentiſsime fuerit) in ſupervacua majorem partem erogare.... Demens merito omnibus viderer, ſi quum ſaxa in munimentum murorum ſenes feminæque congererent; quum juventus intra portas armata ſignum eruptionis exſpectaret, aut poſceret; quum hoſtilia in portis tela vibrarent, & ipſum ſolum ſuffoſsionibus & cuniculis tremeret; ſederem otioſus, & ejuſmodi quæſtiunculas ponens: Quod non perdidiſti, habes: cornua autem non perdidiſti: cornua ergo habes: aliaque ad exemplum hujus acutæ delirationis concinnata.... Ingens negotium in manibus eſt. Quid agam? Mors (b) me ſequitur; fugit vita. Adverſus hæc me doce aliquid. Effice ne mortem fugiam; vita me non effugiat.... Doce non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio ejus, ſed in uſu: poſſe fieri, immo ſæpe fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit. Dic mihi dormituro: potes non expergiſci. Dic experrecto: potes non dormire amplius. Dic exeunti: potes non reverti. Dic redeunti: potes non exire. Erras, ſi in navigatione tantum exiſtimas minimum eſſe, quo morte vita diducitur. In omni loco æque tenue intervallum eſt. Nam ubique ſe mors tam prope oſtendit: ubique tam prope eſt. Has tenebras diſcute: & facilius ea trades, ad quæ præparatus ſum. Dociles natura nos edidit: & rationem dedit imperfectam; ſed quæ perfici poſſet. *Epiſt.* 49.

Obſecro vos, cur tam neceſſariam curam majoribus melioribuſque debitam, in re neſcio an falſa, certe inuti-

(a) *Tit. Curioſitas.* (b) *Tit. Vita & mors.*

utili, terimus? Quid mihi profuturum eſt ſcire, an aliud ſit ſapientia, aliud ſapere?.... Potius id age, (a) ut mihi viam monſtres, qua ad iſta perveniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere: quibus animum labantem ſtudiis firmem: quemadmodum quæ me ex tranſverſo feriunt aguntque, procul a me repellam. Quo modo par eſſe tot malis poſsim: quo modo iſtas calamitates removeam, quæ ad me irruperunt: quo modo illas ad quas ego irrupi. Doce quo modo feram ærumnam ſine gemitu meo; felicitatem ſine alieno: quo modo ultimum & neceſſarium vitæ terminum non exſpectem, ſed ipſemet, quum viſum erit, profugiam.... Hæc (mi Lucili) tractemus: his formemus animum. Hæc eſt ſapientia, hoc eſt ſapere; non diſputatiunculis inanibus ſubtilitatem vaniſsimam agitare. Tot quæſtiones tibi fortuna poſuit: nondum illas ſolviſti. Jam cavillaris. Quam ſtultum eſt, quum ſignum pugnæ acceperis, ventilare? Remove iſta † luſoria arma: decretoriis opus eſt. Dic qua ratione nulla animum triſtitia, nulla formido perturbet: qua ratione hoc ſecretarum cupiditatum pondus effundam. *Epiſt.* 117.

Tranſcurramus ſollertiſsimas nugas, & ad illa quæ nobis
* aliquam opem ſunt latura properemus. Nemo qui obſtetricem parturienti filiæ ſollicitus arceſsit, edictum & ludorum ordinem perlegit. Nemo qui ad incendium domus ſuæ currit, tabulam latruncullariam perſpicit, ut ſcias quo modo alligatus exeat calculus. At mehercules omnia tibi undique nuntiantur, & incendium domus, & periculum liberorum, & obſidium patriæ, & bonorum direptio. Adjice iſtis naufragium, motuſque terrarum, & quidquid aliud timeri poteſt. Inter iſta diſtrictus, rebus (b) nihil aliud quam animum oblectantibus vacas? Quid inter ſapientiam & ſapere interſit, inquiris? Nodos nectis ac ſolvis, tanta mole impendente capiti tuo? Non tam benignum (c) ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere: & vide quam multa etiam diligentiſsimis per-

(a) *Tit. Doctor.* † *Granatenſis nonnullorum exemplarium fide legebat:* Luxuriæ arma: *quæ nos optimorum auctoritate, ac Pincianum ſecuti, in* Luſoria arma *convertimus.* (b) *Tit. Curioſitas.* (c) *Tit. Tempus.*

pereant. Aliud valetudo ſua cuique abſtulit, aliud ſuorum. Aliud neceſſaria negotia, aliud publica occupaverunt. Vitam nobiſcum dividit ſomnus. Ex hoc tempore tam angusto & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? Adjice nunc, quod aſſueſcit animus delectare ſe potius quam ſanare: & philoſophiam oblectamentum facere, quum remedium ſit. Inter ſapientiam & ſapere quid interſit, neſcio? Scio mea non intereſſe, ſciam iſta, an neſciam. Dic mihi: quum quid inter ſapientiam & ſapere interſit didicero, ſapiam? Cur ergo potius inter vocabula me ſapientiæ detines, quam inter opera? Fac me fortiorem, fac me ſecuriorem, fac fortunæ parem, fac ſuperiorem. Poſſum autem ſuperior eſſe, ſi fecero omne quod diſco. *Ibidem.*

Nihil eſt iniquius his (a) qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi ubi nihil eſt præter ſubtilitatem.... Neſcio an maximum vitium ſubtilitatis ſit, nimis ſe oſtendere. Magis nocent inſidiæ quæ latent. Utiliſsima eſt diſsimulata ſubtilitas, quæ effectu apparet, habitu latet. *In Prologo Declamat. ſive Lib.* 1. *Controverſ.*

Paucis opus eſt ad mentem bonam litteris. Sed nos (b) ut cetera in ſupervacuum diffundimus, ita philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum, ſic litterarum quoque intemperantia laboramus. Non vitæ, ſed ſcholæ diſcimus. *Epiſt.* 106. *in fine.*

¶ *Vide etiam hac de re Titulum ſequentem, & antecedentes.*

Curioſitas probanda & improbanda.

QUid annos Patrocli & Achillis inquirere (c) ad rem exiſtimas pertinere? Quæris, Ulyſſes ubi erraverit, potius quam efficias ne nos ſemper erremus? Non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam jactatus ſit; an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam anguſto error eſſe tam longus. Tempeſtates animi (d) nos quo-

(a) *Tit. Curioſitas.* (b) *Tit. Curioſitas.* (c) *Tit. Doctor.* (d) *Tit. Tentatio.*

quotidie jactant, & nequitia in omnia Ulyſsis mala impellit. Non deeſt forma quæ ſollicitet oculos, non hoſtis. Hinc monſtra effera, & humano cruore gaudentia: hinc inſidioſa blandimenta aurium: hinc naufragia, & tot varietates malorum.... Monſtras mihi qui ſint modi flebiles: monſtra potius quo modo inter adverſa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifundia. Potius doceat quo modo metiar quantum homini ſit ſatis. Numerare docet me Arithmetica, & avaritiæ commodare digitos. Potius doceat, nihil ad rem pertinere iſtas computationes: non eſſe feliciorem, cujus patrimonium tabularios laſſat: immo quam ſupervacua poſsideat, qui infeliciſsimus futurus eſt, ſi quantum habeat, per ſe computare cogatur.... Doces me quo modo nihil perdam ex finibus meis? at ego diſcere volo, quo modo totos hilaris amittam. *Epiſt.* 88.

Iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes facit: & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt. Quattuor millia librorum Didymus grammaticus ſcripſit: miſer ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In his de Æneæ matre vera: in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in his an Sappho publica fuerit: & alia quæ erant dediſcenda, ſi ſcires.... Talia ſciat oportet, qui multa vult ſcire. † Nunc cogita quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio privata, quantum occupatio quotidiana, quantum ſomnus. Metire ætatem tuam. Tam multa non capit. De liberalibus ſtudiis loquor. Philoſophi quantum habent ſupervacui? quantum ab uſu recedentis? *Eadem Epiſt.* 88.

Navigant quidam, & labores peregrinationis longiſsimæ una mercede perpetiuntur; cognoſcendi aliquid abditum remotumque. Hæc res ad ſpectacula populos contrahit: hæc cogit præcluſa rimari, ſecretiora exquirere, antiquitates evolvere, mores barbararum audire gentium. Cu-

† *Al.* Noli cogitare. *Alii per minorem ſcribunt*: non cogitare. *Sed hanc ſcripturam, Pinciano quoque probatam, e Granatenſis textu, ceu ejus ſcopo minus aptam, expunximus.*

Curioſum nobis natura ingenium dedit: & artis ſibi ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos (a) tantis rerum ſpectaculis genuit; perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formoſa, ſolitudini oſtenderet. *De Vita beata, cap.* 32.

Eloquentia.

AD res *auditores* commoveantur, non ad verba compoſita. Alioqui nocet illis eloquentia, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui. *Epiſt.* 52.

Audi quid me in epiſtola tua delectaverit. Habes verba in poteſtate. Non effert te oratio: nec longius quam deſtinaſti, trahit. Multi ſunt, qui ad id quod non propoſuerant ſcribere, alicujus verbi decore placentis vocentur: quod tibi non evenit. Preſſa ſunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantum vis: & plus ſignificas quam loqueris. Hoc majoris rei indicium eſt. Apparet, animum quoque nihil habere ſupervacui; nihil tumidi. Invenio tamen translationes verborum, ut non temerarias, † ita non indecoras: ut quæ periculum ſui fecerint. Invenio imagines: quibus ſi quis nos uti vetat, & poëtis illas ſolis judicat eſſe conceſſas; neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis oratio. Illi qui ſimpliciter & demonſtrandæ rei cauſa eloquebantur, parabolis referti ſunt: quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa qua poëtis; ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint: & ut diſcentem & audientem in rem præſentem adducant. *Epiſt.* 59.

Non mehercules jejuna eſſe & arida volo, quæ de rebus tam magnis dicentur. Neque enim philoſophia ingenio renuntiat: multum tamen operæ impendi verbis non oportet. Hæc ſit (b) propoſiti noſtri ſumma: quod ſentimus, loquamur; quod loquimur, ſentiamus. Concordet ſermo cum vita. Ille promiſſum ſuum implevit, qui & quum videas illum & quum audias, idem eſt. Videbimus qualis

 ſit,

(a) *Tit. Contemplatio naturæ.* † *Al.* Ita quæ non periculum ſui fecerint. *In aliis deeſt negatio.* (b) *Tit. Doctor.*

ſit, quantus. Unus ſit. Non delectent verba noſtra, ſed proſint. Si tamen contingere eloquentia non ſollicito poteſt; ſi aut parata eſt aut parvo conſtat; adſit, & res pulcherrimas proſequatur. Sit talis, ut res potius quam ſe oſtendat. Aliæ artes ad ingenium totæ pertinent: hic animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem,
* ſed ſanantem. Sed ſi ita competit, ut idem ille qui ſanare poteſt, comte de his quæ facienda ſunt differat, boni conſulet: non tamen erit quare gratuletur ſibi, quod incide-
* rit in medicum etiam diſertum. Hoc enim tale eſt, quale ſi peritus gubernator etiam formoſus ſit. *Epiſt.* 75.

Quare quibuſdam temporibus provenerit corrupti generis oratio? quæris: & quo modo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta ſit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem cantici ducta? Quare alias ſenſus audaces, & fidem egreſſi placuerint; alias abruptæ ſententiæ, & ſuſpicioſæ, in quibus plus intelligendum eſt quam audiendum? Quare aliqua ætas fuerit, quæ translationis jure uteretur inverecunde? Hoc quod audire vulgo ſoles, quod apud Græcos in proverbium ceſſit: talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem uniuſcujuſque actio dicenti ſimilis eſt: ſic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si diſciplina civitatis laboravit, & ſe in delicias dedit; argumentum eſt luxuriæ publicæ, orationis laſcivia: ſi modo non in uno aut in altero fuit, ſed approbata eſt & recepta. Non poteſt alius eſſe ingenio, alius animo color. Si ille ſanus eſt, ſi compoſitus, gravis, temperans; ingenium quoque ſiccum, ac ſobrium eſt. Illo vitiato, hoc quoque af-
* flatur. Non vides, ſi animus languet, trahi membra, & pigre moveri pedes? Si ille effeminatus eſt, in ipſo inceſſu apparere mollitiem? Si ille acer eſt & velox, concitari gradum? Si furit, aut (quod furori ſimile eſt) iraſcitur, turbatum eſſe corporis motum; nec ire, ſed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum eſt? Ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit.... Itaque ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto deſciviſſe, non erit dubium.

bium. Quo modo conviviorum luxuria, quo modo veſtium, * ægræ civitatis indicia ſunt : ſic orationis licentia (ſi modo frequens eſt) oſtendit animos quoque , a quibus verba exeunt , procidiſſe.... Adjice nunc , quod oratio certam regulam non habet. Conſuetudo illam civitatis, quæ nunquam in eodem diu ſtetit, verſat. Multi ex alieno ſæculo petunt verba.... Quidam contra , dum nihil niſi tritum & uſitatum volunt, in ſordes incidunt. Utrumque diverſo genere corruptum eſt. Alter ſe juſto plus colit : alter ſe juſto plus negligit. *Epiſt.* 114.

Ad compoſitionem tranſeamus. Quot genera tibi dabo in hac , quibus peccetur ? Quidam præfractam & aſperam probant : diſturbant de induſtria ſi quid placidius effluxit: nolunt ſine ſalebra eſſe juncturam : virilem putant & fortem , quæ aurem inæqualitate percutiat. Quorumdam non eſt compoſitio ; modulatio eſt : adeo blanditur , & molliter labitur. Quid de illa loquar , in qua verba differuntur ; & diu exſpectata , vix ad clauſulas redeunt ? Quid de illa in exitu lenta ; qualis Ciceronis eſt , devexa , & molliter deſinens , nec aliter quam ſolet , ad morem ſuum pedemque reſpondens ? ... Hæc vitia unus aliquis inducit, ſub quo tunc eloquentia eſt. Ceteri imitantur , & alter alteri tradunt. Sic Salluſtio vigente, amputatæ ſententiæ, & verba ante exſpectatum cadentia , & obſcura brevitas fuere pro cultu. Arruntius vir raræ frugalitatis , qui hiſtorias belli Punici ſcripſit , fuit Salluſtianus , & in illud genus nitens. Eſt apud Salluſtium , *exercitum argento fecit* , id eſt, pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cœpit: poſuit illud omnibus paginis. *Ibidem.*

Animus curetur : ab illo ſenſus , ab illo verba exeunt; ab illo nobis eſt habitus , vultus , inceſſus. Illo ſano ac valente , oratio quoque robuſta , fortis , virilis eſt. Si ille procubuit , & cetera ſequuntur ruinam.

——— *Rege incolumi , mens omnibus una eſt:*
Amiſſo , rupere fidem.

Ead. Epiſt. 114. *prop. fin.*

Nimis anxium eſſe te circa verba & compoſitionem, mi Lucili , nolo. Habeo majora quæ cures. Quære quid

ſcribas, (a) non quemadmodum : & hoc ipſum, non ut ſcribas ; ſed ut ſentias : ut illa quæ ſenſeris, magis applices tibi, & veluti ſignes. Cujuſcumque orationem videris ſollicitam & politam, ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille, remiſsius loquitur & ſecurius. Quæcumque dicit, plus habent fiduciæ, quam curæ. Noſti complures juvenes barba & coma nitidos, † diſcapſulatos : nihil ab illis ſperaveris forte, nihil ſolidum. Oratio vultus animi eſt. Si circumtonſa eſt & fucata, & manu facta ; oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum virile concinnitas. Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, o quam pulchram faciem, quam ſanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem, videremus ! hinc juſtitia, illhinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus. *Epiſt.* 115.

Lege Ciceronem. Compoſitio ejus una eſt, pedem ſervat, curata, lenta, & ſine infamia mollis. At contra, Pollionis Aſinii ſalebroſa, & exſiliens ; & ubi minime ſpectes, relictura. Denique apud Ciceronem omnia deſinunt ; apud Pollionem cadunt : exceptis pauciſsimis, quæ ad certum modum, & ad unum exemplar adſtricta ſunt. Humilia præterea tibi videri dicis omnia, & parum erecta : quo vitio carere eum judico. Non ſunt humilia illa ; ſed placida, & ad animi tenorem quietum compoſitumque formata : nec depreſſa ; ſed plana. Deeſt illis oratorius vigor ; ſtimulique quos quæris, & ſubiti ictus ſententiarum. Sed totum corpus vide : † quamvis non ſit comtum honeſtumque.... Non eſt fortis oratio ejus (*Livii ſc.*) quamvis † elata ſit : non eſt violenta nec torrens, quamvis effuſa ſit : non eſt perſpicua, ſed pura. Deſideres, inquit, contra vitia aliquid aſpere dici ; contra pericula animoſe ; contra fortunam ſuperbe ; contra ambitionem contumelioſe. Volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi. Sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile. Vis illum aſsidere puſillæ rei, verbis ? Ille rerum ſe magni-

(a) *Tit. De ratione ſtudii.* † *Al.* De capſula totos. † *Al.* Quamvis ſit incomtum, honeſtum eſt. *Al.* Quam ſit comtum. Honeſtum eſt. † *Al.* Electa.

gnitudini addixit: eloquentiam (velut umbram) non hoc agens, trahit. Non erunt ſine dubio ſingula circumſecta, nec in ſe collecta; nec omne verbum excitabit ac punget. Fateor: exibunt multa, nec ferient; & interdum otioſa præterlabetur oratio. Sed multum erit † in omnibus lucis. Sed ingens ſine tædio ſpatium. Denique illud præſtabit, ut liqueat tibi, illum ſenſiſſe quæ ſcripſit. Intelliges actum hoc, ut tu ſcires quid illi placeret; non ut ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, & ad bonam mentem: non quæritur plauſus. Talia eſſe ſcripta ejus non dubito, etiam ſi magis reminiſcor, quam teneo: hæretque mihi color eorum, non ex recenti converſatione familiariter; ſed ſummatim (ut ſolet) ex vetere notitia. Quum audirem certe illum, talia mihi videbantur: non ſolida, ſed plena; quæ adoleſcentem indolis bonæ attollerent, & ad imitationem ſui vocarent, ſine deſperatione vincendi. Quæ mihi adhortatio videtur efficaciſsima. Deterret enim qui imitandi cupiditatem fecit; ſpem abſtulit. Ceterum verbis abundabat ſine commendatione partium ſingularum, in univerſum magnificus. *Epiſt.* 100.

In ſtudiis puto mehercule melius eſſe res ipſas intueri, & harum cauſa loqui: ceterum verba rebus permittere; ut qua duxerint, hac inelaborata ſequatur oratio. Quid opus eſt ſæculis duratura componere? Vis tu nunc id agere, ne te poſteri taceant? Morti natus es. Minus moleſtiarum habet funus tacitum. Itaque occupandi temporis causâ, in uſum tuum, non in præconium aliquid ſimplici ſtilo ſcribe. Minore labore opus eſt ſtudentibus in diem. Rurſus, † ubi ſe animus cogitationum magnitudine levavit, ambitioſus in verba eſt: altiuſque ut ſperare, ita eloqui geſtit: & ad dignitatem rerum exigitur oratio: oblitus tunc legis, preſsioriſque judicii, ſublimius feror. *Lib. de Tranq. animi, cap.* 1.

Comes facundus in via, pro vehiculo eſt. *Ex Pub. Mim.*

Habet ſuum venenum blanda oratio. *Ex eodem.*

† *Al.* In omnibus locis, & ingens, *cet. Sed minus recte, ut putat Pincianus.* † *Sequentia ex Pinciano caſtigata, Granatenſi pæne intacta reliquimus; quamvis quotquot vidimus exemplaria aliter habeant.*

Jucundum eſt nihil, niſi quod reficit varietas. *Ex eod.*

Oratorem te puta, ſi tibi ipſi quod oportet perſuaſeris. *Ex eodem.*

Studium, & diſcendi ardor.

EGregie hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo judicio magnus, etiam ſi maximis comparetur, ſolet: plus prodeſſe, ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promtu tibi & in uſu ſint; quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum. Quemadmodum (inquit) magnus luctator eſt, non qui omnes numeros nexuſque perdidicit, quorum uſus ſub adverſario rarus eſt; ſed qui in uno ſe aut altero bene & diligenter exercuit, & eorum occaſiones intentus aſpectat: (nec enim refert quam multa ſciat, ſi ſcit quantum victoriæ ſatis eſt:) ſic in hoc ſtudio multa delectant; pauca vincunt. *Lib. 7. de Benef. cap.* 1.

Inimicitias mihi denuntias, ſi quicquam ex his quæ quotidie facio ignoraveris. Vide quam ſimpliciter tecum vivam: hoc quotidie tibi committam. Philoſophum audio; & quidem quintus jam dies abiit, ex quo in ſcholam eo, & ab octava diſputantem audio. Bona, inquis, ætate. Quidni bona? Quid autem ſtultius eſt, quam quia diu non didiceris, non diſcere? ... Tam diu diſcendum eſt, quam diu neſcias: & ſi proverbio credimus, quam diu vivas. Nec ulli hoc rei magis convenit, quam huic: tam diu diſcendum eſt quemadmodum vivas, quam diu vivis. Ego tamen (a) hic aliquid & doceo. Quæris quid doceam? Etiam ſeni eſſe diſcendum. *Epiſt. 76.*

Aliquid (b) præcipientium vitio peccatur, qui nos docent diſputare, non vivere: aliquid diſcentium, qui propoſitum adferunt ad præceptores ſuos, non animum excolendi, ſed ingenium. Itaque quæ philoſophia fuit, facta philologia eſt. Multum autem ad rem pertinet, quo propoſito (c) ad quam rem accedas. Qui grammaticus futurus

---

(a) *Tit. Exemplum.* (b) *Tit. Doctor.* (c) *Tit. Lectio qualis eſſe debeat.*

rus Virgilium ſcrutatur, non hoc animo legit illud egregium:

——— *Fugit irreparabile tempus.*

Tacitus intra ſe dicat: Vigilandum eſt: niſi properamus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies: inſcii rapimur. Omnia in futurum diſponimus, & inter præcipitia lenti ſumus. Sed ut obſervet, quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo illum, FUGIT.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Ille qui ad philoſophiam ſpectat, hæc eadem quo debet, abducit. Nunquam Virgilius (inquit) dies dicit ire; ſed fugere, quod currendi genus concitatiſsimum eſt: & optimos quoque primos rapi. Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſsimæ rei poſsimus æquare?.... Non eſt quod mireris, ex eadem materia ſuis quemque ſtudiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. *Epiſt.* 108. *

Non præterit me (Lucili virorum optime) quam magnarum rerum fundamenta ponam ſenex, qui mundum circumire conſtitui, & cauſas ſecretaque ejus eruere, atque aliis noſcenda prodere. Quando tam multa conſequar? tam ſparſa colligam? tam occulta perſpiciam? Premit a tergo ſenectus, & objicit annos inter vana ſtudia conſumtos. Tanto magis urgeamus: & damna ætatis male exactæ labor ſarciat. Nox ad diem accedat. † Occupationes patrimonii præcidantur. Longe ambitio: longe jactantia. Curis ſolvatur. Sibi (a) totus animus vacet, & ad contemplationem ſui ſaltem in ipſo fine reſpiciat. Faciet, ac ſibi inſtabit, & quotidie brevitatem temporis metietur. Quicquid amiſſum eſt, id diligenti uſu præſentis vitæ recolliget. Fideliſſimus eſt ad honeſta (b) ex pœnitentia tranſitus. Libet mihi exclamare illum Poëtæ incliti verſum:

† *Hunc locum in nonnullis exemplaribus OEdipo interprete egentem, ſic ex Pinciano emendatum protulit Granatenſis. Alii tamen legunt*: Occupationes recidantur: & patrimonii longe a domino jacentis cura ſolvatur, *cet.*

(a) *Tit. Contemplatio.* (b) *Tit. Pœnitentia.*

Tollimus ingentes animos, & maxima parvo
Tempore molimur.
Lib. 3. *Natur. Quæſt. in Præf.*

Illud prius ſcribam, quemadmodum tibi iſta cupiditas diſcendi qua flagrare te video, dirigenda ſit, ne ipſa ſe impediat. Nec paſsim carpenda ſunt, nec avide invadenda univerſa. Per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet: nec plus occupari, quam cui ſufficere poſſumus. Non quantum vis, ſed quantum capis, hauriendum eſt. Bonum tantum habe animum: capies quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc ſe magis laxat.... Ea philoſophiæ vis eſt, (a) ut non ſolum ſtudentes, ſed etiam
* converſantes juvet. Qui in ſolem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur. Qui in unguentaria taberna reſederunt, & paullo diutius commorati ſunt, odorem ſecum loci ferunt. Et qui apud philoſophum fuerunt, traxerint aliquid neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus. Attende quid dicam: negligentibus; non repugnantibus. Quid ergo? Non novimus quoſdam, qui multis apud philoſophum annis perſederunt, & ne colorem quidem duxerunt? Quid ni noverim? Pertinaciſsimos quidem & aſsiduos: quos ego non diſcipulos philoſophorum; ſed inquilinos voco. Quidam veniunt ut audiant; non ut diſcant: ſicut in theatrum, voluptatis causâ, ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philoſophi ſchola diverſorium otii ſit. Non id agunt, ut aliqua illhic vitia deponant; ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores ſuos exigant: ſed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, ſed verba: quæ tam ſine profectu alieno dicant, quam ſine ſuo audiant. *Epiſt.* 108.

* Confuſis oculis proſunt virentia; & quibuſdam coloribus infirma acies acquieſcit; quorumdam ſplendore præſtringitur: ſic mentes ægras ſtudia læta permulcent. *Lib.* 3. *de Ira, cap.* 9.

Studiorum... tam diu rationem habebo, quam diu modum.

Quo

(a) *Tit. Auditor.*

Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua indices perlegit? Onerat diſcentem turba, non inſtruit: multoque ſatius eſt, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. † Quadraginta millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudaverit, ſicut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuiſſe. Non fuit elegantia illud, aut cura; ſed ſtudioſa luxuria: immo ne ſtudioſa quidem; quoniam non in ſtudium, ſed in ſpectaculum comparaverant. Sicut pleriſque ignaris etiam ſervilium litterarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta; ſed cœnationum ornamenta ſunt. *Lib. de Tranq. animi, cap. 9.*

¶ *Vide etiam Tit. ſequentem*, Lectio. *Præcedentes quoque loci huic affines ſunt.*

Lectio.

ÆGri animi iſta jactatio eſt. Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, & ſecum morari. Illud autem vide, ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant; nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant; ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumtus emittitur. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebro medicamenta tentantur. Non convaleſcit planta, quæ ſæpius transfertur. Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum

---

† *Alii legendum putant*, Quadringenta millia, *potius quam* Quadraginta millia. *At Gellius Noct. Attic. lib. 6. cap. ult. ſeptingenta fuiſſe librorum millia teſtatur.*

rum multitudo. Itaque quum legere non poſsis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo; modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare: quæ ubi varia ſunt & diverſa, inquinant; non alunt. Probatos itaque ſemper lege: & ſi quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie adverſus paupertatem, aliquid adverſus mortem auxilii compara; nec minus adverſus ceteras peſtes. Et quum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipſe quoque facio: ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo. Hodiernum hoc eſt, quod apud Epicurum nactus ſum. Soleo enim & in alia caſtra tranſire, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator. Honeſta, inquit, res eſt (a) læta paupertas. Illa vero non eſt paupertas, ſi læta eſt. *Epiſt.* 2.

Lectio certa prodeſt; varia delectat. Qui quo deſtinavit pervenire vult, unam ſequatur viam; non per multas vagetur. Non ire iſtud, ſed errare eſt. *Epiſt.* 45.

Quorumdam ſcripta clarum habent tantum nomen: cetera exſanguia ſunt. Inſtituunt, diſputant, cavillantur. Non faciunt animum, quia non habent. Quum legeris Sextium, dices: vivit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt, dimittit me plenum ingentis fiduciæ. In quacumque poſitione mentis ſim, quum lego hunc, (fatebor tibi) libet omnes caſus provocare, libet exclamare: quid ceſſas fortuna? congredere: paratum vides. Illius animum induo, qui quærit ubi ſe experiatur; ubi virtutem ſuam oſtendat:

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientia exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod & oſtendet tibi beatæ vitæ magnitudinem, & deſperationem ejus non faciet. Scies illam eſſe in excelſo; ſed volenti penetrabilem.... Sed etiam ſi omnia a veteribus inventa ſunt; hoc ſemper novum erit, uſus, & inventorum ab aliis ſcientia, & diſpoſitio.... Multum egerunt qui ante nos fuerunt; ſed non peregerunt. Suſpiciendi tamen ſunt, & ri-

(a) *Tit. Paupertas.*

ritu deorum colendi. Quid ni ego magnorum virorum (a) & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quid ni illos honoris cauſa ſemper appellem? *Epiſt. 64.*

Alit (b) lectio ingenium: & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen, reficit. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus. Altera res contriſtabit, & vires exhauriet: (de ſtilo dico:) altera ſolvet, ac diluet. Invicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum: ut quicquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus. Apes (ut ajunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quicquid attulere, diſponunt, ac per favos digerunt: & ut Virgilius noſter ait,

——— *Liquentia mella*
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

.... Nos quoque apes debemus imitari; & quæcumque ex diverſa lectione congeſsimus, ſeparare: melius enim diſtincta ſervantur. Deinde (c) adhibita ingenii noſtri cura & facultate, in unum ſaporem varia illa libamenta confundere: ut etiam ſi apparuerit unde ſumtum ſit; aliud tamen eſſe, quam unde ſumtum eſt, appareat. Quod in corpore noſtro videmus, ſine ulla opera noſtra, facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quam diu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At quum ex eo quod erant, mutata ſunt; tunc demum in vires & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia, præſtemus: ut quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint. Concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & noſtra faciamus: ut unum quiddam fiat ex multis; ſicut unus numerus fit ex ſingulis. *Epiſt. 84.*

Hæc, Lucili virorum optime, quo minus legas non deterreo: dum modo quidquid legeris, ad mores ſtatim referas. Illos compeſce; marcentia in te excita; ſoluta conſtringe; contumacia doma; cupiditates tuas, publicaſque quan-

(a) *Tit. Sanctus.* (b) *Tit. De ratione ſtudii.* (c) *Communes locos commendat.*

(quantum potes) vexa ; & iſtis dicentibus : quouſque eadem ? reſponde : ego debeo dicere : quouſque eadem peccabitis ? Remedia ante vultis, quam vitia deſinere. *Epiſt.* 89.

Illud admoneo, auditionem (a) philoſophorum, lectionemque ad propoſitum beatæ vitæ trahendam : non ut verba priſca aut ficta captemus, & translationes improbas figuraſque dicendi ; ſed ut profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem transferantur. Sic iſta diſcamus, ut quæ fuerunt verba, ſint opera. *Epiſt.* 108. *prope fin.*

Soli omnium otioſi ſunt, qui ſapientiæ vacant : ſoli vivunt. Nec enim ſuam tantum ætatem bene tuentur : omne ævum ſuo adjiciunt. Quicquid annorum ante illos actum eſt, illis acquiſitum eſt. Niſi ingratiſsimi ſumus, illi clariſsimi ſacrarum opinionum conditores nobis nati ſunt; nobis vitam præparaverunt. Ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas, alieno labore deducimur. Nullo nobis ſæculo interdictum eſt : in omnia admittimur. Et ſi magnitudine animi egredi humanæ imbecillitatis anguſtias libet ; multum, per quod ſpatiemur, temporis eſt. Diſputare cum Socrate libet ; dubitare cum Carneade ; hominis naturam cum Stoicis vincere ; cum Cynicis excedere; cum rerum naturâ in conſortium omnis ævi pariter incedere. Quid ni (b) ab hoc exiguo, & caduco temporis tranſitu, in illa nos toto demus animo, quæ immenſa, quæ æterna ſunt, quæ cum melioribus communia ? Hos in veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie, & Democritum ceteroſque antiſtites bonarum artium, qui Ariſtotelem & Theophraſtum volent habere quam familiariſsimos. Nemo horum non vacabit; nemo non venientem ad ſe, beatiorem amantioremque ſui dimittet ; nemo quemquam vacuis a ſe manibus abire patietur. Nocte conveniri, & interdiu ab omnibus mortalibus poſſunt. Horum te mori nemo coget ; omnes docebunt. Horum nemo annos tuos conteret ; ſuos tibi contribuet. Nullius ex his ſermo periculoſus erit ; † nullius inimici capitalis ſuſpicioſa obſervatio. *Lib. de Brevit. vitæ, cap.* 14.

Fe-

(a) *Tit. Auditor.* (b) *Tit. Contemplatio.* † *Al.* Nullius amicitia capitalis ; nullius ſumtuoſa obſervatio.

Feres ex his quicquid voles : per illos non ſtabit, quo minus quantum plurimum ceperis, haurias. Quæ illum felicitas, quam pulchra ſenectus manet, qui ſe in horum clientelam contulit! Habebit cum quibus de minimis maximiſque rebus deliberet ; quos de ſe quotidie conſulat ; a quibus audiat verum ſine contumelia ; laudetur ſine adulatione ; ad quorum ſe ſimilitudinem effingat. Solemus dicere, non fuiſſe in noſtra poteſtate, quos ſortiremur parentes : ſorte nobis datos. Nobis vero ad noſtrum arbitrium naſci licet. Nobiliſsimorum ingeniorum familiæ ſunt. Elige in quam adſciſci velis : non in nomen tantum adoptaberis ; ſed in ipſa bona, quæ non erunt ſordide, nec maligne cuſtodienda. Majora fient, quo illa pluribus diviſeris. Hi tibi dabunt ad æternitatem iter: & te in illum locum, ex quo nemo ejiciet, ſublevabunt. Hæc una ratio eſt extendendæ mortalitatis ; immo in immortalitatem vertendæ. *Ibidem*, *cap.* 15.

Exercitatio.

PArs virtutis diſciplina conſtat, pars exercitatione. Et diſcas oportet ; & quod didiciſti, agendo confirmes.... Philoſophia dividitur in hæc, ſcientiam, & habitum animi. Illam qui didicit, & facienda ac vitanda percepit ; nondum ſapiens eſt, niſi in ea quæ didicit, animus ejus transfiguratus eſt.... Pueri ad præſcriptum diſcunt : digiti illo- ✻
rum tenentur, & aliena manu per litterarum ſimulacra ducuntur. Deinde imitari jubentur propoſita, & ad illa reformare chirographum. *Epiſt.* 94.

Veritas.

IN arduo eſt veri exploratio : ſed ea *imus*, qua ducit veri ſimilitudo. Omne hac viâ procedit officium. Sic (a) ſerimus, ſic navigamus, ſic militamus, ſic uxores ducimus,

(a) *Similium inductio.*

mus, ſic liberos tollimus: quum omnium incertus ſit eventus. Ad ea accedimus, de quibus bene ſperandum eſſe credimus. Quis enim pollicetur ſerenti proventum? naviganti portum? militanti victoriam? marito pudicam uxorem? patri pios liberos? Sequimur qua ratio, non qua veritas trahit. *Lib.* 4. *de Benef. cap.* 33.

Fallaces ſunt rerum ſpecies, quibus credimus. Quis negat? Sed nihil aliud invenio, per quod cogitationem regam. His veritas mihi veſtigiis ſequenda eſt. Certiora non habeo. Hæc ut quam diligentiſsime æſtimem, operam dabo: nec cito illis aſſentiar. *Ibid. cap.* 34.

Si omnia argumenta ad lancem cœperimus exigere, ſilentium indicetur. Pauca enim admodum ſunt ſine adverſario. Cetera etiam ſi vincunt, litigant. *Lib.* 4. *Nat. Quæſt. cap.* 5.

Bonum tametſi ſupprimitur, non extinguitur. *Ex Pub. Mim.*

Nimium altercando, veritas amittitur. *Ex eodem.*

Lex.

IN omni quæſtione propoſitum ſit nobis bonum publicum. Præcludendæ ſunt *omnes* excuſationes ingratis, ad quas refugere poſsint, & ſub quibus inficiationem ſuam tegere. Omnia feci. Fac etiam nunc. Quid? tu tam imprudentes judicas majores noſtros fuiſſe, ut non intelligerent, iniquiſſimum eſſe eodem loco haberi eum, qui pecuniam quam a creditore acceperat, libidine aut alea abſumſit; & eum qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo caſu triſtiore, aliena cum ſuis perdidit? Nullam *tamen* excuſationem receperunt: ut homines ſcirent fidem utique præſtandam. Satius enim erat a paucis etiam juſtam excuſationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 16.

Quoties parum fiduciæ eſt in his quibus imperas, amplius eſt exigendum (a) quam ſatis eſt, ut præſtetur quantum ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole † excedit, ut ad ve-

(a) *Majora legibus præcipiuntur, ut quod ſatis eſt, fiat.* † *Al.* Extenditur.

verum mendacio veniat. Itaque ille qui dixit :

Qui candore nives anteirent, curſibus auras:

quod non poterat fieri dixit : ut crederetur quantum plurimum poſſet. Et qui dixit :

His immobilior ſcopulis, violentior amne:

ne hoc quidem ſe perſuaſurum putavit, aliquem tam immobilem eſſe, quam ſcopulum. Nunquam tantum ſperat hyperbole, quantum audet : ſed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat. *Lib. 7. de Benef. cap. 23.*

Legem brevem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur. Velut emiſſa divinitus vox ſit. Jubeat ; non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone : dic quid me velis feciſſe. Non diſco ; ſed pareo. *Epiſt. 94.*

Natura.

TArdum eſt & varium quod uſus docet. Quicquid natura tradit, & æquale eſt omnibus & ſtatim. *Epiſt. 121.*

Naturale eſt, magis nova quam magna mirari. *Lib. 7. Nat. Quæſt. cap. 1.*

Malæ naturæ nunquam doctore indigent. *Ex Pub. Mim.*

Conſuetudo bona & mala.

QUemadmodum lana quoſdam colores (a) ſemel ducit; * quoſdam, niſi ſæpius macerata & recocta, non perbibit : ſic alias diſciplinas ingenia quum accepere, protinus præſtant. Hæc, *ſapientiæ ſcilicet profeſsio* (b) niſi alte deſcendit & diu ſedit, animum non coloravit, ſed infecit. Nihil ex his quæ promiſerat, præſtat. *Epiſt. 71.*

Non (c) quum vacaveris, philoſophandum eſt. Omnia alia negligenda, ut huic aſsideamus, cui nullum tempus ſatis magnum eſt ; etiam ſi a pueritia uſque ad longiſsimos humani ævi terminos vita protenditur. Non multum re-

(a) *Tit. Perſeverantia.* (b) *Tit. Sapientia.* (c) *Tit. Perſeverantia.*

refert, utrum omittas philoſophiam, an intermittas. *Epiſt.* 72.

* Non quælibet inſitionem vitis patitur. Si vetus & exeſa eſt, ſi infirma graciliſque; aut non recipiet ſurculum, aut non alet.... Hic de quo ſcribis & mandas, non habet vires. Indulſit vitiis: ſimul & emarcuit, & induruit. Non poteſt recipere rationem: non poteſt nutrire. At cupit ipſe. Noli credere. Non dico illum mentiri tibi: putat ſe cupere. Stomachum illi fecit luxuria: cito tamen cum illa redibit in gratiam. Sed dicit ſe offendi vitâ ſuâ. Non negaverim. Quis enim non offenditur? Homines vitam ſuam & amant ſimul, & oderunt. Tunc itaque de illo feramus ſententiam, quum fidem nobis fecerit, inviſam jam ſibi eſſe luxuriam. Nunc illis male convenit. *Epiſt.* 112.

Ne ipſa quidem univerſæ philoſophiæ vis, licet tota in hoc vires ſuas advocet; duram jam & veterem animis extrahet peſtem. *Epiſt.* 94.

Nihil eſt (a) tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſsidua meditatio: nullique ſunt tam feri, & ſui juris affectus, ut non diſciplina perdomentur. Quodcumque ſibi imperavit animus, obtinuit. Quidam, ne unquam riderent, conſecuti ſunt. Vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius contentus brevi ſomno, † vigilia ſe indefatigabilem oſtendit. Didicerunt alii tenuiſsimis & adverſis funibus currere: & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare: & in immenſam altitudinem mergi; ac ſine ulla reſpirandi vice perpeti maria. *Lib.* 2. *de Ira*, *cap.* 12.

Mille ſunt alia, in quibus (b) pertinacia impedimentum omne tranſcendit, oſtenditque nihil eſſe difficile, cujus ſibi ipſa mens patientiam indiceret. Iſtis, quos paullo ante retuli, aut nulla tam pertinacis ſtudii, aut non digna merces fuit. Quid enim magnificum conſequitur ille, qui meditatus eſt per intenſos funes ire? qui ſarcinæ ingenti cervices ſupponere? qui ſomno non ſubmittere oculos? qui penetrare in imum mare? & tamen ad finem operis, non ma-

(a) *Tit. Labor, & induſtria.* † *Al.* Vigiliam indefatigabilem extendit. (b) *Tit. Perſeverantia.*

magno auctoramento labor pervenit. Nos non advocabimus patientiam, quos tantum præmium exſpectat; felicis animi (a) immota tranquillitas? Quantum eſt effugere maximum malum, iram; & cum illa rabiem, ſævitiam, crudelitatem, furorem, & alios comites affectus ejus? *Ibidem, cap.* 13.

Cogita, compeditos primo ægre ferre onera, & impedimenta crurum. Deinde ubi non dedignari illa, ſed pati propoſuerunt; neceſsitas fortiter ferre docet, conſuetudo facile. *Lib. de Tranq. animi, cap.* 10.

Fer difficilia, facilia ut levius feras. *Ex Pub. Mim.*

Graviſsimum eſt imperium conſuetudinis. *Ex eodem.*

Quid eo infelicius, cui jam malum eſſe (b) neceſſe eſt? *Ex eodem.*

Vita.

NEmo quam bene vivat; ſed quam diu curat: quum omnibus poſsit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli. *Epiſt.* 22. *in fine.*

Quæcumque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe proprie putat. Fluunt enim, & aſsidua diminutione atque adjectione ſunt. Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis. Nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore. Nihil ex iis quæ videmus, manet. Ego ipſe, dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt quod ait Heraclitus: *in idem flumen bis non deſcendimus.* Manet idem fluminis nomen: aqua tranſmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quam in homine. Sed nos quoque non minus velox curſus prætervehit: & ideo admiror dementiam noſtram, quod tantopere amamus rem fugaciſsimam, corpus; timemuſque ne quando moriamur, quum omne momentum, mors prioris habitus ſit.... Quid ex iſtis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipſum, quod omnia iſta quæ ſenſibus ſerviunt, quæ

(a) *Virtutis philoſophicæ finis.* (b) *Tit. Neceſsitas.*

nos accendunt, & irritant, negat Plato ex his esse quæ vere sint. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt. Nihil horum stabile ac solidum est : & nos tamen cupimus, tanquam aut semper futura, aut semper habituri. Imbecilli fluidique per intervalla consistimus. Mittamus animum ad illa (a) quæ æterna sunt. Miremur in sublime volitantes rerum formas ; Deumque inter illas versantem. *Epist.* 58.

Prænavigamus, mi Lucili, vitam : & quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noster,

——*Terræque urbesque recedunt* :

sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam ; deinde quicquid est illud inter juvenem & senem medium, in utriusque confinio positum ; deinde ipsius senectutis optimos annos. Novissime incipit ostendi publicus finis generis humani. † Scopulum esse illum putamus ? Clementissimus portus est, aliquando petendus, nunquam recusandus. In quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quam qui cito navigavit. Alium enim (ut scis) venti segnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant : alium pertinax flatus celerrime perfert. Idem evenire nobis puta. Alios vita velocissime adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus : alios maceravit, & coxit : quæ ut scis, non semper retinenda est. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiens vivit quantum debet ; non quantum potest. Videbit ubi victurus sit, cum quibus, quo modo, quid acturus. Cogitat semper qualis vita, non quanta sit. *Epist.* 70.

Quid mutationis periculo exceptum ? non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem : sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus : nasci debent, crescere, extingui. Quæcumque vides supra nos currere, & hæc quibus innixi atque impositi sumus veluti solidissimis, carpentur atque de-

si-

(a) *Tit. Contemplatio.* † *Al.* Scopulum esse illum putamus, dementissimi ? Portus est, *cet.*

ſinent. Nulli non ſenectus ſua eſt. Inæqualibus iſta ſpatiis eodem natura demittit. Quicquid eſt, non erit, nec peribit; ſed reſolvetur. Nobis ſolvi, perire eſt. Proxima enim intuemur: ad ulteriora non proſpicit mens hebes, & quæ ſe corpori addixerit. Alioqui fortius finem ſui ſuorumque pateretur, ſi ſperaret omnia illa ſic in vitam mortemque per vices ire; & compoſita diſſolvi, diſſoluta componi.... Alias *urbes* deſtruent bella: alias deſidia, paxque ad inertiam verſa conſumet, & magnis opibus exitioſa res luxus. *Epiſt.* 71.

Quo modo fabula, ſic vita: non quam diu, ſed quam * bene acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. Quocumque voles deſine: tantum bonam clauſulam impone. *Epiſt.* 77. *in fine.*

Meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt. Quemad- * modum ex amphora primum quod eſt ſinceriſsimum effluit; graviſsimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod eſt optimum, primum eſt. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reſervemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat,

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit.

Quare optima? Quia reſtat quod incertum eſt. Quare optima? Quia juvenes (a) poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. *Epiſt.* 108.

Ad eum tranſeamus qui conſenuit: quantulo vincit infantem? Propone profundi temporis vaſtitatem, & univerſum complectere: deinde hoc quod ætatem vocamus humanam, compara immenſo: videbis quam exiguum ſit quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimæ, quantum ſollicitudines occupant; quantum mors, antequam veniat, optata? quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri aut rudes aut inutiles anni? Dimidium ex hoc edormitur. Adjice labores, luctus, pericula: & intelliges

(a) *Tit. Juventus.*

etiam in longiſsima vita, minimum eſſe quod vivitur. *Epiſt. 99.*

O quanta dementia eſt, (a) ſpes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram; tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur, per manus exit: & ipſam quam premimus horam, caſus incidit. Volvitur tempus, ratâ quidem lege; ſed per obſcurum. Quid autem ad me, an naturæ certum ſit, quod mihi incertum eſt?.... Ad latus mors eſt: quæ, quoniam nunquam cogitatur, niſi aliena; ſubinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius quam dum miramur, hæſura. *Epiſt.* 101.

Et mox, contra nimium vitæ amorem, ſic ait. Inde illud Mæcenatis turpiſsimum votum: quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem, & noviſsime acutam crucem; dum modo inter hæc mala ſpiritus prorogetur. (b)

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hanc mihi, † vel acutam
Si ſubdas crucem, ſuſtineo.

....Quid hinc optes niſi Deos faciles? Quid ſibi vult iſta carminis effeminati turpitudo? quid timoris dementiſsimi pactio? quid tam fœda vitæ † commendatio?.... Excutienda (c) vitæ cupido eſt: diſcendumque nihil intereſſe, quando patiaris, quod quandoque patiendum eſt. Quam bene vivas referre, non quam diu. Sæpe autem in hoc eſſe bene, ne diu. *Eadem Epiſt.* 101.

Major pars mortalium (Paulline) de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguum ævi gignimur; quod hæc tam velociter, tam rapide dati nobis temporis ſpatia de-

---

(a) *Tit. Fortunæ inconſtantia.* (b) *Verba ſunt Mæcenatis.* (c) *Tit. Fortitudo.* † *Al.* Vel acutam, Si das, ſuſtineo crucem. *Al.* Vel acutâ Si ſedeam cruce, ſuſtine. † *Al.* Mendicatio.

decurrant: adeo ut exceptis admodum paucis, ceteros in ipſo vitæ apparatu vita deſtituat. Nec huic publico (ut opinantur) malo, turba tantum & imprudens vulgus ingemuit. Clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocavit. Inde illa maxima medicorum exclamatio eſt: vitam brevem eſſe, longam artem.... *Ajunt*, animalibus tantum *naturam* indulſiſſe, ut quina aut dena ſæcula edurent: homini in tam multa ac magna genito, tanto celeriorem terminum ſtare. Non exiguum temporis habemus; ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem large data eſt, ſi tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit; ubi nulli rei bonæ impenditur: ultima demum neceſsitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus. Ita eſt. Non accepimus brevem vitam, ſed fecimus: nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus. Sicut amplæ & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento diſsipantur; at quamvis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, uſu creſcunt: ita ætas noſtra, bene diſponenti multum patet. *De Brevit. vitæ, cap.* 1. *

Quid de rerum natura querimur? Illa ſe benigne geſſit. Vita, ſi ſcias uti, longa eſt. Alium (a) inſatiabilis tenet avaritia: alium in ſupervacuis laboribus operoſa ſedulitas. Alius vino madet: alius inertia torpet. Alium defatigat ex alienis judiciis ſuſpenſa ſemper ambitio: alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, ſpe lucri ducit. Quoſdam torquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut ſuis anxios.... Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut ſuæ odium detinuit. Pleroſque nihil certum ſequentes, vaga & inconſtans, & ſibi diſplicens levitas, per nova conſilia jactavit. Quibuſdam nihil quo curſum dirigant placet; ſed marcentes oſcitanteſque fata deprehendunt: adeo ut quod apud maximum poëtarum, more oraculi dictum eſt, verum eſſe non dubitem:

Exigua pars eſt vitæ, quam vivimus.

Ceterum quidem omne ſpatium, non vita, ſed tempus eſt.

(a) *Tit. Corrupti mores.*

Urgentia circumſtant vitia undique. Nec reſurgere, aut in diſpectum veri attollere oculos ſinunt : ſed emerſos, & in cupiditatibus infixos premunt. Nunquam illis recurrere ad ſe licet. Sed ſi quando aliqua quies fortuito contigit, velut in profundo mari, in quo poſt ventum quoque volutatio eſt, fluctuantur : nec unquam illis a cupiditatibus
* ſuis otium inſtat. De iſtis me putas differere, quorum in confeſſo mala ſunt? Aſpice illos ad quorum felicitatem concurritur : bonis ſuis effocantur. Quam multis graves ſunt divitiæ? Quam multorum eloquentia, quotidiano oſtentandi ingenii ſpatio, ſanguinem educit? Quam multi continuis voluptatibus pallent? Quam multis nihil liberi reliquit circumfuſus clientium populus?.... Ille iſtius cultor eſt; iſte illius; ſuus nemo. Deinde, dementiſsima quorumdam indignatio eſt. Queruntur de ſuperiorum faſtidio, quod ipſos adire volentibus non vacaverint. Audet quiſquam de alterius ſuperbia queri, qui ſibi ipſi nunquam vacat? Ille tamen, quiſquis eſt, inſolenti quidem vultu, ſed aliquando reſpexit.... Tu (a) non inſpicere te unquam, non audire dignatus eſt. *Ibidem, cap.* 2.

Omnia licet quæ unquam ingenia fulſerunt, in hoc unum conſentiant; nunquam ſatis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur.... Nemo invenitur qui pecuniam ſuam dividere velit : vitam unuſquiſque quam multis diſtribuit? Adſtricti ſunt in continendo patrimonio. Simul (b) ad temporis jacturam ventum eſt, profuſiſsimi in eo, cujus unius honeſta avaritia eſt. Libet itaque ex ſeniorum turba comprehendere aliquem. Perveniſſe te ad ultimum humanæ ætatis videmus. Centeſimus tibi, vel ſupra, premitur annus. Age dum, ad computationem ætatem tuam revoca. Dic, quantum ex iſto tempore creditor, quantum amica, quantum reus, quantum cliens abſtulerit : quantum lis uxoria, quantum ſervorum coërcitio, quantum officioſa per urbem diſcurſatio. Adjice morbos, quos manu fecimus : adjice, quod & ſine uſu jacuit. Videbis te pauciores annos habere, quam numeras. Repete memoria tecum, quando certior conſilii fueris? quotus quiſque dies, ut

(a) *Tit. Cognitio ſui.* (b) *Tit. Tempus.*

ut deſtinaveras, receſſerit? quando tibi uſus tui fuerit? quando in ſtatu ſuo vultus? quando animus intrepidus? quod tibi in tam longo ævo facti operis ſit? quam multi vitam tuam diripuerint, te non ſentiente quid perderes? quantum vanus dolor, ſtulta lætitia, avida cupiditas, blanda converſatio abſtulerit? quam exiguum tibi de tuo relictum ſit? Intelliges, te immaturum mori. *Eodem lib. cap.* 3.

Quid ergo eſt in cauſa? Tanquam ſemper victuri vivitis. Nunquam vobis fragilitas veſtra ſuccurrit. Non obſervatis quantum temporis tranſierit. Velut ex pleno & abundanti perditis: quum interim fortaſſe ille ipſe, alicui vel homini vel rei donatus, ultimus dies ſit. Omnia tanquam mortales timetis. Omnia tanquam immortales concupiſcitis. Audies (a) pleroſque dicentes: a quinquageſimo in otium ſecedam: ſexageſimus annus ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis iſta, ſicuti diſponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſsit? Quam ſerum eſt, tunc vivere incipere, quum deſinendum eſt? Quæ tam ſtulta mortalitatis oblivio, in quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſana conſilia: & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? Potentiſsimis & in altum ſublatis hominibus excidere voces videbis, quibus (b) otium optent, laudent, omnibus bonis ſuis præferant. *Ibidem, cap.* 4.

Divus Auguſtus, cui dii plura quam ulli præſtiterunt, non deſiit (c) quietem ſibi precari; vacationem a Repub. petere. Omnis ejus ſermo ad hoc ſemper revolutus eſt, ut ſibi ſperaret otium. Hoc labores ſuos, etiam ſi falſo, dulci tamen oblectabat ſolatio: aliquando ſe victurum ſibi.... Tanta viſa eſt res otium, ut illam quia uſu non poterat, cogitatione præſumeret. Qui omnia videbat ex ſe uno pendentia; qui hominibus gentibuſque fortunam dabat; illum diem (d) lætiſsimus cogitabat, quo magnitudinem ſuam exueret.... Hoc votum erat ejus, qui voti compotes facere poterat. *Ibidem, cap.* 5.

(a) *Tit. Pœnitentia ſera.* (b) *T. Otium.* (c) *T. Quies.* (d) *T. Regum labores.*

Inter omnes convenit, nullam rem bene exerceri poſſe (a) ab homine occupato: non eloquentiam, non liberales diſciplinas; quando diſtrictus animus nihil altius recipit, ſed omnia velut inculcata reſpuit. Nihil minus eſt hominis occupati, quam vivere: nullius rei difficilior eſt ſcientia. *Eod. lib. cap. 6.*

Profeſſores aliarum artium vulgo multique ſunt. Quaſdam vero ex his pueri admodum ita percepiſſe viſi ſunt, ut etiam præcipere poſſent. Vivere tota vita diſcendum eſt: & (b) quod magis fortaſſe miraberis, tota vita diſcendum eſt mori. Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, quum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiaſſent; hoc unum in extremam uſque ætatem egerunt, ut vivere ſcirent. Plures tamen ex his non dum ſe ſcire confeſsi, e vita abierunt, nedum ut iſti ſciant. Magni (mihi crede) & ſupra humanos errores eminentis viri eſt, nihil (c) ex ſuo tempore delibare: & ideo vita ejus longiſsima eſt, cui quantumcumque patuit, totum ipſi vacavit. Nihil inde incultum otioſumque jacuit. Nihil ſub alio fuit. Neque enim quicquam reperit dignum, quod cum tempore ſuo permutaret, cuſtos ejus parciſsimus. Itaque ſatis illi fuit. His vero neceſſe eſt defuiſſe, ex quorum vita multum populus tulit.... Præcipitat quiſque vitam ſuam: & futuri deſiderio laborat, præſentium tædio. At ille qui nullum non tempus in uſus ſuos confert; qui omnes dies tanquam vitam ordinat: nec optat craſtinum, nec timet. *Ibid. cap. 7.*

Non eſt itaque quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixiſſe. Non ille diu vixit, ſed diu fuit. * Quid enim? illum multum putas navigaſſe, quem ſæva tempeſtas a portu exceptum huc & illhuc tulit; ac vicibus ventorum ex diverſo furentium, per eadem ſpatia in orbem egit? Non ille multum navigavit; ſed multum jactatus eſt. Mirari ſoleo, quum video aliquos tempus petere, & eos qui rogantur facillimos. Illud uterque ſpectat, propter quod tempus petitum eſt: ipſum quidem neuter. Quaſi nihil petitur, quaſi nihil datur: re omnium pretioſiſsima luditur.... At eoſdem ægros vide: ſi mortis periculum admo-

(a) *Tit. Occupatio.* (b) *Tit. Mors.* (c) *Tit. Tempus.*

motum eſt propius, medicorum genua tangentes: ſi metuunt capitale ſupplicium, omnia ſua ut vivant, paratos impendere. Tanta in illis diſcordia affectuum eſt. Quod ſi poſſet, quemadmodum præteritorum annorum cujuſque numerus proponi, ſic futurorum: quo modo illi qui paucos viderent ſupereſſe, trepidarent? quo modo illis parcerent? Atqui facile eſt, quamvis exiguum, diſpenſare quod certum eſt. Id debet ſervari diligentius, quod neſcias quando deficiat. Ibit qua cœpit ætas: nec curſum ſuum aut revocabit, aut ſupprimet. Nihil tumultuabitur: nihil admonebit velocitatis ſuæ: tacita labetur. Non illa regitur imperio: non favore populi longius procedet. Sicut juſſa eſt, a primo die curret. Nuſquam divertet: nuſquam remorabitur. Quid fiet? Tu occupatus es: vita feſtinat. Mors interim aderit, cui velis nolis vacandum eſt. *Eodem lib. cap.* 8.

Maxima porro vitæ jactura, dilatio eſt. Illa primum quemque extrahit diem. Illa eripit præſentia, dum ulteriora promittit. Maximum vivendi impedimentum eſt, exſpectatio, quæ pendet ex craſtino. Perdis hodiernum. Quod in manu fortunæ poſitum eſt, diſponis: quod in tua, dimittis. Quo ſpectas? Quo te extendis? Omnia quæ ventura ſunt, in incerto jacent. Protinus vive. Clamat ecce maximus vates, & velut divino ore inſtinctus, ſalutare carmen canit:

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit.

Quid cunctaris? inquit: quid ceſſas? Niſi occupas, fugiet: quum occupaveris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, utendi velocitate certandum eſt. Velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro, cito hauriendum eſt. Hoc quoque pulcherrime ad exprobrandam infinitam cogitationem, quod non optimam quamque ætatem, ſed diem dicit. Quid ſecurus & in tanta temporum fuga lentus, menſes tibi & annos & longam ſeriem (utcumque aviditati tuæ viſum eſt) exporrigis? De die tecum loquitur, & de hoc ipſo fugiente. Non dubium eſt ergo, quin prima quæque optima dies fugiat mortalibus miſeris, id eſt, occupa-

patis : quorum pueriles adhuc animos ſenectus opprimit, ad quam imparati inermeſque veniunt. Nihil enim (a) proviſum eſt : ſubito in illam, nec opinantes inciderunt. Ac* cedere eam quotidie non ſentiebant. Quemadmodum quos aut ſermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, perveniſſe ante ſciunt, quam appropinquaſſe : ita hoc iter vitæ aſsiduum & citatiſsimum, quod dormientes vigilanteſque eodem gradu facimus ; occupatis non apparet niſi in fine. *Ibid. cap. 9.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus ; omnibus vita ſupplicium eſt. In hoc profundum inquietumque projecti mare, alternis æſtibus reciprocum ; & modo allevans nos ſubitis incrementis, modo majoribus damnis deferens, aſsidueque jactans ; nunquam ſtabili conſiſtimus loco. Pendemus, & fluctuamur ; & alter in alterum illidimur : & aliquando naufragium facimus ; ſemper timemus. In hoc tam procelloſo & in omnes tempeſtates expoſito mari navigantibus, nullus portus niſi mortis eſt. *Lib. de Conſol. ad Polyb. cap.* 28.

Nihil de hodierna die promittitur. Nimis magnam advocationem dedi. Nihil de hac hora. Feſtinandum eſt. Inſtat a tergo mors. Jam deficiet te iſte comitatus : jam contubernia iſta ſublato clamore ſolventur. † Rapina rerum omnium eſt (miſeri neſcitis) & fuga vivere. Si mortuum tibi filium doles ; ejus temporis, quo natus eſt, crimen eſt. Mors enim illi naſcenti determinata eſt. † In hanc legem datus eſt. Hoc illum fatum ab utero ſtatim proſecutum eſt. In regnum fortunæ, & quidem durum atque invictum pervenimus, illius arbitrio digna atque indigna paſſuri. Corporibus noſtris impotenter, contumelioſe, crudeliter abutetur. Alios ignibus peruret, vel in pœnam admotis, vel in remedium. Alios nudos mari jactabit, & luctatos cum fluctibus, ne in arenam quidem aut litus explodet ; ſed in alicujus ventrem immenſæ belluæ detrudet. Alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortem-

que

(a) *Tit. Pœnitentia ſera.* † *Alii ſic diſpungunt*: Rapina rerum omnium eſt. Miſeri neſcitis fuga vivere. † *Al.* In hanc legem datus : hoc fatum ab utero ſtatim proſequebatur.

que detinebit. Ut varia, & libidinosa, mancipiorumque suorum negligens domina, & pœnis & muneribus erra-
bit. Quid opus est partes deflere? Tota vita flebilis est. Urgebunt nova incommoda, prius quam veteribus satis fe-
ceris. Moderandum est itaque, vobis maxime qui immo-
derate fertis: & in multis doloribus humanum pectus dis-
pensandum. *Consol. ad Marciam, cap.* 10.

Quæ demum ista tuæ publicæque conditionis oblivio est? Mortalis nata es, mortales peperisti. Putre ipsa flui-
dumque corpus, & casibus morbisque repetita, speresti ex
tam imbecilla materia, solida & æterna gestasse? Decessit filius tuus: id est, decurrit ad hunc finem; ad quem,
quæ feliciora partu tuo putas, properant. Huc omnis ista
quæ in foris litigat, in theatris desidet, in templis pre-
catur turba, dispari gradu vadit. † Et quem diligis, ve-
neraris, & quem despicis, unius exæquat vox Chilonis;
hæc videlicet illis pythicis oraculis adscripta: nosce te ipsum.
Quid (a) est homo? Quodlibet quassum vas, & quodlibet
fragile. Jactatu, non tempestate, ut disiperis, est opus...
Quid est homo? Imbecillum corpus (b) & fragile, nudum,
suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem for-
tunæ contumeliam projectum: quum bene lacertos exer-
cuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima: ex in-
firmis fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus ni-
tidum; frigoris, æstus, & laboris impatiens: ipso rursus
situ & otio iturum in tabem: & semper alimenta metuens
sua; quorum modo inopia laborat, modo copia rumpi-
tur: anxiæ sollicitæque tutelæ, precarii spiritus, & male
hærentis.... Miramur in hoc mortem unius, qua singulis
opus est? Numquid enim ut concidat, res magni molimen-
ti est? Odor illi saporque, & lassitudo & vigilia, & hu-
mor & cibus, & sine quibus vivere non potest, mortife-
ra sunt. Quocumque se movet, infirmitatis suæ statim
conscium, non omne cælum ferens, aquarum novitatibus
fla-

† *Sic ex Pinciano Granatensis. Sunt tamen qui legendum putent*: Et quæ veneraris, & quæ despicis, unus exæquabit cinis. Hoc jubet illa pythicis oraculis adscripta vox, *cet.* (a) *Tit. Cognitio sui. Tit. Homo.* (b) *Tit. Hominis descriptio.*

flatuque non familiaris auræ, & tenuiſsimis cauſis atque offenſionibus morbidum, putre, caſſum, a fletu vitam auſpicatum: quum interim quantos tumultus hoc tam contemtum animal movet? In quantas cogitationes oblitum conditionis ſuæ venit? Immortalia, æterna volutat animo, & in nepotes pronepoteſque diſponit: quum interim longa conantem eum mors opprimit; & hoc quod ſenectus vocatur, pauci ſunt circuitus annorum. *Ibid. cap.* 11.

Plena & infeſta variis caſibus vita eſt: a quibus nulli longa pax; vix induciæ ſunt. *Ead. Conſol. cap.* 16.

Comprehende quantum plurimum procedere homini licet: quantulum eſt ad breviſsimum tempus editis, cito ceſſuris loco?.... De noſtris ætatibus loquor, quas incredibili celeritate convolvi conſtat. Computa urbium ſæcula: videbis quam non diu ſteterint, etiam quæ vetuſtate gloriantur. Omnia humana, brevia & caduca ſunt; infiniti tem-
* poris nullam partem occupantia. Terram hanc cum populis urbibuſque, & fluminibus & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad univerſa referentes. Minorem portionem habet ætas noſtra quam punctum, ſi tempori comparetur omni, cujus major eſt menſura quam mundi: utpote quum ille ſemper hujus ſpatium toties remetiatur. Quid ergo intereſt id extendere, cujus quantumcumque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo? † Immo multum eſt quod vivimus, ſi ſatis eſt. Licet .... novies denos, centenoſque percenſeas annos: quum ad omne tempus dimiſeris animum, nulla erit illa longiſsimi breviſsimique ævi differentia, ſi inſpecto quanto quis vixerit ſpatio, comparaveris quanto non vixerit.... In hoc omnes errore verſamur, ut non putemus ad mortem niſi ſenes inclinatoſque jam vergere: quum illo infantia ſtatim, & juventa, omniſque ætas ferat. † Urgent opus ſuum fata, & nobis ſenſum noſtræ necis auferunt: quoque facilius obrepat mors, ſub ipſo vitæ nomine latet. Infantiam in ſe pueritia convertit; pueritiam pubertas: juventutem ſenectus abſtulit. Incrementa ipſa, ſi bene computes, damna ſunt. *Lib. de Conſol. ad Marc. cap.* 20.

Ni-

† *Al.* Uno modo multum eſt, *cet.* † *Al.* Agunt.

Nihil eſt tam fallax quam vita humana: nihil tam inſidioſum. Non mehercule quiſquam eam accepiſſet, niſi daretur inſciis. Itaque feliciſsimum eſt non naſci: proximum puto, brevitate vitæ defunctos, cito in integrum reſtitui. *Ibidem, cap.* 22.

Quid tu (Marcia) quum videres ſenilem in juvene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, divitias ſine avaritia, honores ſine ambitione, voluptates ſine luxuria appetentem; diu tibi putabas illum ſoſpitem poſſe contingere? Quicquid ad ſummum pervenit, ad exitum properat. Eripit ſe, aufertque ex oculis perfecta virtus. Nec ultimum tempus exſpectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur. Vivacior eſt, qui cum lenta difficilique materia commiſſus, fumoque demerſus, ex ſordido lucet. Eadem enim detinet cauſa, quæ maligne alit. Sic ingenia quo illuſtriora, breviora ſunt. Nam ubi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. Fabianus ait, quod noſtri quoque parentes viderunt, puerum Romæ fuiſſe, ſtatura ingentis viri: ſed hic cito deceſsit; & morituram brevi nemo non prudens dixit. Non poterat enim ad illam ætatem pervenire, quam præceperat. Ita eſt. Indicium eſt imminentis exitii, maturitas: & appetit finis, ubi incrementa conſumta ſunt. *Ibidem, cap.* 23.

Multos inveni æquos adverſus homines: adverſus deos neminem. Objurgamus quotidie fatum. Quare ille medio curſu raptus eſt? Quare ille non rapitur? Quare ſenectutem & ſibi & aliis gravem extendit? Utrum (obſecro te) æquius judicas, te naturæ; an tibi parere naturam? Quid autem intereſt, quam cito exeas, unde utique exeundum eſt? Non ut diu vivamus, curandum eſt; ſed ut ſatis. Nam ut diu vivas, fato opus eſt: ut ſatis, animo. Longa eſt vita, ſi plena eſt. Impletur autem, quum animus ſibi bonum ſuum reddidit, & ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit. Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? Non vixit iſte; ſed in vita moratus eſt: nec ſero mortuus eſt, ſed diu. Octoginta annis vixit. Intereſt, mortem ejus ex quo die numeres. At ille obiit viridis:

ſed

ſed officia boni civis, boni amici, boni filii exſecutus eſt. In nulla parte ceſſavit. Licet ejus ætas imperfecta ſit; vita perfecta eſt. Octoginta annis vixit. Immo octoginta annis fuit: niſi forte ſic vixiſſe eum dicis, quo modo dicuntur arbores vivere. Obſecro te (mi Lucili) hoc agamus: ut quemadmodum pretioſa rerum; ſic vita noſtra non pateat multum, ſed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. Vis ſcire quid interhunc interſit vegetum contemtoremque fortunæ, functum omnibus vitæ humanæ ſtipendiis, atque in ſummum bonum ejus evectum; & illum, cui multi anni tranſmiſi ſunt? Alter poſt mortem quoque eſt: alter ante mortem periit. Laudemus itaque & in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcumque temporis contigit, bene collocatum eſt. Vidit enim veram lucem: non fuit unus e multis: & vixit, & viguit.... Nec ideo plures mihi annos accedere recuſaverim: nihil tamen ad beatam vitam defuiſſe dicam, ſi ſpatium ejus inciditur. Non enim ad eum diem me aptavi, quem ultimum mihi ſpes avida promiſerat: ſed nullum non tanquam ultimum aſpexi.... Quem-
* admodum in minori corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus: ſic & in minore temporis modo poteſt eſſe vita perfecta. Ætas inter externa eſt. Quam diu ſim, alienum eſt: quam diu vero vir bonus ſim, meum eſt.... Quæris quod ſit ampliſsimum vitæ ſpatium? Uſque ad ſapientiam vivere. Qui ad illam pervenit, attigit non longiſsimum finem, ſed maximum. *Epiſt.* 93.

Quotidie eſt deterior, poſterior dies. *Ex Pub. Mim.*

Heu quam multa pœnitenda incurrunt, vivendo diu! *Ex eodem.*

Male vivunt, qui ſe ſemper victuros putant. *Ex eodem.*

Neſcis quid optes, aut quid fugias: ita ludit dies. *Ex eodem.*

O vita miſero longa, felici brevis! *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam Tit. ſeq.* Mors.

Mors.

QUis ſine querela moritur? Quis extremo die dicere audet:

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi?

Quis non recuſans? quis non gemens exit? Atqui hoc ingrati eſt, non eſſe contentum præfato tempore. Semper pauci dies erunt.... Quantumcumque eſt, boni conſule. Ut prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam morâ non fit beatior vita, ſed longior. Quanto ſatius eſt, gratum adverſus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, ſed ſuos benigne æſtimare, & in lucro ponere? Hoc me dignum judicavit Deus. Hoc ſatis eſt. Potuit plus: ſed hoc quoque beneficium eſt. *Lib.* 5. *de Benef. cap.* 17.

In hoc enim fallimur † quod mortem procul eſſe conjicimus. Magna pars ejus jam præteriit. Quicquid ætatis retro eſt, mors tenet. Dum differtur vita, tranſcurrit. *Epiſt.* 1.

Quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque quum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: uſque ad heſternum, quicquid tranſiit temporis, periit. Hunc ipſum quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit; ſed quicquid ante defluxit: ſic ultima hora qua eſſe deſinimus, non ſola mortem facit; ſed ſola conſummat. Tunc ad illam pervenimus; ſed diu venimus. *Epiſt.* 24. *

Incertum eſt quo loco te mors exſpectet. Itaque tu illam omni loco exſpecta. *Epiſt.* 26.

Ante ſenectutem curavi, ut bene viverem: in ſenectute, ut bene moriar. Bene autem mori, eſt libenter mori.... Ut ſatis vixerimus, nec anni nec dies faciunt; ſed animus. *Epiſt.* 61.

Citius mori vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet. Bene autem mori, eſt effugere male vivendi periculum. *Epiſt.* 70.

Ne-

† *Al.* Quod mortem proſpicimus.

Nemo noſtrum cogitat, quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres inquilinos indulgentia loci & conſuetudo, etiam inter injurias detinet. Vis adverſus hoc corpus liber eſſe? Tanquam migraturus habita: propone tibi, quandoque hoc contubernio carendum. Fortior eris ad neceſsitatem exeundi. Sed quemadmodum ſuus finis veniet in mentem, omnia ſine fine concupiſcentibus? Nullius rei meditatio tam neceſſaria eſt. Alia enim exercentur fortaſſe in ſupervacuum. Adverſus paupertatem præparatus eſt animus? permanſere divitiæ. Ad contemtum nos doloris armavimus? nunquam a nobis exegit hujus virtutis experimentum integri ac ſani felicitas corporis. Ut fortiter amiſſorum deſideria pateremur, præcepimus nobis? omnes quos amabamus, ſuperſtites fortuna ſervavit? Hujus unius rei uſum qui exigat dies, veniet. *Ead. Epiſt.* 70.

Non eſt res magna, vivere. Omnes ſervi tui vivunt: omnia animalia. Magnum eſt honeſte mori, prudenter, fortiter.... Nonne tibi videbitur ſtultiſsimus omnium, qui fleverit quod ante annos mille non vixerat? Æque ſtultus eſt, qui flet quod poſt annos mille non vivet. Hæc paria ſunt: non eris, nec fuiſti. Utrumque tempus alienum eſt. In hoc punctum conjectus es: quod ut extendas, quouſque extendes?... Eo ibis, quo omnia eunt. Quid tibi novum eſt? Ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Series invicta, & nulla mutabilis ope, illigat ac trahit cuncta. Quantus te populus moriturorum ſequetur, quantus comitabitur? Fortior (ut opinor) eſſes, ſi multa millia tibi commorerentur. Atqui multa millia hominum & animalium, hoc ipſo momento quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. Tu autem non putabas te aliquando perventurum ad id, ad quod ſemper ibas? Nullum ſine exitu iter eſt. *Epiſt.* 77.

Mors inter illa eſt, quæ mala quidem non ſunt; tamen habent mali ſpeciem. Sui amor eſt, & permanendi conſervandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis: quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac cui aſſuevimus, rerum copia educere. Illa quoque

res

res morti nos alienat, quod hæc jam novimus: illa ad quæ tranſituri ſumus, neſcimus qualia ſint; & horremus ignota. Naturalis præterea tenebrarum metus eſt, in quas adductura mors creditur. *Epiſt.* 82.

Æquat omnes cinis. Impares naſcimur: pares morimur. Idem de urbibus, quod de urbium incolis dico. Tam Ardea capta, quam Roma eſt. Conditor ille juris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate diſtinxit, niſi dum ſumus. Ubi vero ad finem mortalium ventum eſt; diſcede (inquit) ambitio: omnium, quæ terram premunt, † ſeries una eſt. Ad omnia patienda pares ſumus. Nemo altero fragilior eſt: nemo in craſtinum ſui certior. Alexander Macedonum rex, diſcere Geometriam infelix cœperat; ſciturus quam puſilla terra eſſet, ex qua minimum occupaverat. Ita dico infelix; ob hoc quod intelligere debebat, falſum ſe gerere cognomen. Quis enim eſſe magnus in puſillo poteſt? *Epiſt.* 91.

Non videmus quam multa nos incommoda exagitant? quam male nobis conveniat hoc corpus? Nunc de ventre, nunc de capite, nunc de pectore ac faucibus querimur. Alias nervi nos, alias pedes vexant: nunc dejectio, nunc diſtillatio. Aliquando ſupereſt ſanguis, aliquando deeſt. Hinc atque illhinc tentamur, & expellimur. Hoc evenire ſolet in * alieno habitantibus. At nos corpus tam putre ſortiti, nihilo minus æterna proponimus: & in quantum poteſt ætas humana protendi, tantum ſpe occupamus, nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri impudentius, quid ſtultius poteſt? Nihil ſatis eſt morituris: immo morientibus. Quotidie enim propius ab ultimo ſtamus: & illo unde nobis cadendum eſt, hora nos omnis impellit. Vide in quanta cæcitate mens noſtra ſit. Hoc quod futurum dico, quum maxime fit, & pars ejus magna jam facta eſt. Nam quod viximus tempus, eo loco eſt, quo erat antequam viximus. Erramus autem qui ultimum timemus diem: quum tantundem in mortem ſinguli conferant. Non ille gradus laſsitudinem facit, in quo deficimus; ſed ille profitetur.

† *Al.* Siremps lex eſt eſto. *Id eſt*: Similis lex omnibus poſita eſto. *Vetus verbum in leg. & ſen. conſultis uſitatum, inquit Cujacius.*

Ad mortem dies extremus pervenit; accedit omnis. Carpit nos illa; non corripit. Ideo magnus animus, conſcius ſibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac ſtatione qua poſitus eſt, honeſte ſe atque induſtrie gerat. Ceterum nihil horum quæ circa ipſum ſunt, ſuum judicat: ſed ut commodatis utitur peregrinus & properans. *Epiſt.* 120.

Minimum eſt de quo ſollicitiſsime agitur. Quid autem ad rem pertinet quam diu vites, quod evitare non poſsis? *Epiſt.* 93. *in fine.*

Exceſsit filius tuus terminos, intra quos ſerviit. Excepit illum magna & æterna pax. Non paupertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis ſtimulis inceſsitur. Non invidia felicitatis alienæ tangitur, nec ſuæ premitur, nec convitiis quidem ullis verecundæ aures verberantur. Nulla publica clades conſpicitur, nulla privata. Non ſollicitus futuri pendet ex eventu, ſemper in deteriora dependenti. Tandem ibi conſtitit, unde nihil eum depellat; ubi nihil terreat. *Conſol. ad Marciam, cap.* 19.

O ignaros malorum ſuorum, quibus non mors ut optimum inventum naturæ laudatur! quæ ſive felicitatem includit; ſive calamitatem expellit; ſive ſatietatem aut laſſitudinem ſenis terminat; ſive juvenile ævum, dum meliora ſperantur, in flore deducit; ſive pueritiam ante duriores gradus revocat: omnibus finis, multis remedium, quibuſdam votum, de nullis melius merita quam de his, ad quos venit ante quam invocaretur. Hæc ſervitutem invito domino remittit. Hæc captivorum catenas levat. Hæc e carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Hæc exſulibus in patriam ſemper animum oculoſque tendentibus oſtendit, nihil intereſſe, in qua terra quis jaceat. Hæc, ubi res communes fortuna male diviſit, & æquo jure genitos alium alii donavit; exæquat omnia. Hæc eſt, quæ nihil quicquam alieno fecit arbitrio. Hæc eſt in qua nemo humilitatem ſenſit. Hæc eſt, quæ nulli paruit. *Ibid. cap.* 20.

Cogita quantum boni opportuna mors habeat: quam multis diutius vixiſſe nocuerit. Si Cn. Pompejum, decus iſtius fir-

firmamentumque imperii, Neapoli † fortuna abſtuliſſet; indubitatus populi Romani princeps exceſſerat. At nunc exigui temporis adjectio, faſtigio illum ſuo depulit. Vidit legiones in conſpectu ſuo cæſas.... Vidit Ægyptium carnificem: & ſacroſanctum victoribus caput ſatelliti præſtitit; etiam ſi incolumis fuiſſet, pœnitentiam ſalutis acturus. Quid enim erat turpius, quam Pompejum vivere beneficio regis? M. Cicero, ſi eo tempore quo Catilinæ ſicas devitavit (quibus pariter cum patria petitus eſt) concidiſſet, liberata Repub. conſervator ejus; ſi denique filiæ ſuæ funus ſecutus fuiſſet: tunc felix mori potuit. Non vidiſſet ſtrictos in civilia capita mucrones; nec diviſa percuſſoribus occiſorum bona, ut etiam de ſuo perirent; non haſtam conſularia ſpolia vendentem, nec cædes, nec locata publice latrocinia, bella, rapinas trium Catilinarum. *Eod. cap.* 20.

Lex univerſi eſt, quæ jubet naſci & mori. *Ex Pub. Mim.*

Mori eſt felicis, antequam mortem invocet. *Ex eodem.*

Omnis dies velut ultimus ordinandus eſt. *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam Tit. huic contrarium*, Vita.

Tempus.

TUrpiſsima eſt jactura, quæ per negligentiam venit: & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota nihil agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? *Epiſt.* 1.

Omnia (mi Lucili) aliena ſunt: tempus tantum noſtrum eſt. *Ibidem.*

Sera parſimonia in fundo eſt. Non enim tantum minimum in imo; ſed peſsimum remanet. *Ibidem.*

Diſcipulus eſt prioris, poſterior dies. *Ex Pub. Mim.*

¶ *Vide etiam hac de re Tit.* Vita.

† *Al.* Valetudo.

Felicitas vera & falſa.

NIhil firmi habet, qui in incerta propenſus eſt. Magnis itaque curis exemtus & diſtorquentibus mentem, nihil ſperat aut cupit *ſapiens*, nec ſe mittit in dubium, ſuo contentus. Nec illum exiſtimes parvo eſſe contentum: omnia illius ſunt. Non ſic (a) quemadmodum Alexandri fuerunt: cui, quamquam in litore maris rubri ſteterat, plus deerat quam qua venerat. Illius ne ea quidem erant, quæ tenebat aut vicerat: quum in Oceano Oneſicritus præfectus claſsibus præmiſſus explorator erraret, & bella in ignoto mari quæreret? Non ſatis apparebat inopem eſſe, qui extra naturæ terminos arma proferret? qui ſe in profundum, inexploratum, & immenſum aviditate cæca prorſus immitteret? Quid intereſt quot eripuerit regna; quot dederit; quantum terrarum tributo premat? Tantum illi deeſt, quantum cupit. *Lib.* 7. *de Benef. cap.* 2.

Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculiſque veſtigia felix temeritas egit; ſed omnium quos fortuna irritavit implendo. Cyrum & Cambyſen, & totum regni Perſici ſtemma percenſe. Quem invenies, cui modum imperii ſatietas fecerit? qui non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum eſt. Quicquid cupiditati contigit, penitus hauritur, & conditur. Nec intereſt quantum in id quod inexplebile eſt, congeras. Unus eſt ſapiens, cujus omnia ſunt, nec ex difficili tuenda. Non habet mittendos trans maria legatos; nec metanda in ripis hoſtilibus caſtra; non opportunis caſtellis diſponenda præſidia: non opus eſt legione, nec equeſtribus turmis. Quemadmodum dii immortales regnum inermes regunt, & illis rerum ſuarum ex edito tranquilloque tutela eſt: ita hic officia ſua, quamvis latiſsime pateant, ſine tumultu obit. Et omne humanum genus, potentiſsimus ejus optimuſque infra ſe videt. Derideas licet: ingentis ſpiritus res eſt quum orientem occidentemque luſtraveris animo, quo etiam remota & ſolitudinibus in-

(a) *Tit. Cupiditas. Tit. Avaritia. Tit. Ambitio.*

intercluſa penetrantur; quum tot animalia, tantam copiam rerum quas natura beatiſsime fundit, aſpexeris; emittere hanc Dei vocem: hæc omnia mea ſunt. Sic fit, ut nihil cupiat: quia nihil eſt extra omnia. *Ibid. cap.* 3.

Se contentus eſt ſapiens. Hoc, mi Lucili, perperam plerique interpretantur. Sapientem undique ſubmovent, & intra cutem ſuam cogunt. Diſtinguendum eſt autem, quid & quatenus vox iſta promittat. Se contentus eſt ſapiens ad beate vivendum; non ad vivendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus eſt: ad illud tantum animo ſano, & erecto, & deſpiciente fortunam.... Summum bonum extrinſecus inſtrumenta non quærit: domi colitur: ex ſe totum eſt. Incipit fortunæ eſſe ſubjectum, ſi quam partem ſui foris quærit. *Epiſt.* 9.

Huc ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus; ut contentus ſis te met ipſo, & ex te naſcentibus bonis. Quæ poteſt eſſe felicitas Deo propior? Redige te ad parva, ex quibus cadere non poſsis. *Epiſt.* 20.

Panem & aquam natura deſiderat. Nemo (a) ad hæc pauper eſt: intra quæ quiſquis deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo Jove de felicitate contendat. *Epiſt.* 25.

Si vis eſſe felix, deos ora, ne quid tibi ex his quæ optantur eveniat. *Epiſt.* 31.

Quid eſt ergo in quo erratur? Quum omnes beatam vitam optent, quod inſtrumenta ejus pro ipſa habent; & illam dum petunt, fugiunt. Nam quum ſumma beatæ vitæ ſit ſolida tranquillitas, & ejus inconcuſſa fiducia; ſollicitudinis colligunt cauſas, & per inſidioſum iter vitæ non tantum ferunt ſarcinas, ſed trahunt. *Epiſt.* 44.

Si vis utique verborum ambiguitates diducere, hoc nos doce; beatum eum non eſſe, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: ſed illum cui bonum omne in animo eſt, erectum & excelſum, & mirabilia calcantem. Qui neminem videt cum quo ſe commutatum vellet: qui hominem ea ſola parte æſtimat, qua homo eſt: qui naturâ magiſtrâ utitur; ad illius leges componitur; ſic vi-

(a) *Tit. Paupertas.*

vivit, quo modo illa præſcripſit: cui bona ſua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit; certus judicii, inconcuſſus, intrepidus: quem aliqua vis movet; nulla perturbat: quem fortuna, quum in eum, quod habuit telum nocentiſsimum vi maxima intorſit pungit; non vulnerat: & hoc raro. *Epiſt.* 45.

Sapiens (a) ille eſt, qui plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcuſſus cum diis ex pari vivit. Hoc ergo cogita, hunc eſſe ſapientiæ effectum, hanc gaudii qualitatem. Talis eſt ſapientis animus, (b) qualis mundi ſtatus ſuper lunam. Semper illhic ſerenum eſt. *Epiſt.* 59.

Apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud beatumque componitur: ut corpus ſine dolore ſit; animus ſine perturbatione. *Epiſt.* 66.

Xenocrates & Speuſippus putant, beatum vel ſola virtute fieri poſſe: non tamen unum bonum eſſe, quod honeſtum eſt. Epicurus quoque judicat eum qui virtutem habeat, beatum eſſe; ſed ipſam virtutem non ſatis eſſe ad beatam vitam: quia beatum efficiat voluptas, quæ ex virtute eſt; non ipſa virtus. Inepta diſtinctio. Idem enim negat unquam virtutem eſſe ſine voluptate. Ita, ſi ei juncta ſemper eſt, atque inſeparabilis; & ſola ſatis eſt. *Epiſt.* 85.

Quis ſit ſummi boni locus, quæris? Animus: hic niſi purus ac ſanctus eſt, Deum non capit. *Epiſt.* 87.

Puto inter me teque convenit, externa corpori acquiri; corpus in honorem animi coli: in animo eſſe partes mixtas, per quas movemur alimurque, propter ipſum principale nobis datas. In hoc principali eſt aliquid irrationale; eſt & rationale. Illud huic ſervit. Hoc unum eſt, quod alio non refertur; ſed omnia ad ſe perfert. Nam illa quoque divina ratio omnibus præpoſita eſt: ipſa ſub nullo eſt. Et hæc autem noſtra eadem eſt: quia ex illa eſt. Si de hoc inter nos convenit, ſequitur ut de illo quoque conveniat; in hoc uno poſitam eſſe beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta ſit... Quid eſt beata vita? Securitas & perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitu-

(a) *Tit. Sapiens.* (b) *Tit. Tranquillitas.*

tudo, dabit conſtantia bene judicati tenax. Ad hoc quo modo pervenitur? Si veritas tota perſpecta eſt: ſi ſervatus eſt in rebus gerendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas; aut benigna, intenta rationi, nec unquam ab iſta recedens, amabilis ſimul mirabiliſque. Denique ut breviter tibi formulam ſcribam: talis animus ſapientis eſſe viri debet, qualis Deum deceat. Quid poteſt deſiderare is, cui omnia honeſta contingant? Nam ſi poſſunt aliqui non honeſta conferre ad optimum ſtatum; in iis erit beata vita, ſine quibus non eſt. Et quid ſtultius, turpiuſve, quam bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere? Quidam tamen augeri ſummum bonum judicant, quia parum plenum ſit, fortuitis repugnantibus. Antipater quoque inter magnos ſectæ hujus auctores, aliquid ſe tribuere dicit externis; ſed exiguum admodum. Vides autem quale ſit: ſole te non eſſe contentum, niſi aliquis igni- * culus alluxerit. Quod poteſt in hac claritate ſolis habere ſcintilla momentum? Si non es ſola honeſtate contentus, neceſſe eſt aut quietem adjici velis.... aut voluptatem. Horum alterum utcumque recipi poteſt. Vacat enim animus moleſtia, liber ad conſpectum univerſi; nihilque illum avocat a contemplatione naturæ. Alterum illud (a) voluptas, bonum pecoris eſt. Adjicimus rationali irrationale; honeſto inhoneſtum.... Quid ergo dubitatis dicere, bene eſſe homini, ſi palato bene eſt? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cujus ſummum bonum ſaporibus, ac coloribus, ac ſonis conſtat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac diis ſecundo: mutis aggregetur animal † pabulo lætum. Irrationalis pars animi duas habet partes: alteram animoſam, ambitioſam, impotentem, poſitam in affectionibus: alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam. Illam effrenatam, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro, reliquerunt. Hanc neceſſariam beatæ vitæ putaverunt, enervem & abjectam. Huic rationem ſervire juſſerunt; & fecerunt animalis generoſiſsimi bonum, demiſſum & ignobile. Præterea mixtum, portentoſumque, & ex diverſis

(a) *Tit. Voluptas.* † *Al.* Pabulo natum.

animalium congruentibus membris. Nam ut ait Virgilius noſter in Scylla:

Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Huic tamen Scyllæ fera animalia juncta ſunt, horrenda, velocia. At iſti ſapientiam ex quibuſnam compoſuere portentis? Prima hominis pars, eſt ipſa virtus. Huic committitur futilis caro & fluida, & receptandis tantum cibis habilis, ut ait Poſidonius. Virtus illa divina in lubricum deſinit: & ſuperioribus ejus partibus venerandis, atque cæleſtibus animal iners atque marcidum attexitur. *Epiſt.* 92.

Quid ergo? inquit: ſapiens non eſt beatior qui diutius vixerit; quem nullus avocavit dolor, quam ille qui cum malâ fortunâ ſæpe luctatus eſt? Reſponde mihi. Num quid & melior eſt & honeſtior? Si hæc non ſunt, nec beatior quidem eſt. Rectius vivat oportet, ut beatius vivat: ſi rectius non poteſt, ne beatius quidem.... Quid porro? non æque incredibile videtur aliquem in ſummis cruciatibus poſitum dicere: beatus ſum? Atqui hæc vox in ipſa officina voluptatis eſt audita. Beatiſsimum, inquit, hunc & ultimum diem ago, Epicurus; quum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc inſanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia ſunt iſta apud eos, qui virtutem colunt; quum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperat? *Ead. Epiſt.* 92.

Sed ſi cui virtus animuſque in corpore præſens;

hic deos æquat: illo tendit originis ſui memor. Nemo improbe eo conatur aſcendere, unde deſcenderat. Quid eſt autem, (a) cur non exiſtimes in eo divini aliquid exſiſtere, qui Dei pars eſt? Totum hoc quo continemur, & unum eſt, & Deus: & ſocii ejus ſumus, & membra. Capax eſt noſter animus: perfertur illo, ſi vitia non deprimant. Quemadmodum corporum noſtrorum habitus erigitur, & ſpectat in cælum: ita animus, cui in quantum vult licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus eſt; ut paria diis velit, & ſe in ſpatium ſuum extendat. Nam ſi aliena vi ad ſum-

(a) *Tit. Anima.*

ſumma niteretur, magnus erat labor ire in cælum. † Redit: quum hoc iter, ad quod natus eſt, vadit audacter, & contemtor omnium; nec ad pecuniam reſpicit. Aurum argentumque (illis in quibus jacuere tenebris digniſsima) non hoc æſtimat ſplendore, quo imperitorum verberant oculos, & averterunt a cælo, ex quo illa ſecrevit cupiditas noſtra, & effodit. Scit, inquam, alibi poſitas eſſe divitias, quam quo congeruntur: animum impleri debere, non arcam. Hunc imponere dominio omnium rerum licet. Hunc in poſſeſsionem rerum naturæ inducere, ut ſua orientis occidentiſque terminus fiat, deorumque ritu cuncta poſsideat: quum opibus ſuis divites ſuperne deſpiciat; quorum nemo tam lætus eſt ſuo, quam triſtis alieno. Quum ſe in ſublimitatem tulit; corporis quoque velut oneris neceſſarii non amator, ſed procurator eſt: nec ſe illi, cui impoſitus eſt, ſubjicit. Nemo liber eſt (a) qui corpori ſervit. Nam ut alios dominos, quos nimia pro illo ſollicitudo invenit, tranſeas; ipſius moroſum imperium, delicatumque eſt. Ab hoc, modo æquo animo exit; modo magno proſilit: nec quis deinde reliquiis ejus futurus ſit exitus, quærit. Sed ut ex barba capillos detonſos negligimus: ita ille divinus animus egreſſurus hominem; quo receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat; non magis ad ſe judicat pertinere, quam ſecundas ad editum infantem. *Ibidem.*

Neceſſarium eſt admoneri, & habere aliquem advocatum bonæ mentis: eque tanto fremitu tumultuque falſorum, veram denique audire vocem. Quæ erit illa vox? Ea ſcilicet, quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exſurdato, ſalubria inſuſurret verba. Quæ dicat: non eſt quod invideas iſtis, quos magnos (b) feliceſque populus vocat. Non eſt quod tibi compoſitæ mentis habitum & ſanitatem plauſus excutiat. Non eſt quod tibi tranquillitatis tuæ faſtidium faciat ille, ſub illis faſcibus, purpura cultus. Non eſt quod feliciorem eum judices, cui ſubmovetur, quam quem lictor ſemitâ dejicit. Si vis exercere tibi utile, nulli

† *Al.* Redit. Quum hoc iter nactus eſt, vadit audacter. (a) *Tit. Libertas.* (b) *Tit. Felicitas falſa.*

li autem grave imperium, ſubmove vitia. *Epiſt.* 94.

Magnæ divitiæ (a) ſunt, lege naturæ compoſita paupertas.... Res inquieta *opulentorum* felicitas eſt: ipſa ſe exagitat, movet cerebrum, † non uno modo gravis. † Alios in alio irritat, alios impotentia: illos inflamat, alios mollit.... Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt: † hic enim gravis & ſub purpura lucet: non palam triſtitia eſt: eo quidem gravior, quod non licet interdum palam eſſe miſeros; ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes neceſſe eſt agere felicem. *Lib. de Paupertate, ſive in Excerptis prior.*

Felix eſt, non qui aliis videtur eſſe, ſed qui ſibi. † Vide autem quam domi ſit iſta felicitas rara. *In Excerpt. poſter.*

Vivere, Gallio frater, omnes beate volunt: ſed ad pervidendum quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeoque non eſt facile conſequi beatam vitam, ut ab ea quiſque eo longius recedat, quo ad illam citatius fertur, ſi via lapſus eſt: quæ ubi in contrarium ducit, ipſa velocitas majoris intervalli cauſa fit. Proponendum eſt itaque primum, quid ſit quod appetamus. Tunc circumſpiciendum eſt, qua contendere illo celerrime poſsimus.... Quam diu quidem paſsim vagamur, non ducem ſecuti, ſed fremitum & clamorem diſſonum in diverſa vocantium; conteritur vita inter errores, brevis, etiam ſi dies noctesque bonæ menti laboremus. Decernatur itaque & quo tendamus, & qua: non ſine pretio aliquo, cui explorata ſint ea, in quæ procedimus. Quoniam quidem non eadem hic, quæ in ceteris peregrinationibus conditio eſt. In illis comprehenſus aliquis limes, & interrogati incolæ, non patiuntur errare. At hic triſtiſsima quæque via, & celeberrima, maxime decipit. *Lib. de Vit. beat. cap.* 1.

Vides tu iſtos (b) qui eloquentiam laudant? qui opes ſequuntur? qui gratiæ adulantur? qui potentiam extollunt? Omnes aut ſunt hoſtes, aut (quod in æquo eſt) eſſe poſſunt. Quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus eſt. *Ibid. cap.* 2.

Quin

(a) *Tit. Sup.* † *Al.* Non in uno genere. † *Al.* Alios in cultum irritat, alios in potentiam; alios inflat, *cet.* † *Al.* Huic gravis & ſuprema ſuperbia, licet non palam, triſtitia eſt. † *Sequentia in quibuſdam tantum editis exemplaribus habentur.* (b) *Tit. Felicitas falſa.*

Quin potius quæro aliquid uſu bonum, quod ſentiam; non quod oſtendam. Iſta quæ ſpectantur; ad quæ conſiſtitur; quæ alter alteri ſtupens monſtrat: foris nitent; introrſus miſera ſunt. Quæramus aliquid non in ſpeciem bonum: ſed in ſolidum, & æquabile, & a ſecretiore parte formoſius. Hoc eruamus. Nec longe poſitum eſt: invenietur... Interim quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ aſſentior. Ab illa non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, ſapientia eſt. Beata eſt ergo vita, conveniens naturæ ſuæ: quæ non aliter contingere poteſt, quam ſi primum ſana mens eſt, & in perpetua poſſeſsione ſanitatis ſuæ. *Eod. lib. cap.* 3.

Poteſt aliter quoque definiri bonum noſtrum, id eſt, eadem ſententia, non iiſdem comprehendi verbis.... Libet & ita definire, ut beatum dicamus hominem illum, cui nullum bonum malumque ſit, niſi bonus maluſque animus: honeſti cultor, virtute contentus, quem non extollunt fortuita, nec frangunt: qui nullum majus bonum eo, quod ſibi ipſe dare poteſt, noverit: cui vera voluptas erit, voluptatum contemtio. Licet, ſi evagari velis, idem in aliam faciem, ſalva & integra poteſtate, transferre. Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere, liberum animum & erectum, & interritum ac ſtabilem, extra metum, extra cupiditatem poſitum; cui unum bonum honeſtas, unum malum turpitudo? Cetera vilis turba rerum, nec detrahens quicquam beatæ vitæ, nec adjiciens, ſine auctu ac detrimento ſummi boni veniens, ac recedens. Hunc ita fundatum neceſſe eſt, velit nolit, ſequatur hilaritas continua, & lætitia alta atque ex alto veniens, ut quæ ſuis gaudeat, nec majora domeſticis cupiat. Quidni iſta penſet bene cum minutis & frivolis, & non perſeverantibus corpuſculi motibus? Quo die infra voluptatem fuerit, & infra dolorem erit. *Ibid. cap.* 4.

Vides autem, quam malam & noxiam ſervitutem ſerviturus ſit, quem voluptates doloreſque, incertiſsima dominia impotentiſsimaque, alternis poſsidebunt? Ergo exeundum ad libertatem eſt. Hanc non alia res tribuit, quam fortunæ negligentia. Tunc illud orietur inæſtimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ, & ſublimitas: expulſiſque

que † terroribus, ex cognitione veri, gaudium grande & immotum; comitaſque & diffuſio animi: quibus delectabitur, non ut bonis; ſed ut ex bono ſuo ortis. Quoniam liberaliter agere cœpi, poteſt beatus dici, qui nec cupit nec timet, beneficio rationis. Quoniam & ſaxa timore & triſtitia carent; nec minus pecudes: non ideo tamen quiſque felicia dixerit, quibus non eſt felicitatis intellectus. Eodem loco pone homines, quos in numerum pecorum & animalium redegit hebes natura, & ignoratio ſui. Nihil intereſt inter hos & illa: quoniam illis nulla ratio eſt; his parva, & malo ſuo atque in perverſum ſollers. Beatus enim nemo dici poteſt, extra veritatem projectus. Beata ergo vita eſt in recto certoque judicio ſtabilita, & immutabilis. *Ibid. cap.* 5.

Beatus eſt ergo judicii rectus. Beatus eſt (a) præſentibus (qualiacumque ſunt) contentus; amicuſque rebus ſuis. *Eod. lib. cap.* 6.

Audacter licet profitearis, ſummum bonum eſſe animi concordiam. Virtutes enim ibi eſſe debebunt, ubi conſenſus ac unitas erit: diſſident vitia. Sed tu quoque, inquit, virtutem non ob aliud colis, quam quia aliquam ex illa ſperas voluptatem. Primum, non ſi voluptatem præſtatura virtus eſt, ideo propter hanc petitur. (b) Non enim hanc præſtat; ſed & hanc. Nec huic laborat: ſed labor ejus quamvis aliud petat, hoc quoque aſſequetur. Sicut in arvo quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur; * non tamen huic herbulæ, quamvis delectet oculos, tantum operis inſumtum eſt: (aliud fuit ſerenti propoſitum: hoc ſupervenit:) ſic voluptas non eſt merces, nec cauſa virtutis; ſed acceſsio. Nec quia delectat, placet: ſed quia placet, delectat. Summum bonum in ipſo judicio eſt, & habitu optimæ mentis: quæ † quum implevit, & finibus ſe ſuis cinxit, conſummatum eſt ſummum bonum, nec quicquam amplius deſiderat. Nihil enim extra totum eſt, non magis quam ultra finem. Itaque erras, quum inter-

ro-

† *Al.* Doloribus. *Fortaſſe legendum*: erroribus. (a) *Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia: hoc eſt, animus ſua ſorte contentus. Ad Timoth.* 1. *cap.* 6. *v.* 6. (b) *Tit. Virtus.* † *Al.* Quum ſuum implevit. *Al.* Quum ſinum implevit. *Al.* Quum ſuum habitum implevit.

rogas, quid ſit illud propter quod virtutem petam. Quæris enim aliquid † ſupra ſummum bonum, interrogans, quid petam extra virtutem ipſam. Nihil enim eſt melius: ipſa pretium ſui eſt. An hoc parum magnum eſt? Quum tibi dicam, ſummum bonum eſt, infragilis animi rigor & providentia, ſanitas & libertas, concordia & decor: aliquid etiam num exigis majus, ad quod iſta referantur? Quid (a) mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris; qui pecudibus ac belluis laxior eſt. *Lib. de Vita beata, cap. 9.*

Tu voluptatem complecteris: ego compeſco. Tu voluptate frueris: ego utor. Tu illam ſummum bonum putas: ego nec bonum. Tu omnia voluptatis cauſa facis: ego nihil. Quum dico, me nihil voluptatis cauſa facere; de illo loquor ſapiente, cui ſoli concedis voluptatem. *Ibid. cap.* 10.

Non voco autem ſapientem, ſupra quem quicquam eſt, nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus, quo modo reſiſtet labori ac periculo, egeſtati, & tot humanam vitam circumſtrepentibus minis? Quo modo conſpectum mortis; quo modo doloris feret? quo modo mundi fragores, & tantum acerrimorum hoſtium, tam molli adverſario victus? Quidquid voluptas ſuaſerit, faciet.... Aſpice Nomentanum, & Apicium, terrarum ac maris (ut iſti vocant) bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eoſdem e lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam; aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes: mollibus lenibuſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus. Et ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur. *Ibidem, cap.* 11.

At contra, ſapientium remiſſæ voluptates & modeſtæ, ac pæne languidæ ſunt, compreſſæque, & vix notabiles: ut quæ neque arceſſitæ veniant; nec quamvis per ſe acceſſerint, in honore ſint; nec ullo gaudio percipientium exceptæ. Miſcent enim illas, & interponunt vitæ: ut ludum jocumque inter ſeria. Deſinant ergo inconvenientia jungere, & virtuti voluptatem implicare: per quod vitium peſsimis quibuſque adulantur. Ille effuſus in voluptates, re-

pta-

† *Sic poſt Pincianum Granatenſis ex vetere lectione. Vulgata exemplaria aliter & diſpungunt, & habent.* (a) *Tit. Voluptas.*

ptabundus ſemper atque ebrius, quia ſcit ſe cum voluptate vivere, credit & cum virtute: audit enim voluptatem a virtute ſeparari non poſſe. Deinde vitiis ſuis ſapientiam inſcribit: & abſcondenda profitetur. Ita non ab Epicuro impulſi luxuriantur; ſed vitiis dediti luxuriam ſuam in philoſophiæ ſinu abſcondunt: & eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem.... & ad nomen ipſum advolant; quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod, ac velamentum. Itaque, quod unum habebant in malis bonum, perdunt; peccandi verecundiam. Laudant enim ea, quibus erubeſcebant: & vitio gloriantur. Ideoque ne reſurgere quidem adoleſcentiæ licet, quum honeſtus turpi deſidiæ titulus acceſsit. *Eodem lib. cap.* 12.

Quid prohibet in unum virtutem voluptatemque confundi; & ita effici ſummum bonum, ut idem & honeſtum & jucundum ſit? Quia pars honeſti non poteſt eſſe niſi honeſtum. Nec ſummum bonum habebit ſinceritatem ſuam, ſi aliquid in ſe viderit diſsimile meliori. Nec gaudium quidem quod ex virtute oritur, quamvis bonum ſit, abſoluti tamen boni pars eſt: non magis quam lætitia & tranquillitas, quamvis ex pulcherrimis cauſis naſcantur. Sunt enim iſta bona: ſed conſequentia ſummum bonum; non conſummantia. Qui vero (a) voluptatis virtutiſque ſocietatem facit.... libertatem illam † (qua nihil pretioſius eſt) invictam, ſub jugum mittit. Nam (quæ maxima ſervitus eſt) incipit illi opus eſſe fortuna. Sequitur vita anxia, ſuſpicioſa, trepida, † caſuum patiens, temporumque ſuſpenſa momentis. Non das virtuti fundamentum grave, immobile: ſed jubes illam in loco volubili ſtare. Quid autem tam volubile eſt, quam fortuitorum exſpectatio; & corporis, rerumque corpus afficientium varietas? Quo modo hic poteſt Deo parere, & quicquid evenit bono animo excipere, nec de fato queri, caſuum ſuorum benignus interpres, ſi ad voluptatum dolorumque punctiunculas concitatur? Sed nec patriæ quidem bonus tutor aut vindex eſt; nec amicorum propugnator; ſi ad voluptates vergit. Il-

(a) *Tit. Voluptas.* † *Hæc paullo aliter leguntur in Seneca. Sed variatio nec verba in alienum ſenſum detorquet; nec eſt cur Collectori crimini vertatur.* † *Al.* Caſum pavens.

Illo ergo ſummum bonum aſcendit, unde nulla vi detrahitur: quo nec dolori, nec ſpei, nec timori ſit aditus; nec ulli rei quæ deterius ſummi boni jus faciat. Aſcendere autem illo (a) ſola virtus poteſt. Illius gradu clivus iſte frangendus eſt. Illa fortiter ſtabit, & quicquid evenerit feret; non patiens tantum, ſed etiam volens: omnemque temporum difficultatem, ſciet legem eſſe naturæ. Et ut bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, & tranſverberatus telis, moriens amabit eum pro quo cadet imperatorem. Habebit in animo illud vetus præceptum: Deum ſequere. Quiſquis autem queritur, & plorat, & gemit; imperata facere vi cogitur, & invitus rapitur ad juſſa nihilo minus. Quæ autem dementia eſt, potius trahi quam ſequi? Tam mehercule quam ſtultitia & ignorantia conditionis ſuæ, dolere quod aliquid tibi incidit durius: aut mirari, vel indigne ferre ea, quæ tam bonis accidunt quam malis. Morbos dico, funera, debilitates, & cetera ex tranſverſo in vitam humanam incurrentia. Quicquid ex univerſi conſtitutione patiendum eſt, magno excipiatur animo. Ad hoc ſacramentum adacti ſumus, ferre mortalia: nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus. Deo parere libertas eſt. *Ibid. cap.* 15.

Ergo (b) in virtute poſita eſt vera felicitas. Quid hæc tibi ſuadebit? Ne quid aut bonum aut malum exiſtimes, quod nec virtute, nec malitia continget. Deinde ut ſis immobilis contra malum ex bono: ut qua fas eſt, Deum effingas. Quid tibi pro hac expeditione promittitur? Ingentia & æqua divinis. Nihil cogeris: nullo indigebis: liber eris, tutus, indemnis: nihil fruſtra tentabis: nihil prohibeberis. Omnia tibi ex ſententia cedent. Nihil adverſum accidet. Nihil contra opinionem ac voluptatem. Quid ergo? Virtus ad vivendum beate ſufficit, perfecta illa & divina? Quidni ſufficiat? immo ſuperfluit. Quid enim deeſſe poteſt extra deſiderium omnium poſito? Quid extrinſecus opus eſt ei, qui omnia ſua in ſe collegit? *Eod. lib. cap.* 16.

Mihi crede, (c) is beatior eſt cui fortuna ſupervacua eſt, quam is cui parta eſt. Omnia iſta bona, quæ nos ſpecioſa, ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obſtupe-

(a) *Tit. Virtus.* (b) *Tit. Virtus.* (c) *Tit. Contemtus terrenorum.*

peſcit, cum labore poſsidentur; cum invidia conſpiciuntur: eoſque ipſos, quos exornant, premunt: plus minantur quam proſſunt. Lubrica & incerta ſunt: nunquam bene tenentur. Nam ut nihil de tempore futuro timeatur; ipſa tamen magnæ felicitatis tutela ſollicita eſt. *Lib. de Conſol. ad Polyb. cap.* 28.

Nulla eſt tam bona felicitas, de qua nihil queri poſſis. *Ex Pub. Mim.*

Nondum felix es, ſi nondum te turba deridet. *Ex eodem.*

Si vis beatus eſſe, cogita hoc primum: contemnere & contemni. *Ex eodem.*

¶ *Vide etiam Tit.* Tranquillitas animi, *Tit.* Divitiæ, *Tit.* Paupertas, *Tit.* Voluptas, *Tit.* Luxus. *In his enim locis multa de falſa felicitate invenies.*

Beatarum mentium felicitas.

VEniet (a) qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi, ac olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes ſubvola; † ab aliis, niſi quæ neceſſario cohærebunt, alienus. Jam hinc, altius aliquid ſublimiuſque meditare. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille ſit fulgor, tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum umbra turbabit: æqualiter ſplendebit omne cæli latus. Dies & nox, aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, quum totam lucem totus adſpexeris; quam nunc per anguſtiſsimas oculorum vias obſcure intueris: & tamen admiraris jam procul. Quid tibi videbitur divina lux, quum illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum eſſe teſtes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari jubet, & æternitatem proponere: quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur turba, nullis ad timorem minis agitur. † Quam qui mente teneat, quid mori expavet? *Epiſt.* 102.

EXPLICIT PRIMUS TOMUS.

(a) *Tit. Anima immortalis.* † *Al.* Utique etiam neceſſariis, quæ cohærebunt, alienus. † *Al.* Quid ni non timeat, qui mori ſperat? *Sed Granatenſis, Pinciani correctionem textui ſuo inſeruit.*

ALTER TOMUS
COLLECTANEORUM
MORALIS PHILOSOPHIÆ,
QUI SELECTISSIMAS SENTENTIAS
EX OMNIBUS OPUSCULIS MORALIBUS
PLUTARCHI EXCERPTAS
ET PER COMMUNES LOCOS DIGESTAS CONTINET.

PRIMA CLASSIS
in qua ponuntur tituli ad diversa genera statuum & personarum spectantes.

DEUS.

UNUS autem rex & princeps Deus est, principium, medium, ac finem universi tenens: qui viâ rectâ peragit, & secundum naturam cuncta circumit: quem (a) justitia sequitur, omnium ultrix qui divinam legem deseruerint; qua in omnes homines tamquam cives cuncti natura ipsa dictante utimur. *Lib. de Exsilio.*

Offenditur Deus (b) his, qui tonitrua, fulmina, radiorum jaculationes imitantur: delectatur autem his, qui suam æmulantes virtutem, semet in honestate & humanitate reddunt adsimiles: atque hos in majus provehit, impertiens suam æquitatem, justitiam, veritatem ac mansuetudinem. Quibus rebus nihil est divinius; neque ignis, neque lux, nec solis cursus, nec exortus & occasus astrorum, nec ipsa æternitas aut immortalitas. Non enim fe-

(a) *Tit. Dei justitia.* (b) *Qua ratione sit Deus imitandus.*

lix eſt Deus vitæ ſpatio ; ſed eo (a) quod eſt princeps virtutis. *Lib. de Doctrina Principum.*

Dei Providentia, & Juſtitia.

* QUemadmodum hyænæ fel, phocæque coagulum, ac feræ aliæ quamplurimæ aliquid ſalubre, ægritudinibuſque humanis utile in ſe continent : ita quibuſdam, qui freno animadverſioneque indigere videntur, Deus amaritudinem quamdam tyranni inexorabilem, vel (b) ſævam principis cujuſdam aſperitatem immittit : nec prius ab afflictione (c) ac perturbatione deſiſtit, quam ægritudinem omnem expulerit, penituſque morbum purgaverit. Tale Acragantinis Phalaris ; Romanis vero † Marius erat pharmacum. Sicyoniis quoque palam Deus prædixit, flagellatoribus indigere civitatem. *Lib. de Sera Num. vindicta.*

* Quemadmodum imperitus, medici conſiderationem cur ægrotum non pridem ſed poſtea inciderit, ſive heri non hodie laverit, conjicere haud poteſt : ita & de Deo firmum quid certumve aſſerere, non eſt hominis officium; præter hoc ſolum, quod ipſe tempus optime novit, quo malitiæ medicinam adhiberi conveniat, ac tanquam pharmacum unicuique præbeat ſupplicium : quamvis non magnitudine, menſuraque æquali, ſeu tempore uno eodemve omnibus pariter medeatur delictis. Quod vero animæ medicina, quæ jus ac juſtitia appellatur, omnium aliarum ſit artium maxima, inter multos alios Pindarus quoque teſtatur : qui optimum appellat artificem, gubernatorem, & dominum rerum omnium Deum ; utpote vere juſtitiæ factorem & creatorem, cui ſoli definire conveniat, quando, quo modo, ac quo uſque ſceleſtorum unuſquiſque plecti debeat. *Ibidem.*

Primum (inquit) conſiderate, quod ex Platonis ſententiâ (d) omnium bonorum ſeſe Deus in medium conſtituit exemplar : ut humana virtus, quum illi admodum con-

---

(a) *Tit. Virtus.* (b) *Tit. Rex.* (c) *Tit. Pœna.* † *Alii legunt:* Cajus. (d) *Deus imitandus.*

conformis eſſet, haberet quem imitaretur, totiſque ſequeretur viribus. Etenim rerum omnium natura confuſa quum eſſet, hoc ſortita eſt principium, ut ſimilitudine ac cognatione quadam divinæ virtutis & ideæ, transformaretur, fieretque mundus. Aſpectu cujus (a) vir ille naturam quoque noſtram attolli aſſerit, ut rerum quæ ſub cælo ferantur admirandarum contemplatione, animus decora & ordinata eligere & amare; diſcrepantia vero & errantia declinare conſueſcat. Nulla enim re magis Deo frui conceſſum eſt homini, quam ſi imitando atque ſequendo illius bona & honeſta opera, virtutem uſurpet. Quapropter (b) ſi tarde ac lente illum flagitioſos corripere videmus, non ideo accidit, quoniam ob præproperam animadverſionis celeritatem, erroris vel pœnitentiæ crimen vereatur: ſed ut a nobis feritatem, ac vindictæ impetum auferat; doceatque non irâ accenſos, aut quum furor æſtuat & fervet rationemque exſuperat, (veluti quum ſitim ac famem exſatiare conamur) inimicos qui nos affecerunt injuriâ ulciſci: ſed illius imitatos manſuetudinem ac cunctationem, deliberare, ac hora conſultrice nos vindicare; ne protinus impetum ſera & inutilis ſequatur pœnitentia. Rapidæ enim quempiam ſe committere aquæ, levius (ut Socrates ajebat) eſt periculum, quam in conſanguinei aut contribulis cujuſdam perturbati, ac furore & ira accenſi cadere vindictam, ante quam deferbuerit, animique reſederit affectus. Non enim quum paſsiones vindictæ proximæ, ut Thucydides dicebat, ſed quum admodum eſſent remotæ, honeſtum ac rectum diſcerni poſſe aſſerebat. Quemadmodum enim ira, (c) juxta Melanthium, quum mentem occupat, turpia indecoraque perpetrat: ita ratio, quum furorem animique ægritudinem penitus ſuſtulit, juſta & moderata peragit. Quare auditores quoque humanioribus manſueti reddantur exemplis, ut de Platone fertur: qui quum contra ſervulum baculum ſuſtuliſſet, longo ſic conſtitit tempore, iram (ut ipſe ajebat) puniens & coërcens. Et Archytas, quum ruri domeſticorum atque ſervorum negligentiam ac ignaviam deprehendiſſet, & inde concitatiori

(a) *Tit. Contemplatio.* (b) *Tit. Manſuetudo & Clementia.* (c) *Tit. Ira.*

atque aſperiori affectu erga illos ſe ferri intelligeret; nullo majore eos affecit incommodo: ſed tantiſper abiens, valete (inquit) quoniam vobis iraſcor. Proinde ſi hominum dicta memoratu digna, factaque jam relata, iræ aſperitatem vehementiamque ſedare valent; longe æquius eſt (quum Deum Opt. Max. qui neminem timet, nullius rei indiget, qui nulla pœnitentia duci poteſt, vindictam tamen ſuſpendere cernamus, debitumque ſceleribus exſpectare tempus) nos quoque illum imitari ac placidos reddi, manſuetudinemque ac tolerantiam, divinæ virtutis cenſere particulam. Quam Deus oſtendit, quum paucos puniendos corrigit: tardius vero animadvertendo, multos hortatur, juvat, ac movet. *Eodem lib.*

Secundo, hoc animadvertamus neceſſe eſt, humanam juſtitiam leges habere, quæ ſcelera coërceant, & ob ſingula male facta quid unumquemque pati deceat, ad amuſſim ponderent: ulterius vero progredi non audent. Deum vero, quum ægrotam animam affligere ſtatuit, longius introſpicere, affectuſque decernere decet, prudenterque conſiderare, num aliquando ad pœnitentiam flecti debeat: ſicque tempus ad emendanda tribuere ſcelera. Ubi vero ſinceri nil ineſſe deprehendit, malitiamque perdurare immutabilem cognoſcit; protinus vindicare, & pro ſcelere ulciſci convenit. Quos vero ob honeſti ignorantiam potius quam vitiorum delectu temere peccare novit; illis emendandi tempus tribuere ſolet. Qui ſi in flagitiis perſeverent, tandem eos quoque pro ſceleribus juſte ulciſcitur. Haud enim veretur, ne quando ſibi fuga conſulant. Conſiderate etenim quantæ in hominum vita & moribus acciderint mutationes, quotque a ſceleribus & flagitiis ad frugaliorem converſi ſunt vitam. Unde & converſio dicta eſt, quum quis a vitiis ſe avertit, ſanioreſque induit mores. *In eodem lib.*

Deinde Plutarchus multorum ſubjicit exempla, qui hoc modo converſi, clari in primis, & illuſtres evaſerunt. Deinde ſubdit. Si quidem haud mediocriter magnæ aliquando exorbitant naturæ: ob ſubtilem namque ingeniorum vehementiam efficaciamque quieſcere non valent: ſed in ſalo

flu-

fluctuant, ante quam ad ſtabiles ſedatoſque mores perveniant. Quemadmodum igitur agriculturæ inexpertus regionem, quam denſis cernit obſitam virgultis, plantiſque ſilveſtribus incultam, feris refertam, fluminibus ac fontibus variis irriguam, cœnoque plurimo quoquoverſum inviam flocci pendit; rei vero ruſticæ gnarus hæc omnia fertilitatis indicia eſſe cognoſcit, terræque ubertatem hinc diſcernit: ita & abſurda, prava, ac importuna magnæ aliquando producunt naturæ; quæ nos confeſtim (quandoquidem aſperitatem ac ſtimulos haud ferre poſſumus) præcidi, penituſque eradicari oportere arbitramur. At optimus ille judex utile ac generoſum ex his diſcernens, ætatem, horamque rationis & virtutis cooperatricem (qua natura fructum debitum & opportunum ferat) benigne præſtolatur. Et hæc ita ſe habent. Ægyptiacam vero legem, quæ gravi- *
dam, donec pariat, in mortis carcere cuſtodiri jubet, non ne Græcorum quidam conſulte tranſcripſiſſe videntur? Hac ergo de cauſa Deus ſæpe ſceleratos parentes ſervat, quod ex eis clariſsimos filios novit naſcituros. Proinde Homerum dicentem audite:

Egregia eſt ſoboles ſcelerato nata parente.

Ecce quemadmodum ille, qui nihil decens aut clari unquam operatus eſt, optimum genuit filium. Siſyphi quoque nec non Autolyci & Phlegyæ genus in gloria & virtute magnorum floruere regum. Pericles quoque Athenis in ſceleſta natus eſt domo. Et Romæ Pompejus Magnus Strabonis fuit filius: quem vita functum Pop. Rom. ob inoffenſum odium pedibus conculcavit, inſepultumque projecit. Numquid igitur abſurdum, ſi quemadmodum ruſti- *
cus ſpinas haud exſtirpet prius quam aſparagos collegerit... ita Deus ſceleſtam, ac pernicioſam, ac regii generis ſtirpem haud antea evellat, quam fructus debitus ex eo ſit productus & generatus? *Lib. de Sera Num. vindicta.*

Objiciunt nonnulli adverſus æquitatem divinæ juſtitiæ illud Euripidis:

Crimina ſæpe luunt nati ſcelerata parentum.

Si enim qui deliquerunt, jam pœnas exſolverunt, haud decet eos qui nihil injuſti egerunt, plecti. Quandoquidem

nec illos qui facinora peregerunt, de una eademque re bis ſupplicium ſubire, juſtitiæ ſeu æquitati conſonum eſſe cenſetur.... Quo pacto ergo deorum iræ confeſtim tanquam flumina nonnulla evaneſcunt, ac longe poſt ſuper alios emergentes, ad ultimas perducunt calamitates? Quid mirum? quum (a) præclara parentum facta nobilitent filios; ſcelerata dehoneſtent? Decet enim ſi virtutis ac nobilitatis honorem in genere noſtro retinere cupiamus, rationabiliter quoque ob ſcelerum ultionem permanentem haud indignari; ſed recte hæc invicem concurrere, ac æqualiter digneque converti æſtimemus. Nam genitum ab eo, ex quo genitum eſt, ſecerni ſeu abeſſe, tanquam opificium quoddam conſtructum, minime poteſt: quum ex ipſo, non ab ipſo genitum ſit: ita ut pars quædam & debite honorandi, & juſte plectendi contineatur, circumferaturque in ſemet ipſa. Non igitur mirum nec abſurdum, quum ex illis procedant, ſi ob eorum facinora vindictæ quoque partem deſumant: quandoquidem quæ apud homines beata cenſentur, propter illos conſecuti ſint ac poſsideant. *Ibidem.*

Præterea (b) in vindicandis ſceleribus, qui aliud quid juſtum quam improbitatem ſanare exiſtimat, indignaturque quum medicum cernit per viam longe diverſam ad curandum procedere morbum, medicamentaque ob alia per alia inſinuare (veluti qui venam incidunt, ut ob ophthalmia leventur;) ille profecto ultra ſenſum haud longe proſpicere videtur, nec conſiderat præceptorem (quum ex pueris * aliquem corripit) ceteros admonere, ac Imperatorem (quum decimum quemque tollit) omnes ad officium reducere. Proinde non ſolum parti corporis ob partem aliam; ſed & animæ propter animam, longe plus quam corpori ob corpus, vexationes, paſsiones, ac emendationes accidere ſolent. *Ibidem.*

Bion Deum, quum in ſceleratorum animadvertit filios, longe magis ridiculum eſſe aſſerit, quam medicum qui ob avi & patris morbum nepoti ſeu filio medicamentum porri-

(a) *Ut parentum nobilitas promanat ad filios; ita etiam parentum dedecora.* (b) *Deus quoſdam punit, ut alios emendet: ſicut medicus aliis membris propter aliorum ſalutem medicamentum adhibet.*

rigit. Ceterum alicubi res inepte & abſurde ſe habent; alicubi vero convenientes ac ſimiles exſiſtunt. Nam qui ocularum dolore vexatur, ſeu febricitat, non ideo melius habet, quoniam alteri emplaſtrum ſeu collyrium adhiberi conſpicit. At ſceleſtorum ſupplicia ideo manifeſte cunctis oſtenduntur, quoniam vindictæ cum ratione inflictæ officium eſt, alios per aliorum animadverſiones compeſcere ac cohibere. Proinde Bionis aſsimilatio ſi recte diſcutiatur, cernere erit, veritatem illum latuiſſe. *Eod. lib.*

Si quis tum ſcorpioni aculeum inſeri credit quum pungit; aut † echinis venenum infundi quum mordent; fatue ac ſtulte credit: ita non fit ſceleratus quiſque, quum furripit; tyrannuſque leges tranſgreditur. At Deus uniuſcujuſque affectum ac naturam haud ignorat: utpote qui magis animæ, quam corporis ſcrutator exſiſtit. Quapropter (a) non eo uſque pœnam differt, quoad violentia manibus, impudentia voce, intemperantia pudendis perficiatur: ſed medicinæ gratia mœchum, avarum, & flagitioſum quandoque corripit; & malitiam tanquam morbum comitialem, prius quam cuncta occupet, tollit ac penitus aufert. Ceterum paullo ante indignabamur, quoniam tarde Deus in ſceleſtos animadverteret: nunc vero, quoniam nonnullorum habitum & affectum (ante quam injuriam perficiant) occupat ac prævenit, accuſamus; ignorantes, ſæpius præterito futurum eſſe gravius, occultumque manifeſto longe deterius ac terribilius. Unde (b) neque cauſas, ob quas aliquando improbos tolerare; aliquando vero adhuc deliberantes prævenire ſatius exſiſtat, intellectu noſtro comprehendere valemus. Ceterum non omnia parentum delicta in poſteros Deus convertit: ſed quorum natura generis cognationem imitari aut referre ſolet, illos vindicta ſcelerum exagitare conſuevit.... Quemadmodum * enim progenitorum † acrochordones ac lenticulæ quando-

† *Alii pro* echinis *habent* viperis. (a) *Præpropera Numinis vindicta cur fiat.* (b) *Judicia Dei occulta.* † *Hermannus Cruſerius vertit*: Verrucarum genus ... nigræ maculæ, & lentigines genitorum.

que in filiis haud apparent: attamen in nepotum corporibus erumpunt (nam & mulier quædam Græca, quum nigrum enixa esset infantem, ob idque adulterii damnata, progenies Æthyopis quarta inventa est:) ita plerumque mores, animæque passiones quas priores generationes celabant, natura longo post tempore producit, ac per alios ostentat & repræsentat. *Lib. de Sera Num. vind.*

Dei opificium.

QUis vero testudines docuit, postea quam viperam comederint, origano pasci? Quis Creticas capras sagittis percussas dictamum, quo gustato, spicula statim e corporibus excidant, persequi monuit? Etenim si dicas horum optimum naturam esse magistrum, in excellentissimum, ac sapientissimum principium ferarum prudentiam refers.... Perdices (a) pullos fugientes se occultare, ac resupinos jacentes se glebâ terræ pedibus apprehensâ cooperire docent. Ciconiarum quoque pullis vides in tectis *parentes*, ut periti inexpertis præsto adsint ad volatum. Luciniæ pullos suos cantare prædocent. At si qui capiantur adhuc rudes, in hominumque manibus nutriantur, pejus canunt: ut qui ante legitimum tempus a doctore subtracti sint. *Dialogo de Brutor. ration. prope fin.*

Anima rationalis.

QUemadmodum si careamus sole, per reliqua astra perpetuam egerimus noctem, ut ait Heraclitus: ita (b) quod ad sensuum virtutem attinet, nisi mens hominibus adsit & ratio, nihil in hac vita a brutis differamus oportet. *Lib. de Fortuna.*

Quum validissimum quodque animantium natura sua probe noverit uti, aliis cornua armorum vice accipientibus, aliis stimulos, dentes aliis, & (ut scriptum reliquit Em-

---

(a) *Tit. Educatio filiorum.* (b) *Sensus nisi ratio adsit, nihil conferunt.*

Empedocles) Echinus acutis telis horrendoque dorſo plurimum eſt formidabilis (ut addam inſuper alia veſtiri ſquamis , alia villis , multaque armari ungulis aſperrimis) : ſolus homo (ut meminit Plato) nudus , inermis , neque calceatus , neque penulatus a natura relinquitur ; contenta tamen unum illi dediſſe quod omnia molliat , nempe rationem , curam , & prudentiam. Jam diſpiciamus quam tenue ſit robur humanum ; & tamen induſtriâ , plurima conficiuntur terra marique , & ſummis montium jugis , quæ miranda prorſus videntur. Equorum levitas inſignis miraque pernicitas , numquid non hominis ingenio paret ſuo curſu ? Et canum iracundia in pugnam proclivis , numquid non defendit hominem ? Sic piſces & ſues non modo cibant ; ſed & delicias præſtant ad luxum. Præterea quid magis habet natura elephanto , aut quid terribilius ? Atqui ludis hominum jam dudum paruit ille in ſpectaculis. Diſcit enim ſaltare , tripudiat in choreis , & honorem exhibet geniculatione. Et hæc quidem recenſere exiſtimavimus operæ pretium , quo perſpicuum fiat , quatenus (a) hominem evehat prudentia ; quatenus præſtare etiam faciat cateris , ac potenter dominari. Non enim pugiles , & palæſtritæ ſumus , atque curſores omnium optimi ; ſed animantibus aliis longe inferiores , plane vincimur in iis rebus. Porro experientiâ uſuque longo , memoriâ , ſapientiâ , & bonis artibus (Anaxagora teſte) bona illorum nobis uſurpamus. Mel colligimus , & lac mulgemus : conferimus ac traducimus omnia in uſum noſtrum , ita ut nullæ hic ſint fortunæ partes ; ſed totum agit conſilium & induſtria. *Lib. de Fortuna.*

Perinde atque dux Iphicrates reſpondit ad reprehenſionem ſibi indicatam , quod non eſſet armiger , non ſagittarius , aut ſcutifer ; novi (inquit) omnibus iis imperare , & illorum uti opera : ſic ratio atque prudentia non eſt aurum vel argentum , non gloria aut opum ingens vis , neque item ſanitas , robur , aut famæ præſtantia. Quid eſt igitur ? Nimirum ipſa , quæ iis omnibus recte atque decenter uti poteſt , & cujus beneficio quodlibet horum plurimum

(a) *Tit. Prudentia.*

mum ſuave redditur ac jucundum, nec minus utile & honorificum. Quod ſi in rebus omnibus hac ſola careas; acerba, infrugifera, moleſtaque fiant protinus reliqua neceſſe eſt: ita ut dominum rerum ſuarum etiam pudeat. *Lib. de Fortuna.*

Non eſt (a) adeo puſillus ac levicularum rerum curioſus Deus, ut ſi nihil divini nobis ineſſet, ſeu ad illius ſimilitudinem firmi quid ac durabilis inditum foret; ſed foliorum inſtar (ut Homerus ait) marceſceremus, brevique omnino corrumperemur; tantam noſtri curam gereret, ac rationem haberet.... Si placet, alios omittamus deos, ſolumque hunc noſtrum conſideremus, qui ut primum animas mortuorum a corporibus tanquam fumum, aut nebulam exhalaſſe novit, placationes varias defunctis inſtaurare, honoreſque ingentes ac venerationes ſollemnes tribuere jubet: ſcilicet, ut credentes circumveniat ac decipiat? Ego equidem animæ immortalitatem aſſerere haud deſinam. *Lib. de Sera Num. vind.*

Una igitur (b) eſt ratio, quæ divinam pariter providentiam, humanæque animæ immortalitatem oſtendit ac confirmat, nec alterum repudiare, alterum vero amplecti. Quum enim poſt obitum anima ſuperſit, admodum decet, immo neceſſe eſt, illam aut præmiis, aut affici ſuppliciis. In vita enim quemadmodum athleta decertat: quum vero certamen peregerit, tum debitum ex merito conſequitur. Ceterum quo pacto anima quum illhic exſiſtit, ob ante actam vitam remuneretur ſive plectatur, nil certi, ſive quod affirmare audeamus, viventes habemus. Id enim penitus nos celatum eſt ac latet. Vindictam vero, quæ ob majorum facinora in filios ac univerſum debacchatur genus, manifeſte aliquando cernimus. Quandoquidem multos a ſceleribus avertit; ac ne ſimilia audeant, deterret ac admonet. Quum vero (c) nulla alia magis acerba, nec quæ anxiore afficiat triſtitiâ ſit pœna, quam quum quis cernit ſuos ob ſua ipſius male acta pati incommoda & affici, admodum veritati con-

ſo-

(a) *Tit. Hominis dignitas. Tit. Dei providentia.* (b) *Dei providentia, & Animæ immortalitas ſimul defenduntur.* (c) *Tit. Inſignis damnatorum pœna.*

ſonum ac credibile eſſe videtur, animam impii ac flagitioſi viri graviter torqueri, quum poſt obitum conſpicit non ſtatuas aut honores quoſdam ſubverti; ſed liberos, amicos, genere propinquos, ac domeſticos maximis ſubjici torgamentis; & ob ſuam ſceleſtam vitam, pœnas luere graviſsimas. *Eod. lib.*

Affectus & paſsiones animæ.

Philoſophi quidam mihi ignoraſſe videntur, quod quiſque noſtrum vere duplex compoſituſque eſt: nec illam animi duplicitatem prævidiſſe; ſed tantum perſpicuam illam quæ eſt animi & corporis commixtionem.... Humanus animus, pars vel ſectum quum ſit univerſi, & rationibus numeriſque ad illorum cæleſtium exemplum compactus, nec eſt ſimplex, nec unius modi. Sed alterum habet intelligentiam & rationem, quam præſtare naturaliter impetrareque homini conveniens eſt: alterum vero turbulentiam affectuum habet, impoſque rationis eſt, & erroribus refertum, & ſua vi ſuaque ſponte inordinatum.... Quæ vero *animi pars* affectionibus obnoxia eſt, quamquam propria caret ratione; alioqui tamen ut eam audiret, ad ipſamque ſe converteret, cederet, & informaretur, natura facultatem conceſsit, niſi in totum perdita profligataque exſtat.... Qui autem admirantur, quo modo parere rationi poſsit, id quod rationem non habet; hi mihi non videntur mente complecti, quantæ ſint rationis vires, & quo penetrent, occupando & ducendo non duris quidem nec renitentibus modis; ſed informantibus, & ad cedendum parendumque diſponentibus. Quæ res eſt omni neceſsitate ac violentia efficacior. Quandoquidem ſpiritus, ac nervi, & oſſa, & reliquæ corporis partes ratione carent; ſed quum animi motus oritur, quatiente quaſi habenas ratione, omnes intenduntur, & expediuntur, & parent. Pedes ad curſum parati, manuſque ad jaciendum atque capiendum, id animo cogitante, ſunt præſto. *Lib. de Virt. morum.*

Sed his prætermiſsis libenter eos interrogarem: ſi canes,

nes, (a) & equos, aveſque domeſticas vident conſuetudine quadam, & educatione ac præceptione voces prudentes reddere, rationique obtemperantes, motus, & habitus, actioneſque moderationem quamdam & utilitatem noſtram continentes; Homerumque dicentem audiunt, Achillem equos homineſque hortari ſolitum ad pugnam: cur adhuc admirantur, ac dubitant, id quod iráſcitur in nobis, & cupit, & dolet, & lætatur, obedire prudentiæ, ab eaque affici; quum & incola ſit, nec abſciſum, nec extrinſecus fictum, neque ulla neceſsitate aut plagis formatum: ſed a natura dependeat, cum eo ſemper verſetur, educetur, & conſuetudine compleatur ac more? Unde recte appellati ſunt mores. Sunt enim mores (b) ut compreſſe dicam, qualitas animi ratione vacantis. Quod nomen inditum fuit propterea quod qualitatem hanc & differentiam a more ipſe animus irrationalis a ratione confirmatus capit. Cui quidem non eſt conſilium, commotiones animi & affectus ſtirpitus evellere: nec enim poteſt, neque opus eſt, nec expedit: ſed terminum quemdam & ordinem ei præſcribere, moraleſque virtutes conſtituere. Quæ quidem ſine affectione motuque non ſunt; ſed ſymmetriæ ipſorum & mediocritates. Imprimit enim informatque ipſa prudentia commotarum affectionum vim, habitumque conſtituit urbanum.... *Unde*, ſi perperam a ratione ductata & recta fuerit affectio, vitium exſiſtit: ſin probe, emergit virtus. *Lib. de Virt. morum.*

Jam vero & animi affectiones indicant, corpus ad morbum eſſe propenſum. Nam ſæpe numero fit, ut occupet quoſdam triſtitia nullam ob cauſam idoneam oborta, aut metus ſpes repente extinguens; idque quum nihil appareat, cur ſit metuendum. Redduntur autem & iracundi, ſic ut facile commoveantur, & ob rem quantumlibet levem indoleant. Lacrimanturque ac mœrent, quoties mali vapores & exhalationes amaræ condenſatæ animi circuitus, ut inquit Plato, præpediunt occupantque. Quamobrem quibus acciderint iſta, conſiderent ac meminerint oportet, ſi nulla res animi ſit in cauſa, tum corporale quippiam eſſe, quod ſubductionem aliquam atque temperantiam requirat. *Lib. de Tuenda bona valet.*

Ado-

(a) *A ſimili argumentum.* (b) *Mores quid?*

Adoleſcentia, Senectus.

SIcut hiemi neceſſaria per ſerenitatem parari convenit: ita & boni mores, & optimum ad ſenectutem viaticum, modeſtia, in ipſa juventute reponatur. *Lib. de Liber. educ.*

Juvenes vehementes ac temerarii ſunt & in appetitibus inflammati, & furentes, & rabidi propter ſanguinis copiam, & caloris. At in ſenibus concupiſcentiæ fons, quidem eſt † in jocinore, reſtinguitur, parvuſque fit & imbecillis. Viget autem magis ratio, affectibus una cum corpore tabeſcentibus. *De Virt. morum prope finem.*

Vir & uxor. Matrimonium.

QUid eſt, quod nova nupta quum in matrimonium datur, ignem & aquam jubetur attingere?.... An quod ignis purgat, aqua vero circumfert ac luſtrat: uxorem vero puram & caſtam permanere oportet? *In Problematum initio.* (*)

Quid eſt, quod nec plures nec pauciores, ſed quinque tantummodo faces in nuptiis accendunt, quas cereos appellant?.... An quod quum plurimis in rebus numeris utantur, tum ceteris melior ac perfectior ſit & ad nuptias impar numerus convenientior atque aptior habeatur? Par enim numerus & intervallum ſuſcipit, & ejus paritas adverſatur ac pugnat. Impar vero omnino ſcindi non poteſt: ſed ſi dividatur, ſemper aliquid commune relinquit. *In Problematibus.*

Cur inſtitutum eſt, ut mulieres cognatos ore oſculentur? An (ut multi putant) quod his vini uſus interdictus eſſet, & idcirco ne bibentes laterent, ſed domeſticorum congreſſu redarguerentur, oſculandi conſuetudo inducta eſt?... An

† *Al.* In jecore. (*) *Id eſt*, In Quæſtionibus centuriatis Romanis: *ſic enim nonnulli inſcribunt priorem Problematum partem; ſicut & poſteriorem*, Quæſtiones centuriatæ Græcæ. *Id quod vel ſemel adnotaſſe ſufficiat.*

An magis hoc tributum eſt mulieribus, quo ſimul & honore & poteſtate augerentur, ſi multos cognatos ac propinquos habere viderentur? An quod cognatorum connubiis lege prohibitis, hoc comitatis genus ad oſculum uſque proceſsit; & hoc ſolum cognationis ſignum & communicatio relicta eſt? Superioribus (a) enim temporibus, quæ ſe aliqua neceſsitudine attigiſſent, uxores non ducebant; quemadmodum ne nunc quidem ſorores. Sed non ita pridem factum eſt, ut neptes uxores ducere permitterent. *Ibidem paullo poſt initium.*

Quid eſt, quod novam nuptam ipſum limen tranſcendere non permittunt? An quod qui primas mulieres rapuerunt, ſic eas domibus intulerunt, non ipſæ ingreſſæ ſunt? An eo invitæ ingredi videri volunt, ubi pudicitiam ſunt amiſſuræ? An (b) quod potius ſignum eſt, ipſam non ſua ſponte domum exituram, nec ſuos relicturam fuiſſe, niſi cogeretur, quemadmodum vi coacta ingreſſa eſſet? Nam apud nos quoque in Bœotia currus axem pro foribus comburunt, ſignificantes, ſponſam intus manere oportere, tanquam eo ſublato quod eam aſportaturum fuerat. *In Problem. longe poſt initium.*

Quid cauſæ eſt, quod ſponſam introducentes jubent dicere: ubi tu Cajus, egò Caja? An ita cum viro quaſi depaſcitur, ut omnia communia ſint, & pariter imperent; nec aliud his verbis oſtenditur, niſi ubi tu dominus ac domus compos, ſic ego domus domina atque hera?... An magis propter Cajam Cæciliam, honeſtam ſane mulierem ac bonam, uni ex Tarquinii liberis collocatam, cujus † in Sanctæ templo ſtatua ex ære poſita eſt? Inerant jam pridem & ſandalia & colus, pudicitiæ & induſtriæ ſuæ certa monumenta. *Ibidem.*

Cur menſe Majo uxores non ducunt?... An ut quidam dicunt, Majus a majoribus natu appellatus eſt; Junius a junioribus: nuptiis vero accommodatior eſt junior, ut inquit

(a) *Hinc commendantur Eccleſiæ leges.* (b) *Evagatio & diſcurſus feminis interdicitur.* † *Alii, & ut puto rectius*: In M. Anci templo *ſive* æde. *Alii*, In templo Sangi. *Sic plerique ex Plinio Hiſtor. Natur. Lib.* 8. *cap.* 48.

quit Euripides? Nam ſenectus Venerem valere ſinit: ipſaque Venus ſenibus infenſa eſt. *In Probl. penes med.*

Cur eorum qui uxores ducunt, comam haſtæ cuſpide diſcernunt ac diſcriminant? ... An ſtatim diſcunt uxores viris fortibus & bellicoſis conjunctæ, ſeverum & minime effeminatum & tenuem cultum, ac virilem ornatum proebare: quemadmodum Lycurgus in foribus & tectis pariem facientes, terebra tantum ac ſecuri utendum, aliis inſtrumentis abſtinendum ratus, omnem intemperantiam & ſuperfluos ſumtus funditus ſuſtulit? *Eodem loco.*

Pater, Filius, Filiorum educatio.

SI quis illuſtrium eſſe natorum pater optat, id ei proponendum arbitror, ut ne vilibus aut abjectis ſeſe deviciat mulieribus: quales meretrices ſunt, aut pellices. Quibus enim ulla ex patre vel matre innata eſt macula, eos quoad vita ſuperſit, indelenda quædam ignobilitatis convicia comitantur; quæ increpare carpereque volentibus in promtu magnopere ſunt. *Et paucis interjectis.* Digniſsimum eſt (*ait*) eam animi magnitudinem collaudare Lacedæmoniorum, qui idcirco regem Archidamum pecuniis mulctaverunt, quoniam puſilli corporis mulierem matrimonio capere paſſus erat: ſubinde dicentes, quod ille non reges, ſed reginas eis edere cogitaſſet. Poſt hæc deinceps dicatur, quod majores noſtri haud neglexiſſe videntur. Quid nam illud eſt? Ut qui ſe mulieribus generandæ gratiâ ſobolis admovent, hi omnino ſobrii, aut vino ſaltem modeſtiſsime delibato, congreſſum faciant. Quibus enim ex initio, ut a genitoribus per ebrietatem ſeminarentur, accidit; ii vini avidi ac temulenti nimirum eſſe ſolent. Ea propter quum Diogenes quemdam ex temulentia alienatæ mentis adoleſcentulum deſipere cerneret; adoleſcentule (inquit) ebrius te ſeminavit pater. Et de genitura quidem hactenus. *Lib. de Liberis educandis, in princ.*

Quod matres eos quos progenuerint, nutrire alereque conveniat, ipſa etiam natura demonſtrat: unicuique etiam ani-

animantium generi quæ pariunt, idcirco ſimul & lactis alimenta ſuppeditavit. Ejus quoque ſapientem fuiſſe providentiam conſtat, quæ duplices mulieribus mammas addidit: ut ſi gemellos perperiſſe contigerit, duplices ad alendum fontes haberent. Præterea ut majorem in eos, quos procreaſſent, amorem benevolentiamque foverent. *Ubi ſup.*

Novella ætas ad fingendum facilis & tenera eſt, & ipſorum animis (dum molles adhuc exſtant) diſciplinæ melius inſtillantur. Difficilius autem quæ dura ſunt, molliuntur. Quemadmodum enim ſigilla mollibus imprimuntur ceris: ita & doctrinæ (dum puerilis adhuc animus eſt) inſculpuntur. Aptiſsime igitur divinus ille Plato nutrices admonuiſſe videtur, ut ne frivolas ac turpes fabellas pueris mandent; ne illorum animos ex initio ſtultitiâ & corruptis imbuant moribus. Pulchre igitur Phocylides poëta monuit:

Dum tener eſt gnatus, generoſos inſtrue mores.
Eodem lib.

Haud ab re quod antiquus ille Crates dicere ſolebat, qui ſi licuiſſet, ubi in altiſsimam urbis partem conſcendiſſet, ſe vociferaturum ajebat: quorſum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis veſtrum ſtudium facitis; filiorum vero quibus eas relinquitis, nullam ſane curam ſuſcipitis? Quibus addendum eſſe cenſeo, quod hi patres
* haud aliter faciunt, quam qui magnam calceorum ſedulitatem habent, quum interim pedem ipſum parvi pendant. Multi vero ſunt parentes, in quibus adeo nummorum amor, pariter & filiorum odium ſæpe numero increvit; ut ne majora impendant ſalaria, nullius exiſtimationis homines natis ſuis deligant, viliſsimorum pretiorum diſciplinam ipſam inſectantes. Ob quam rem Ariſtippus haud inſulſe, quin urbano plurimum ſermone quemdam mentis inopem patrem carpſit. Quopiam enim ex eo percontante, quantam inſtruendi gratiâ filii mercedem poſtularet? mille drachmas dixit. Ille vero, hercle (ait) permagnum poſtulatum. Servum enim comparare mille drachmis poſſum. Duos, inquit, habebis ſervos: & filium, & quem mercaberis.... Quid autem his admirandis accidat patribus, poſtquam

fi-

filios male nutrierint, maleque instruxerint; dicere aggrediar. Nam quum sumtâ virili togâ salubrem ac bene institutum vivendi ordinem aspernantes, ad immodestas atque serviles sese præcipitarint voluptates; tunc ita liberos erudisse pœnitet: quumque nulla exstat utilitas; sese ob illorum peccata discruciant. *Lib. de Liber. educ.*

Illud etiam affero, ad honesta pueros exercitia non plagis aut verberibus; sed monitis ac rationibus adduci oportere. Omitto enim ea magis servos decere quam liberos, qui durati vigescunt; & ad labores sustinendos, nunc ob plagarum dolores, nunc ob contumelias horrent. Liberalibus autem pueris majorem laudes ac vituperia, quam verbera commoditatem afferunt. Illæ enim ad honesta concitant; hæc a turpitudine cohibent. Mixtim vero & alternis utendum erit objurgationibus & laudibus. Post quam vehementer objurgarint, pudore agendum erit, rursusque laudibus revocabunt: iisque imitandæ nutrices erunt, quæ ubi infantes lugere coëgerint, ubera denuo ad eos solandos admovent. Cavendum autem erit, ne immodicis elati laudationibus intumescant; quoniam nimiis demolliti laudibus franguntur. *Lib. de Liber. educ.*

Ceterum illa non minus quam superiora, quin longe magis adolescentibus exercenda: ea sunt ejusmodi. Sine mollitie vitam esse degendam; continendam linguam; iram sibi subjicere; manus comprimere. *Lib. de Liber. educ.*

Præter hæc omnia, id quod sanctissimum est, pueri vera proferre consuefiant. Mentiri enim servile est vitium, & a cunctis mortalibus odio insectandum; nec quod apud mediocres etiam servos veniam promereatur. *Lib. de Liber. educandis, longe post med.*

Ante omnia opus est, ut patres non solum nihil peccando; verum etiam honesta singula peragendo, manifestum sese filiis exemplar exhibeant: ut ita eorum vitam quasi quoddam speculum intuentes, ab operum simul & sermonum turpitudine se penitus avertant. Nam si quis delinquentes acriter objurget filios, tum is in eosdem illabatur errores; hic nempe ignorare videtur, sub illorum nomine sua se incusare crimina. *Lib. de Liber. educand. prop. fin.*

Ceterum crebro audiviſti, quod is demum ſequitur Deum, qui parere norit rationi. Itaque ſic habeto: dum juvenes relicta pueritia in viros proficiunt, illis (ſi recte ſapiant) non rejiciendum eſſe imperium, ſed duces dumtaxat mutandos: dum in conductitii illius pædagogi vicem, divinum, hoc eſt, ipſam rationem vitæ moderatricem ſuſcipiunt. Cui (a) quicumque parent, merito liberi ſunt appellandi: eo quod ſoli qui diſcunt quid velle debeant, ita vivunt ut volunt. *Lib. de Officio Auditoris, in princ.*

* Quemadmodum novi hoſpites, & peregrini in rempublicam recepti... multa ægre ferunt & incuſant, quæ indigenis & legum aſſuetis non modo non ſunt moleſta, ſed etiam grata videntur & jucunda: ſic e re juventutis apprime fuerit, ſi longo tempore circa philoſophiam educata, diſciplinæ illius rudimenta imbibere conſueſcat: quandoquidem ex ipſis præguſtamentis, quæ præceptionum philoſophicarum recipiunt permixtionem, non aliter atque civis aliquis ad philoſophiam accedet; cujus peculiare eſt officium, duce ratione viros, eoſque abſolutos efficere; atque ea in re verum decus ætati juvenili apponere. *Ibidem.*

Canere diſcunt homines, ſaltare, litteras, agriculturam, equo inſidere, calceari, veſtiri, pocula miniſtrare, & coquere. At, quæ dementia eſt, o mortales! quum hæc omnia præter diſciplinam non liceat commode agere; ut vos probe homines vitam inſtituere, nulla diſciplina, nulla adhibita ratione aut arte, ſed fortuito putetis contingere? Adde quod virtutem quum diſcendam negamus, prorſus plane tollimus; quando diſciplina generatio quædam eſt, qua fœtus in animo diſcentis a doctore proficiſcitur. Itaque ſi a diſcendo mortales cohibeas, & doctrinam omnem ſuſtuleris; videberis haud dubie cuncta extinxiſſe, rebuſque ipſis perpetuum invexiſſe interitum. Ceterum, ut auctor eſt Plato, ob pedis ad lyram imparilitatem, dum male convenit cum modulatione ſaltatio; neque frater unquam cum fratre pugnam capeſsit, aut amicus diſsidet ab amico, urbeſve inter ſe hoſtiliter decertant, ut extrema quæque & facere & pati cogantur.... Ad hæc in ædibus pri-

(a) *Tit. Libertas vera.*

privatis inter maritum & uxorem nulla adhuc nata dissensio est super telis, stamen ne an trama subtegmen ipsum vocetur. Et hæc quidem quum ita se habeant, nemo tamen libro protinus, aut telæ lyræve manum admovet, nisi peritus. Nam etiam si non sit periculum, ne quid inde accidat incommodi: tamen ridiculum se fieri, ac cunctis haberi ludibrio, quis est quem non pudeat? ... Et nos adhuc putabimus, rem familiarem gnaviter administrare, rempublicam conjugium, alimoniam, & principatum, mutuisque vicissim pro rei dignitate respondere officiis, inexpertis ac rudibus citra erratum, & fortuito accidere? ... Si non fiunt mortales disciplina meliores, periisse impendia dixeris quæ fiunt in pædagogos, a lacte ipso primum pueros in disciplinam accipientes. Nam ut nutrices manibus effigiant corpus: ita illi mores componendo, primum virtutis vestigium collocant. Unde Spartanus ille rogatus, quid commodi afferret præceptorum opera: honesta (inquit) illi faciunt, ut pueris etiam sint jucunda. *Lib. de Docenda Virtute.*

Quemadmodum medici amara quædam venena dulcibus immiscentes succis, comitem utilitatis amœnitatem invenerunt: ita & patres increpationum rigorem mansuetudine temperent est necesse. *Lib. de Lib. Educ.*

Doctor, & Auditor.

QUi, ut aliquam rem adeas, hortantur quidem; sed nihil ipsi suggerere, nullamve rationem, quonam pacto id fieri oporteat, afferre videntur: sane non illis absimiles sunt, qui lucernæ ut ardeat, lychnum emungunt & manu contrectant; ceterum olei nihil omnino infundunt. *In Politica, sive, in Institutione Civili, in princ.*

Philosophiæ doctrina (a) non est cujusmodi statuarum artifex, ut signa fingat quæ in basi muta stent, & sensus expertia, quemadmodum dixit Pindarus; sed agilia studet facere quæcumque aggreditur, negotiosa, vivaque. Addit impetus, quibus excitentur: addit judicium, quod invitet

(a) *Tit. Philosophia.*

ad utilia: addit delectum, quo ſequamur potiora: addit prudentiam animique magnitudinem cum manſuetudine cautelaque conjunctam. *Lib. de Diſput. Philoſ. cum Princip.*

Copiam ipſam immodicam, ac vanitatem dicendi prætereas velim: ac ſummo ſtudio fructum orationis ſectare coneris. Neque ea in re puellas imiteris, quæ ad ſerta concinnanda fragrantiſsimos quoſque flores deligunt: opus ſane jucundum ac volupe, quis neſciat? ceterum nullius frugis, ac dumtaxat diurnum. Sed apum te potius moveat exemplum, quæ plerumque in prata volant, violis, roſis & hyacintho conferta; atque illis tamen neglectis, thymum accedunt, florem aſperrimum atque amariſsimum, illique inſidunt, flavum mel conficientes. Inde, ubi acceperint quæ viſa fuerint commoda, avolantes, ad domeſtica negotia revertuntur. Ad hunc ſane modum auditorem caſtum & ſtudioſum decet, delicata & florida ornamenta verborum, rerumque adplauſibilem quamdam vim, nil aliud quam † pratorum herbam unde nihil mellis conficiatur, putare, miſſaque facere; atque ſua ipſius attentione in mentem ſermonis & dicentis affectum irrepere, unde ad ſe trahat quod bonum ſit ac conducibile. Proinde meminiſſe, quod non in theatrum, neque ad cantationem; ſed ad ſcholas venerit, ut ex ſermone vitam emendet.... Quis enim ferat te in tonſtrina ſurgentem mox aſsiſtere ſpeculo, & contractu capitis cæſariem contueri, num probe ſis tonſus: & a ſcholis ubi ſermonem audiſti, non protinus te ipſum contemplari, & ex animo tuo diſcere, quid miſeriæ, implacabilitatis, aut immodeſtiæ deceſſerit, quantove factus ſis tranquillior atque jucundior? Quando non tam vere quam eleganter dixit Ariſton: neque balnei ullam eſſe utilitatem, neque orationis, unde non prodeas purior. *Lib. de Officio Auditoris, ante med.*

Non ſum in ea ſententia, qua bona pars mortalium; qui philoſopho in commune docenti applaudunt, dictiſque illius mire capiuntur: verum ubi de rebus privatis tempeſtive & libere quoſdam ſeorſum carpit & admonet, id iſti in-

† *In Ottomari Luſcinii interpretatione, quam ſecutus videtur Granatenſis, non habetur*, pratorum, *ſed* oratorum.

inſectantur, & ſupervacaneum eſſe putant. Audiendos eſſe philoſophos credunt in ſcholis, haud aliter ac tragœdos in theatris; nempe ad finem: & in his extrariis negotiis nihil utroſque inter ſe differre. *Lib. de Offic. audit. paullo poſt med.*

Sunt rurſus aliqui, quos conſtans tenet opinio, in concione totum negotium dicentis humeris incumbere; auditoris nihil. Præmeditatum enim ac præparatum accedere dignum putant oratorem: auditores ipſos nihil, ajunt, neceſſe eſt. Sed irruere licet improvidos in illa quæ ratione conſtant, præter ullam rationem; ac aſsidere inertes, veluti ad convivas in ſympoſio; ubi laborantibus aliis, nihil agant quam ut voluptate fruantur. *Ibid. paullo poſt.*

Non convenit monita ſalubria averſari, quæ incitant ad virtutem: etiam ſi, ceu pharmacum aliquod, acria videantur ac mordacia. Minime præterea ferendi ſunt, qui hujuſmodi verbo tacti, mox oculis in gyrum rotatis toti ſudant, æſtuque animi flagrant protinus pudefacti. Quamquam intolerabilius eſt, & ingenii penitus deplorati, ſi quis juvenis ad ſcomma rideat; & dum non pudet, nihil commovetur. Totum enim id accidit peccandi aſsiduitate, & inveterata conſuetudine: quemadmodum in carne callo obducta, quæ in plagis vibicem non ſuſcipit.... Quemadmodum igitur a medico ſectus, ſi mox aufugiat, nec patiatur ſe obligari, dolorem quidem ſenſit, ac curationis utilitatem non exſpectavit: ſic qui vulneranti, ac mordaci ſermoni morum pravitatem non exhibet ſanandam, a philoſophia diſcedit accepto morſu ac dolore; ceterum nihil interea promovit. *Lib. de Offic. audit. prope finem.*

Proficientium ſtatus.

CElebre eſt illud *Heſiodi* poëtæ:

† *Parvula ſi tentes ſuper adjeciſſe puſillis,*
Idque frequens peragas, magnus cumulatur acervus.

† *In Luſcinii verſione, quam ſequi videtur Granatenſis, ſic habentur hæc carmina:*

Addideris paullum ſi paullo crebrius, illud
Protinus aſſurgit, magnuſque videtur acervus.

Non equidem apte de augendis opibus ſolum dicitur; ſed cum ad res omnes, tum vero potiſsimum ad virtutum incrementa moreſque abſolutæ integritatis, duce ratione quæſitos, non abſurde quadrabit, ſi eo conferas. *Lib. de Profectu morum, poſt initium.*

Primum (a) autem argumentum, quo te ſentias in virtutis ſtudio profeciſſe, eſt amoris immenſitas. Non enim ſi depereas mulierem ex eo apparet, quod præſentia illius te oblectat: quandoquidem commune id eſt omnibus, amatis gaudere: ſed ſi mordicus eam retineas, ægreque divelli te hinc patiare. Videas equidem non paucos, qui cupidi admodum feruntur ad philoſophiæ ſtudia: verum mox ubi ad alia diverterint negotia, effluit affectus prior; nulloque dolore torquentur philoſophiæ deſiderio.... Non contenta eſt philoſophia, ut præſentia dumtaxat nos amore
* ſui capiant, veluti unguenta quorum abſentia nemo diſcrutiatur: ſed inediam quamdam ſitimque oportebit concipere, ſicubi avellimur: talique argumento intelligere utique licebit, nos vere profeciſſe. *Lib. de Prof. mor. paullo poſt initium.*

Huic primo indicio profectus circa virtutem, (b) confine eſt vetuſtiſsimum illud Heſiodi, viam ad eam ſudoribus ſtruentis documentum (*hoc eſt, aſperam non horrere viam*); etiamſi documentum hoc jam non admodum ſit obvium, aut celebre: nimirum quia omnis eo tendit cura, ut leni tramite, facili & compendioſo incedamus.... *Labores & moleſtiæ* philoſophiam a limine ſalutantibus ab initio ſolent contingere: haud aliter atque iis qui terram in navigatione ex oculis jam viſam amittunt; alteram illam ad quam tendunt nondum aſſecuti. Dum enim communia iſta ſolitaque eis ſubtrahuntur, neceſſe eſt (prius quam meliora intelligant, eiſque fruantur) in medio interim fluctuare, & plerumque retro labi. Id quod Sextio illi Romano jam olim uſu venit, qui urbanos honores † faſceſque (quibus ſeſe ob philoſophiæ ſtudium abdicaverat, negotio parum feliciter primo procedente) doloris impatientiâ rurſus

(a) *Primum indicium profectus amor vehemens.* (b) *Secundum aſperam non horrere viam.* † *Al.* Faceſque.

ſus affectavit.... Huc pertinet Diogenis item Sinopei exemplum memoriæ proditum, qui dum Athenis philoſophiæ ſtudium auſpicaretur, fuiſſe tum inſignem ajunt feſtivitatem, † ſumtuoſas cœnas & opiparas, ſpectacula, conventus celebres ac congreſſus, conviviaque in lucem uſque protracta: Diogenem interea in quodam angulo fori porrectum, membris ita compoſitis ut ſomnum caperet, verum cogitatione plurima diſtractum, & animo irrequieto turbatum, quod præter ullam neceſsitatem in tam monſtroſam laboriſque plenam vitam deſcendiſſet philoſophiæ ſtudentium. Proinde dum ſolus ipſe ſibi incumberet, univerſis bonis mortalium, deliciiſque gratiſsimis ſeſe ſpoliaret; hæc (inquam) dum tacitus animo ſecum volutaret, fama eſt, murem circa micas de pane illius decidentes occupatum a viro aufugiſſe, qui mœſto atque attonito animum reddiderit, his ſe ipſum verbis compellanti: quid iſthuc rei eſt o Diogenes? Hunc murem delicate paſcis; id quod tibi etiam ex neceſſario ſupereſt; tuque vir tantus vicem doles tuam, qui cum iſtis epulonibus non inſides virenti mollique ſtragulo, ac ſimul inebriaris? Dum igitur hujuſmodi avocamenta virtutis viam ingreſſo obſiſtunt, retroque trahere moliuntur, & ratio hominis clam repugnat, ad reſpondendum parata, conceptam facile dirimens ægritudinem; ea vero non levis conjectura eſt, felicis cujuſdam circa virtutem profectus. *Eod. lib. & loco.*

Ceterum... (a) joci pueriles, ſaleſque ridiculi, dum in philoſophiæ tirones jaciuntur, non raro offendunt illos atque dejiciunt.... Non abſurde *igitur* promoviſſe quiſpiam hoc indicio ſe intelliget, ſi placido & tranquillo ſit animo; ita ut nihil commoveatur quibuſcumque dicteriis, nihilque reluctetur. Potiſsimum autem convicia, & ludicra hujuſmodi irritamenta (b) ab aulicis in luxu & otio viventibus excogitantur.... Qui itaque tali ſeptus eſt robore, eaque pollet animi conſtantia, ut prorſus iſta queat negligere; is plane dignus habetur, quem philoſophia ſuis condecoret dotibus. In confeſſo autem eſt, ita natura comparatum eſſe,

† *Al.* Epulas publicas. (a) *Tertium, non irritari aliorum deriſione, vel detractionibus.* (b) *Tit. Scandalum.*

ut iſti (a) quos nulla tangit admiratio virtutis, ſedulo curent, quo ab aliis celebratam lacerent atque inſectentur. Itaque licebit aliquando per ſpeciem ſtultitiæ & malevolentiæ terga dare hominibus; & rurſus ſapienter atque recte ea quæ ipſi tantopere elevant, & ſuſpiciunt, animo conſtanti contemnere. Conferentes enim vana illa atque caduca noſtris, conditionem nimirum philoſophiæ protinus meliorem effecerimus. Exemplum in hac re abunde magnum & efficax nobis præſtitit Solon: at nos (inquit) cum iſtis non commutabimus (b) virtute divitias. Quandoquidem hæc noſtra in tuto ſunt: fortuna viciſsim ſuas opes modo concedit, modo diripit.... Et Ageſilaus quum de rege magno ſermo incideret: ecquid (ait) major eſt nobis, niſi juſtitia præſtet? *Eod. lib. paullo poſt.*

Eſt præterea (c) non mediocris commutatio rerum, quæ in ſapientiæ ſtudio ſolet accidere, dum (ut ingenue dicam) ſcita illa philoſophorum atque decreta, quiſque pro ſua accipit opinione, atque etiam lucro. Alius perinde ac volucres, omnia ad ſplendorem rerum naturalium, & acumen ſubtilitatis gloriæque appetentiam confert. Ille catellis non abſimilis (ut ait Plato) laniatu gaudet morſuque; & ad rixas atque contentiones ſophiſticas penitus flectit iter. Bona pars dialecticis artibus ſeſe involvunt, meros agentes ſophiſtas; victum quoque inde parantes. Rurſus invenias, qui ſententias recitant illuſtrium, & hiſtorias apponunt: quemadmodum Anacharſis dixit, videre ſe Græcos
* numiſmate ad nihil aliud uti, quam ad numerandum; eſſeque ad hunc modum inutiles, qui in numerato habent verba, neque alium fructum in commune conferant. *Ibidem.*

Curandum item, ut non tam philoſophorum libros perpetua lectione revolvamus, illoſque audiamus docentes; quam rerum copiæ verborumque intendamus animum. Neve potiſsimum eo inſiliamus, ubi major eſt difficultas, & dictorum quædam imparilitas, prætermiſsâ eâ parte, quæ eſt ſucculenta, pinguis, & frugifera. Sed & in poëtis atque hiſtoriis cautio adhibenda eſt, ne inter verborum ni-

to-

(a) *Mali bonis cur detrahant.* (b) *Tit. Virtutis decus.* (c) *Quartum, ea quæ quiſque audit aut legit, ad virtutem referre.*

torem & elegantiam elabatur, quod ad morum correctionem attinet affectuumque noxiorum alleviationem. Sicut enim floribus insidens apicula flavum mel (ut ait Simonides) ex succo conficit, quum alii nihil præter colorem odoremque in illis admirentur: ita appellentibus aliis animum ad poëticam lusus cujusdam & voluptatis gratiâ, nos contra intuentes id quod est operæ pretium, amore veri bocontra intuentes id quod est operæ pretium, amore veri boni consuetudineque domestica junctos, decet altius quiddam in ea re sapere. Jamque videre est eos qui Platonem evolvunt & Xenophontem, solius eloquentiæ comparandæ gratiâ (in quibus videlicet magis relucet Attici sermonis puritas) quo pacto illam colligant, veluti rorem aut pulverem: non admodum dissimiles iis, qui pharmaci odore capiuntur & † nidore; sanandi vim & purgandi negligunt. *Eod. lib. ante medium.*

Sunt præterea, qui majori fructu proficiunt (a) non solum ex doctrina & litteris; verum etiam ex spectaculis, ac quibusvis aliis negotiis norunt ad bonam frugem suis incrementis proficere, dum opes ad eam rem idoneas undique consarcinant: id quod fere de Æschylo ferunt suique similibus.... Sic Brasidas dum murem inter caricas corriperet, ac mox dimitteret acceptu morsu: o Hercules (ait) quam non est ullum animal tam exiguum & infirmum, quod pro vita non dimicet, pœnasque ab infestatoribus ultrices sumere non audeat! Diogenes item bibentem quemdam e manu conspicatus, mox poculum e pera ceu supervacaneum abjecit. In hunc equidem modum si quis attendat, & amplificet studia, expertus nimirum atque peritus rerum evadat oportet, dummodo congerat omnia ad germina virtutum.... Videas enim nonnullos etiam num discentes, qui mox ad ostentationem omnia conferunt; hoc solo respectu ex philosophia quidquid licet decerpentes, ut mox in forum vel juvenum cœtum, aut certe veluti circulatores in regium convivium apportent. Verum ii plurimum falluntur opinione, dum putant id esse philosophari. Perinde

† *In Luscinii interpretatione Parisiis edita an.* 1566. *qua utor, non* nidore; *sed* nitore *habetur.* (a) *Quinctum, ex omnibus rebus philosophandi occasionem arripere.*

* de atque ſi quis credat, vulgo commixturas & pharmaca
populo vendere, id eſſe mederi, dum longe aliud medi-
* ci ſciamus eſſe officium. Deinde non admodum differt ſophiſta hujuſmodi ab Homerica illa volucri, quæ pullis implumibus id pabuli quod nacta eſt, in os mittit, ſuo corpori ne quidquam profuturum. Ita enim accidit ei, qui aliis, (a) non ſibi philoſophatur. Atque adeo neceſſaria eſt hæc cautio, ne philoſophemur ſine fructu. Nobis enim in primis confert philoſophia, maximoque eſt uſui: erga alios autem præter docere & diſcere, inanis quædam oſtentatio & ambitio pleŧumque ſe prodit. Idque potiſsimum, quando altercandi materia & lites quæſtionibus ſubinde implicantur, finiſque totus in eo conſtituitur, ut ſermones veluti lora quædam pilæque per manus viciſsim tradantur. Eoque magis jam intenditur animus, ut vocibus inconditis obſtrepamus; & omnia diſrumpere magis videamur, quam docere quippiam aut diſcere. Proinde (b) in hac re benignum ſe exhibere & placidum, ita ut in arenam minime deſcendas, & per iracundiam non diſſolvas quæ in commune ſunt prolata; neque conviciis inveharis in eum, quem reprehendas; ut inique feras illatam contumeliam: evidens plane documentum eſt, hominem in philoſophiæ ſtudio promoviſſe. *Ibidem.*

Qui recta ad virtutem contendunt, eos decet per occaſionem uſu rerum exercitari potiſsimum. Deinde (c) quod huic eſt proximum, applauſum qui oratores manet, ſtrepitumque theatricum non plurimi facere.... Tantum autem abeſt, ut aliquantiſper progreſſus in ſapientiæ ſtudio, non reticeat apud aliquos ſi quid largitus ſit amico, aut operis quippiam præclare geſſerit; ut etiam iniqua ſuffragia per largitiones, aut potentis cujuſpiam interceſsionem pro ſe, amoliri adnitatur: non reſpiciens ad munera; quamquam hinc fames, hinc ſitis premat. Quippe ſatius fuerat, ſolidam noctem cum inedia agere, quam cum virtute veroque bono pugnam inire. Ita plane Ageſilaus vitam inſtituit, dum tacitus bona ſua ſecum circumferret, abunde ma-

(a) *Sextum, oſtentationem & rixas fugere.* (b) *Sedata diſputatio ſapientiæ & profectus indicium.* (c) *Septimum, non captare applauſum.*

magnus buccinator ipſe met ſibi. Lætabatur (a) enim ex animo, quod teſtis ſibi eſſet idoneus ſpectatorque bonorum, intus rationem certo ſibi commorari oſtendens, jamque egiſſe radices, poſtea quam juxta Democritum adſueverat ex ſeſe voluptatem accipere. Ut autem agricolis perjucundum eſt videre ſpicas inclinatas ad terram & nutantes: nam quæ ob levitatem ſurſum tendunt, inanes eſſe creduntur ... ita philoſophaſtri quidam vani, nihil habentes ponderis (b) aut gravitatis, elato ſunt animo, & in habitu, inceſſu, vultuque nihil præter merum faſtum, aliorumque præ ſe contemtum produnt. Perſpicuum eſt igitur, eis qui fructum ex philoſophiæ ſtudio percipere moliuntur, deponendum eſſe protinus quidquid vanum eſt & arrogans. * Et quemadmodum e vaſis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur: ſic (c) qui in philoſophiæ ſtudio veris implentur bonis, faſtum exuunt, mitioremque de ſe concipiunt opinionem; parum jam barbam jactantes & pallium, dum omne ſtudium ad interna transfertur. Adde quod ſibi ſeveriores tum fiunt, magiſque rigidi; aliis contra benigni & placidi. Denique non uſurpant ſolitam philoſophiæ gloriam inſigneque nomen: ſed in mutuis colloquiis dum ſuper ea re incidit ſermo, abunde ſatisfactum eſt, ſi quis bonæ indolis novitius prædicetur.... Huc pertinet quod † a Menandro non minus vere quam eleganter dictum eſt: complures videlicet eſſe qui Athenas navigent philoſophiæ gratia, primum ſapientes, deinde ſapientiæ amantes, ac mox rhetores; neque ita multo poſt idiotas, rerumque omnium ignaros ſeſe appellare. Quo enim magis cuique ex philoſophia accedit rationis, eo plus decedit faſtus & arrogantiæ. *Eodem loco.*

Animadvertendum (d) præterea, quo pacto in morbis communibus, ut in dentium aut digitorum dolore, confeſtim medicus quæritur ... quum *tamen* gravioribus malis impliciti, veluti phrenetici, atra bili inſaniaque affecti, ob * mor-

(a) *Tit. Bona conſcientia.* (b) *Tit. Præſumtio. Arrogantia.* (c) *Tit. Modeſtia ſapientiæ comes.* † A Menedemo *legendum reor; non* a Menandro, *ut perperam Granatenſis. Menedemum enim habent quotquot vidi exemplaria.* (d) *Septimum, ſi pecces, correctionem admittere.*

morbi vehementiam quam minime ſentiunt, non recipiant medicum; ſed aut explodunt, aut fugiunt. Atque in eum modum (a) quicumque peccant, & monitoribus vitia corrigentibus ſunt aſperiores; hi profecto malo laborant non admittente curationem. Contraque, omnes æquo ferentes animo reprehenſionem, bonam ſpem exhibent melioris cujuſdam habitudinis. Qui enim ſeſe ingenue offert corripientibus, peccatum profert, malum fatetur, non paſſus latere aut ignorari, proditque corrigenti adjunctis etiam precibus; is demum ſpecimen præſtiterit non contemnendi in philoſophia progreſſus. Nam quiſquis ad bonam frugem ex corruptis moribus pervenire deſiderat, opus habet (auctore Diogene) diligenti amico, vel acri fervidoque hoſte, ut peccatum fugiat aut correptus, aut certe humaniter ac blande curatus. *In eod. lib. poſt medium.*

Æſtimare jam liceat, quam frugiferum ſit (b) quod Zeno ſcriptum poſteritati reliquit, dum jubet ex ſomniis deprehendere, num profecerit quiſpiam in ſtudio virtutis. Si enim in ſomnis nulla capitur voluptate erga turpitudinem; neque gravi inhiat crimini, quo ſe contaminet; prorſuſque nihil videt cum vitio & fœditate conjunctum: conſentaneum eſt, omnia in tuto eſſe poſita. Tum enim imaginaria hominis virtus, ſimul cum eâ quæ affectibus eſt obnoxia, rationi ſubjectæ ac parentes, non aliter atque fundus ſinceri amnis & tranquilli liquido apparent.... Quem-
* admodum igitur jugales equi ab auriga recta currere inſtructi, non deſerunt viam, illo etiam habenas remittente; ſed perpetuo curſu non aberrant a præſcripto: ſic quibus bruti affectus jam in totum ſunt domiti & ſub jugum rationis miſsi, certi ſunt, quod nec in ſomnis nec in morbo facile recalcitrant, aut delinquunt: nihil enim agent præter ſolitum, eodem tenore perdurantes. *Ibidem.*

Quoniam autem (c) vera atque perfecta indolentia res eſt magnifica, prorſuſque divina (quam appellare nobis hic licebit profectum, ſive promotionem circa virtutem, lenimento quodam & remiſsione conflatam affectuum;)

par

(a) *Tit. Correctio.* (b) *Octavum, in ſomnis nihil flagitioſum videre.* (c) *Nonum, affectus noxios experiri ſedatiores.*

par eſt, ut diligenti indagine facta, certoque judicio, primum nos ad ipſos affectus, deinde illos inter ſe compa-
remus, quo verius conſtent acceſsionum diſcrimina. Illud autem efficiemus, intelligendo malorum deſideria in nobis jam eſſe remiſsiora, quam fuerint olim. Advertendum etiam, num in victus ratione rigidiores nobis ipſis; an licentia nimia ſimus laxiores: in rebus gerendis maturitate utamur; an inconſulta temeritate: admiratione item hominum atque virtutis potius tangamur, quam contemtu. Itaque ſicut morbis in alias corporis partes migrantibus, ſolitaſque relinquentibus, ſpes de ſanitate concipitur: ita pravorum affectuum commutatio in eos qui minori periculo videantur ferendi, donec prorſus explodantur, profectus nimirum eſt ad meliora non inevidens argumentum. *Lib. de Prof. mor. prope finem.* *

Argumentum quoque *profectus* idoneum (a) id erit, ſi mox imitari conemur, quod nobis eſt admirationi, ſeduloque probatur.... Exemplo eſſe poterit Themiſtocles Athenienſis, qui ſolus inter omnes municipes.... noctes agendo inſomnes, Miltiadis trophæa a me (inquit) excitant, & quietem capere non ſinunt. Quibus verbis id plane edocuit, ſe non tam præconem eſſe virtutis & admiratorem, quam præſentem ſectatorem, & virtutis in bono æmulum... Dum igitur verum bonum in hunc modum diligere ordimur, ut non ſolum ex Platonis ſententia beatum jam animo reputamus virum illum egregium; ſed etiam parem felicitatem tribuimus auditori, qui ſermonem ex ore ejus prodeuntem excipit: immo vero habitum, hominis inceſſum, aſpectum, riſumque cum admiratione diligimus, ita ut ad illius exemplum totos nos ipſos componere geſtiamus, eique perpetuo adhærere: tunc plane licebit fateri, nos haud dubie in virtutis tramite profeciſſe. *Ibidem.*

Præterea (b) invenias nonnullos, qui non tam bonis gaudent felicibuſque hominum dotibus, quam ipſis ineptiis, veluti balbutie & pallore, nimirum amantium more. Nam Panthiæ mulieris lacrimæ ac luctus; immo ipſa quo-

(a) *Decimum, virtutem quam admiraris æmulari, & vitium fugere.*
(b) *Undecimum, virtuti conjuncta non formidare.*

quoque animi indignatio & malignitas virum Araſpem attonitum in amorem reddiderunt. *Lib. de Prof. morum, prope finem.*

Jam ſi libeat, præter ea (a) quæ recenſuimus indicia profectus, & hoc item non parvi momenti adjungas velim: ne quis peccatum aliquod reputet exiguum; ſed ſollicite quodvis caveat atque devitet. Ut enim qui ſe divites
* fore deſperant, impendia exigua flocci pendunt, nihil magni efficere illa credentes, ſi tenui acervo acceſſerint: (at ſpes diteſcendi nihil negligit quantumcumque exigui lucelli; eoque magis auget æris appetentiam, quo propius admotæ fuerint opes:) ſic haud dubie uſu venit in negotiis per virtutem gerendis: non enim illhic locum habet indulgentia, ut dicas, hoc perpuſilli momenti ad iſtud eſt.... Nam ſi in id quod eſt minimum ſemel ingreſſa fuerit ſcelerum perverſitas, licentia conceſſa patrandi ea, ad quæ alioqui ſumus propenſi; corruere nimirum & contaminari ſimul re-
* liqua animi bona neceſſe eſt.... Ceterum qui ſepem conſtruunt aut agerem, nihil ſunt attenti, cujuſmodi ſit lignum aut lapis: accipiunt enim quicquid caſus obtulerit, & inter hæc columnam aliquam e ſepulcro forte collapſam. Id quod fere agit vulgus ſceleratorum, omne opus in ſuum quæſtum, utcumque acciderit, conglomerans &
* corradens. Porro qui proficiunt in ſtudio virtutis, vitæ ſuæ non aliter atque fano cuidam, aut regiæ aureum ſubjiciunt fundamentum, nihilque temere admittunt in tale opus; ſed ad rationem veluti amuſsim omnia redigunt atque componunt. *Eodem lib. in fine.*

Sacerdos.

QUid eſt (b) quod Flamen Dialis mortua uxore ſacerdotio ſe abdicat?... An eodem tempore uxor una cum viro conſecratur; quemadmodum multa ſunt in ſacris, quæ abſente uxore agi nequeunt? Priore autem amiſ-

---

(a) *Duodecimum cavere peccata etiam minima, quæ nos venialia nuncupamus.* (b) *Sacerdotum etiam Gentilium bigamia prohibetur.*

amiſſa, alteram ſtatim ſuperducere tum difficile eſt, tum vero iniquum atque impium. *In Problem.*

Cur *igitur* ſacerdotibus (a) nec magiſtratum capere, nec petere permittebatur; & tamen lictore utuntur, & ſella curuli ob honoris cauſam & conſolationem, quo minus ægre ferrent, ſi a magiſtratibus arcerentur?... An quod quum certum eſſet & ſtatutum tempus ſacrificii; regum vero opera & actiones incertæ, ac minime præfinitæ; fieri non poterat, ut quum in idem ſæpenumero tempus inciderent, idem utrique adeſſet: ſed utriſque urgentibus, ſæpe oportebat, ut altero relicto nunc deos coleret, nunc civibus noceret? *In Problem.*

Rex, Princeps.

QUi apiaria curant, & ipſis apibus ære & uſu nutriendis operam ſedulo dant, quas ingenti bombo & ſtrepitu de cellulis conſpicantur prodire, validas eas atque uberes eſſe conjectant: quem vero Deus civilis & ratione præditi examinis curæ atque cultui præfecit, quiete is (b) atque manſuetudine populi felicitatem potiſſimum metitur, & conjectura conſequitur. *In Politica, prope finem.* *

Ariſtoteles ad Antipatrum ſcribens, Alexandro (inquit) prædicabile id ac præ ſe ferendum eſt: non modo (c) quod quam plurimis gentibus imperitet; ſed etiam quod rectam de divinis præter alios opinionem habere poſsit. *Lib. de Tranquil. Animi, paullo poſt med.*

Alexander adoleſcens, vix dum adeo puerili ætate exacta, Babylonem auſus eſt Suſaque illa ſperare. Babylonem Suſaque dico? immo vero gentium omnium imperium ſpondere ipſe ſibi, triginta peditum millium, quattuor equitum numero fretus.... Egregium vero permagnumque ei fortuna viaticum in hanc expeditionem ſeptuaginta prærogavit talenta, ut Ariſtobolus prodidit, triginta dierum commeatus.

(a) *Quid hic hæretici dicent, qui unum caput rebus ſacris & profanis præficiunt?* (b) *Tit. Manſuetudo.* (c) *Tit. Religio.*

tus. At enim inconſultus temerariuſque Alexander, tam ſpernendo apparatu in tantas opes profectus? Minime. Quis enim majoribus unquam pulchrioribuſque rerum opportunitatibus fretus ad res gerendas profectus eſt? animi ſcilicet magnitudine, rerum intelligentia, moderatione, fortitudine: quibus eum rebus philoſophia ad hanc obeundam expeditionem inſtruxerat. Profecto ab Ariſtotele præceptore pluſculum quam a Philippo patre habens potiendarum rerum inſtrumentum, in Perſas tranſiit.... Non enim Alexander (quemadmodum Ariſtoteles ei auctor fuerat, ut Græcis ſe ducem, Barbaris dominum præberet; utque illos ut amicos & neceſſarios honori haberet; cum his vero ut cum belluis, atque adeo ſtirpibus ageret) ita ſeſe comparans, exſiliis (quæ plerumque bellorum ſemina ſunt) diſcordiiſque infidis imperium ſuum fœdavit. Verum quum ſe divinitus miſſum communem univerſorum diſceptatorem exiſtimaret, conſtituendiſque mundi rebus arbitrum; quos verbis inter ſe conciliare non poterat, armorum vi ſubigens, in unum omnia componens, perinde atque propinato poculo vitas, mores, connubia, vivendi inſtituta miſcens; patriam quidem omnes orbem terrarum exiſtimare voluit: cognatos vero viros bonos, alienigenaſque pravos. Ad hæc Græcos & Barbaros non chlamydem, non peltam dirimere; ſed Græcos virtute potius, Barbaros vitio internoſci. *Lib.* 1. *de Fortuna & virtute Alexandri.*

Demaratus, ut ajunt, Corinthius, hoſpes amicuſque Philippi, quum Alexandrum Suſis vidiſſet, gaudio perfuſus & illacrimans, ingentis dixit gaudii exſortes fuiſſe Græcos qui antea obierant; quandoquidem Alexandrum non vidiſſent in Darii ſolio ſedentem. Equidem quod ad me attinet, quibus id Græcis cernere licuit, eos non magnopere beatos cenſuerim dumtaxat propter hoc ſpectaculum, utpote quod fortunæ fuerit, vulgariumque regum. Illa vero viſenda (a) auguſtaque ſponſalia avide mihi ſpectaturus fuiſſe videor, quum ſub uno auro inſigni tentorio coactis in eoſdem penates eamdemque menſam centum Perſidibus ſponſibus, totidemque Macedonibus & Græcis, coronatus ipſe,

(a) *Tit. Conjugium.*

ipſe, primus hymenæum orſus, & tanquam † philotheſium canticum accinens, maximis potentiſsimiſque populis in amicitiam coëuntibus, unius ipſe ſponſus, omnium vero auſpex idem & conciliator, hos cum illis legitimo conjugio vinciebat. Præcupide enim dixiſſem: i nunc barbare ſtolideque Xerxes: multis te ne quidquam laboribus jungendo Helleſponto angito. Hoc potius pacto, mentis reges compotes Aſiam Europæ jungunt: non lignis, non ratibus, non inanimis affectuumque expertibus vinculis; ſed amore legitimo, caſtis conjugiis, liberorum pignoribus gentes inter ſe vincientes. Ceterum Alexander (a) Perſarum cultu inſpecto, Medorum quidem veſtem admittere noluit; Perſicam vero ſumſit, illâ longe viliorem. Ex barbarico enim ornatu inſolentiſsima quæque, & prope dixerim, tragica reſpuens; miſcellaneum quoddam geſtamen ex Perſico Macedonicoque habitu inſtituit, ut auctor eſt Eratoſthenes: diverſis quidem ut philoſophus utens; ut communis autem imperator rexque clementia præditus, honore veſti habito, eorum (quos armis obtinuerat) animos ſibi concilians; quo magis in fide permanerent Macedones, ut ſibi imperantes amore, non odio ut hoſtes proſequentes. *Ibidem.*

Belluas captantes homines, cervorum ſibi tergora ob- *
volvunt; plumatiſque tuniculis amiciuntur, qui ad aucupia exeunt. Taurorum conſpectum vitant, qui puniceas veſtes geſtant; ut elephantorum, qui candidas: nimirum quod iis coloribus irritentur, & efferentur belluæ. At magnus ille rex gentes indomitas ferarum in modum manſuefaciens, vernaculis eas veſtibus, aſſuetiſque vivendi inſtitutis demulſit, placidioreſque reddidit: cum animi eorum iniquitatem ad obſequium revocans, tum vero ægritudinem leniens... Haud quaquam enim Aſiam latrocinii modo perſultans, lacerare paſsim divexareque inſtituit, perinde atque prædam ſpoliaque inſperatæ felicitatis futuram; quo modo poſtea Annibal Italiam, & antea Treres Joniam, & Scythæ Mediam invaſerant: verum † uni omnino † verbo omnia quæ ubique terrarum ſunt, audientia; & unum unicæ reipubli-

† *Hermannus Cruſerius*: Convivale carmen accinens. (a) *Totum hoc exemplum Incarnat. dominicæ myſter. mire repræſentat.* † *Al.* Uno. † *Al.* Rationi.

cæ populum cunctos homines efficere volens, ita ſe comparabat. *Eod. lib.* I.

Videamus jam Alexandri voces: quandoquidem regum principumque mores maxime ex vocibus depromuntur. Antigonus ſenex, ſophiſta quodam ei commentariolum de juſtitia inſcriptum porrigente: ſtolidus es (inquit) qui quum me videas alienas urbes vexantem; nihilo minus apud me ſermonem de juſtitia habeas. Dionyſius tyrannus cenſere ſe dictitabat, ut pueros talis; ſic viros jure jurando fallendos. In Sardanapali inſcriptum monumento hoc viſitur:

† *Hæc habui quæ voravi: quæque per injuriam abſtuli.*

Quis iſtis dicteriis tum voluptariam vitam neget, tum impietatem, tum injuriam violentiſsimamque improbitatem promi? Ab Alexandri dictis regia modo inſignia nataleſque tolle; jam Socratis, aut Platonis, aut Pythagoræ videbuntur. Sed nunc non illas expendimus verborum inſolentias, quas ſimulacris ejus poëtæ, ſtatuiſque inſculpere ſolent; non ad ipſius modeſtiam reſpicientes, ſed opes potius & potentiam attendentes: cujuſmodi illud eſt:

Æreus in cælum ſuſpectans fare quid ajat:
Jupiter, aſſerui terram mihi; tu aſſere cælum.

Et rurſus: Alexander ego Jove natus. Hæc igitur poëtæ (ut diximus) fortunæ ipſius blandientes affingere ſoliti ſunt. At vero uſurpatorum ab ipſo re vera dictorum, puerilia primum percenſenda ſunt. Hic igitur quum pedum pernicitate æquales omnes facile præſtaret; amicis ut ad Olympia ſe conferret flagitantibus, ſciſcitatus eſt, num reges Olympiæ certarent? Quibus id negantibus: iniquum (inquit) certamen eſſe oportet, in quo victori quidem privato eſſe licet; regi vero victo. Quum pater ejus Philippus apud Triballos femore lancea trajecto, periculo liberatus, mœrore tamen angeretur claudicantis cruris deformitate: ſuſtine (inquit ille) pater: ne vereare in publicum te agere, quo magis virtutis in gradiendo memineris. Hæc & hujuſmodi alia non ne animi dicta ſunt philoſophiæ præ-

† *In Cruſerii interpretatione ſic numeris adſtringitur inſcriptio:*
Hæc habeo, quæ edi; quæque exſaturata voluptas
Hauſit.

præceptis imbuti, qui honesti splendore captus, flocci jam faciat corporis detrimenta? At si quando Homeri carminum perpensio, aut in ludis litterariis, aut super convivium fieret, alio aliud (ut fit) præponente; hoc ipse ut omnium præstantissimum probabat:

Regnatorque bonus, simul atque acerrimus hasta.

Videlicet interpretatus, quam laudem Homerus aliquot antea sæculis de Agamemnone temere scripsisset; legem hanc sibi latam esse: adeo dicere solitum ferunt, eodem versu Homerum Agamemnonis virtutem commendasse; Alexandri vero vaticinatum esse.... Philosophici porro animi est, sapientiæ amore capi, sapientesque viros in primis suspicere. Hoc in Alexandro ut in regum fuit nemine. *Ad hoc probandum commemorat Plutarchus magnifica dona quæ in aliquot insignes Philosophos Alexander contulit: deinde subdit*: Jam vero cum Diogene ipso ad Corinthum agente collocutus, adeo vitam ejus obstupuit, animique ejus dignitatem admiratus est; ut sæpe quum in mentionem ejus incideret, diceret: Nisi essem Alexander, Diogenes forsan essem: id est, litterarum studiis me addicerem, nisi re ipsa philosopharer. *Ibidem.*

Ut fruges aëris temperie liquidioreque cælo exuberant: haud secus bonæ artes, eximiaque ingenia benignitate, honorificentia, humanitateque regia evocantur; contraque invidia, sordibus, morositate eorum qui rerum potiuntur, restinguuntur & langueſcunt. Alexander Pheræorum tyrannus tragœdum quemdam quum spectaret, supra modum in misericordiam versus est, ita afficiente eum aurium voluptate. Prosiliens igitur ex theatro, accelerato gradu abibat; indignum esse fremens, si qui tot cives excarnificatus sit, is Hecubæ Polyxenæque casibus illacrimasse videretur. Nec multum abfuit, quin tragœdum male mulctaret; videlicet, quod animum ejus tanquam ferrum mollierat.... Scytharum rex † Antæas Ismeniam tibicinem bello captum, jussit super cœnam canere. Omnibus autem admirantibus & præ voluptate plaudentibus, jure jurando affirmavit, suavius se interdum equum hinnientem audisse: us-

† *Al.* Atheas.

uſque adeo aures habebat a Muſis abhorrentes, animamque in præſepiis, immo vero audiendis aſinis quam equis appoſitiorem. Quod igitur artium argumentum apud hujuſmodi reges? Quis artibus honor, aut Muſis haberi poteſt? *De Alexandri fortuna, vel virtute, Lib. 2. penes init.*

Alexander Epheſtionem aliquando caſtigans (ut fertur) cum Cratero ſimultates exercentem: quæ tandem (ait) tuæ ſunt opes, aut quod tuum facinus, ſi quis tuum tibi Alexandrum demat? Hoc itidem nunc ego ad illius ævi fortunam dicere non dubitarim. Ecqua tua amplitudo? ecqua tua gloria? Nunc ubi tua potentia? nunc ubi invicta virtus, ſi quis tibi Alexandrum demſerit? Si quis (inquam) demſerit (a) in armis peritiam, in opibus liberalitatem, in magnificentia moderationem, in certaminis diſcrimine fiduciam, in victoria clementiam? Age fac, ſi potes, alium magnum ducem, ut opibus liberaliter non utatur: ut non ante acies ſuas progreſſus diſcrimina ſubeat: amicos honori non habeat: ut non in captos miſericordem ſe præbeat: ut in fruendis voluptatibus ſibi temperare nequeat: ut in occaſiones bene gerendæ rei non immineat: poſtremo ut in victoria exorabilis non ſit. Jam vero quis magnus in potentatu cum ſtultitia & flagitiis? Tolle virtutem fortunati hominis: jam uſquequaque parvus erit. In conferendis beneficiis ob ſordidam parſimoniam: in exſudandis laboribus ob mollitiem. Apud deos ob ſuperſtitionem: erga bonos ob invidiam. Inter viros ob ſocordiam: inter mulieres ob affectus voluptarios. Et ut ignari artifices quum parvis ſimulacris magnas ſubjiciunt baſes, magis conſpicuam reddunt illorum exiguitatem: ita ampla fortuna, quum in puſillum animum incidit. Idcirco non in habendis rebus; ſed in utendis magnitudo ſita eſt. *Ibid. paullo poſt.*

Sunt qui victorias Alexandri fortunæ tribuant. Quibus ita Plutarchus reſpondet. Num etiam a fortuna temperans, aut bene volente fortuna temperans fuit? Aut num fortuna præſidio quodam munito animum ejus ſecurum præſtare potuit, ut ne a voluptatibus lancinaretur, neu libidinibus sau-

(a) *Regii mores.*

ſauciaretur ? Atqui hæc & hujuſmodi erant, quibus Darium vicit : cetera armorum equorumque ſtrages erant, prælia, cædes, fugæque hominum.... Ut enim magnus propter fortunam fuerit ; major certe vel ob id ipſum, quod fortuna recte uſus eſt : quoque magis fortunam extuleris, virtutem eo magis commendaris, nempe propter quam dignus fortuna fuit.... Reges alios efficiunt fortunæ beneficia, ad nova honorum inſignia promoventia nec opinantes. Alexandro vero quid ſupra dignationem? quid citra ſudorem? quid incruenta victoria? quid citra pulveris, ut dicitur, tactum? poſtremo quid illaboratum obtigit? Amnes ſanguine mixtos bibebat, quos cæſorum corporibus junctos trajiciebat. Herbam fame enectus edebat, quam primam offendiſſet. Obrutas altis nivibus gentes adiit. Urbes ſub terram merſas excidit ; pugnantia maria navigavit; arida Gedroſiorum, Arachoſiorumque litora permenſus. Quod ſi ut hominem, ita fortunam affari liceat, ita ſane dixerim : nunc, ubi tu aut ecquando Alexandri rebus geſtis aditum præbuiſti? Ecquod tandem ſaxum incruento per te Marte cepit? Ecquam ei urbem præſidio vacuam objeciſti? Ecquam inermem phalangem? Ecquis aut rex ignavus, aut imperator ſocors, aut dormitabundus cuſtos inventus? Ecquis amnis facile commeabilis? Ecqua mediocris hiems? Ecqua æſtas non infeſta? Apage ſis hinc fortuna : faceſſe ad Antiochum Seleuci filium : faceſſe ad Artaxerxem Cyri fratrem : proripe te ad Ptolemæum Philadelphum. Illos enim ſuperſtites etiam patres, reges appellitarunt. Præliis illi vincebant illamentabilibus. Feſtos illi dies per pompas & ſpectacula ad extremum vitæ agebant. Denique illorum quiſque per ſummam felicitatem in regno conſenuit. En tibi Alexandri corpus, ſi nihil aliud, certe ab imis unguibus ad verticem ſaucium, diſciſum, contuſum, ab hoſtibus denique cæſum,

Et jaculo, & gladio, & torti libramine ſaxi.

Deinde multa & graviſsima vulnera ſingillatim enumerat, quæ pugnando accepit. Ibidem, poſt medium.

Alexander (a) in ſeſe ingentes ſpes habebat ; pietatem

(a) *Regii mores.*

in Deos, fidem erga amicos, frugalitatem, continentiam, † beneficentiam, adverſus mortem intrepidam exſpectationem, robur animi, humanitatem, appellandi dexteritatem, ingenii candorem, in explicandis conſiliis conſtantiam, in gerendis rebus celeritatem, & in primis adipiſcendæ gloriæ propoſitum. *Lib. 2. de Fort. & Virt. Alex. prope finem.*

Plato rogatus a Cyrenenſibus ut ſibi leges ſcriberet, ſcriptaſque relinqueret, ac Reipub. ſtatum componeret; recuſavit, dicens: eſſe perdifficile (a) leges condere Cyrenenſibus, qui tam eſſent felices. Nihil enim tam ſuperbum, nihil tam intractabile ac moroſum eſſe, quam hominem, quem felicitatis opinio corripuerit. Quapropter difficile eſt his qui gerunt imperium, de imperio conſulere. Reformidant enim rationem, ceu principem admittere: ne potentiæ bonum quod habere videntur, impediat; ſi id aſtringat & ſervire cogat honeſto. *Lib. de Doct. Principum, in princ.*

* Plerique reges ac principes parum cordati, ſtatuarios imperitos imitantur, qui credunt coloſſos magnos & amplos videri, ſi tibiis vehementer diductis late diſtentos & hiantes finxerint. Nam hi quoque (b) gravitate vocis, torvitate vultus, ac morum truculentia, fugaque conſuetudinis humanæ, majeſtatem & auctoritatem imperii ſibi videntur imitari; nihil prorſum a coloſſorum ſignis diſcrepantes: qui quum foris heroicam ac divinam quamdam ſpeciem præ ſe ferant; intus pleni ſunt terra, lapide, plumbo: niſi quod iſtud coloſſorum pondus rectitudinem illorum ſtabilem & immotam ſervat. At ineruditi duces ac principes (propterea quod intus male librati ſunt) ſæpenumero vacillant, ac ſubvertuntur. Etenim quum baſi non recte poſitæ ſublimem ſuperſtruunt poteſtatem, ſimul cum ipſo pondere nutant, & ad ruinam inclinantur. Verum * quemadmodum oportet ut ipſa regula primum recta ſit, nihil habens obliquum; deinde cetera ſibi admota, quatenus ſibi congruunt, exæquet: conſimili modo princeps, po-

† *Al.* Rerum peritiam. (a) *Tit. Proſperitas.* (b) *Gravitas & auctoritas falſa.*

poſtea quam imperium in ſe ipſo paraverit, ac direxerit, vitamque ſuam compoſuerit; tum debet ſibi applicare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis eſt, alium erigere: nec (a) ignorantis, docere: nec incompoſiti, componere: nec ordinare, inordinati: nec imperare, ejus qui non pareat imperio. At, qui parum ſapiunt, illud præcipuum imperii bonum eſſe ducunt, quod nullius imperio ſubjaceant... Quis igitur imperabit principi? Nempe lex omnium regina, & mortalium & immortalium, ut ait Pindarus: non iſta quidem lex foris in libris, aut ligneis ſcripta tabulis; ſed viva illi inſita ratio, ſemper convivens ac familiaris principi, nec unquam animum ſuo ductu, ſua moderatione deſtituens. Nam Perſarum rex unum habebat cubicularium, cui hoc negotii mandatum erat, ut diluculo ingreſſus illi diceret: ſurge rex, atque ea cura negotia, quæ te curare voluit Meſoromaſdes. At erudito prudentique principi (b) intus in animo adeſt, qui ſemper idem dictet, ac jubeat. *Lib. de Doct. Principum, paullo poſt init.*

Ceterum principem magis oportet timere, ne quid mali faciat, quam ne quid patiatur. Nam hoc ex illo naſcitur. Atque hic eſt principis metus, & humanus, nec ingeneroſus; ut his quibus imperat, metuat ne quid ſe inſcio lædantur. Non aliter atque canes nocturnam atque labo- *
rioſam agentes ovium in ſeptis cuſtodiam, ſimul atque trucem audierint feram, timent, non ſibi, ſed his quæ cuſtodiunt. Cato in Utica victore Cæſare, reliquos omnes juſsit ad mare vocari. Eos ſimul atque navi impoſuiſſet, ac proſperam eſſet navigationem precatus; ipſe reverſus domum, ſibi necem ſua manu conſcivit: docens videlicet, quibus debeat timeri princeps, & quæ debeat contemnere. Contra Clearchus Ponti tyrannus arculæ incluſus, ſerpentis in morem dormire ſolitus eſt. Et Ariſtodemus Argivus in cœnaculo domicilium habebat, oſtio penſili, cui impoſita lectica dormire conſuevit una cum amica. Puellæ vero mater ſcalas detrahebat, eaſque rurſus apponebat orta luce. Quantopere creditis hunc horruiſſe theatrum, palatium, curiam, convivium, qui e cubiculo ſibi ipſi carce-

(a) *Tit. Doctor.* (b) *Numen intelligit.*

cerem fecerit? Itaque qui vere ſunt reges timent his, in quos habent imperium: contra tyranni eos ipſos timent. Proinde metum augent, aucta potentia: propterea quod quo pluribus imperant, hoc plures metuunt. *Lib. de Doct. Principum, prope fin.*

Si regibus contingeret rectum conſilium, juſtitia, probitas, fortitudo; continuo futurum eſt, ut omnes adjuventur, fructumque capiant, qui cum eis habent commer-
✲cium. Ferunt, ſi † erugium herbam unam quævis capra ſumſerit in os, primum ipſam ſiſtere, deinde reliquum omnem gregem cum illa conſiſtere, donec accedens caprarius herbam eximat. Ejuſmodi quædam vis fluit a poteſte principis, quæ ignis in morem depaſcatur ac diſsipet quæcumque propius admota fuerint. *Lib. de Diſp. Philoſ. cum Princip.*

Sapienter celebratum eſt veteri proverbio: oportet ut is impellat remum, qui didicit. Sic contra (a) qui aliis artibus permittit diſciplinam, ſpolians illa ſolam virtutem; nobis ſe præbeat ridendum oportet. Diverſum ſane hic a barbaris illis mihi agere viſus eſt Scythis: qui (Herodoto teſte) ſervis eximunt oculos. Quid mirum? quippe mancipiis. Verum hic noſter vir bonus artibus cunctis diſciplinæ certam rationem ceu oculum imponens, virtuti (quæ omnium princeps eſt & regina) ſi diis placet, conatur eruere. Quod ſi cui nondum eſt perſuaſum, virtuti primas deberi, Iphicratem audiat Athenienſium ducem, qui per contumeliam interrogatus a Callia Cabrii filio, quiſnam eſſet, num ſagittarius, ſcutifer, eques, aut armiger? Nihil horum, inquit, ſed omnibus hiſce imperans. Jure igitur optimo jam explodendus eſt nobis, qui jaculari, arma geſtare, fundam impellere, & equitem agere, judicabit ad doctrinam pertinere: imperium autem adminiſtrare, & ductitare exercitum, ita ut forte fortuna obvenerunt; cuiquam adeſſe, nec ullam prius inſtitutionem requirere. *Lib. de Docenda virtute.*

¶ *Vide etiam hac de re Tit. ſequentem*, Judex, Magiſtratus. *Item Tit.* Reſpub. *Item Tit.* Potentes & Potentia. *Item Tit.* Proſperitas.

† *Al.* Eryngion. (a) *Tit. Virtus docenda.*

Fu-

Judex, Magistratus.

ETenim statim mores (a) & ingenia conari mutare populi, novisque ea legibus moderari extemplo velle, non modo non facile; verum ne tutum quidem omnino est: ut res quæ multo tempore & ingentibus viribus indiget. Proinde quemadmodum vini usus (b) initio quidem arbitrio * ac lege bibentis regitur; ubi vero sensim ac placide calefecerit hominem, immutare continuo incipit, ac novis imbuere moribus: hac ratione decet virum civilem & Rempub. tractare incipientem, tam diu civium moribus consentanee vivere, & se ad eorum naturam accommodare, atque scite conjectura sectari ea & assequi quibus populus soleat delectari, & quibus adduci facile; donec opinione virtutis & fide jam comparata, auctoritate niti possit. *In Polit. paullo post init.*

Enimvero aulici & adulatores, † velut aucupes, voces * imitantur avicularum, ceterisque rebus similes se fingunt; nempe ut hisce artibus, regibus se maxime insinuent atque commendent. Sane civem, qui Rempub. recte administrare velit, mores & vias vulgi effingere, atque imitari minime decet: scire dumtaxat atque probe tenere debet, qua quisque maxime ratione capi adducique possit. Ignoratio enim eorum quibuscum tibi vivendum est, ut opinione & spe frustreris, ac cœptis sæpenumero decidas, in causa est: quod non minus in civitatibus, quam in amicitiis regum usu venit. Mores (c) proinde civium tum leniter atque scite tractandos, moderandosque, & meliores efficiendos, aggredi debes, quum tibi jam vires sunt, & auctoritas comparata apparet. Vulgi enim & multitudinis rationes vivendi derepente immutare, atque aliorsum traducere, difficile nimirum, & nimis arduum est. *In Politica, ibidem.*

Memoriæ proditum est, Themistoclem, ut animum ad Remp.

(a) *Tit. Respublica.* (b) *Vinum initio subditur homini: postea homo ipse vino. Sic princeps, cet.* † *Al.* Velut coturnicum aucupes. (c) *Tit. Respublica.*

Remp. capeſſendam appulit, compotationibus comeſſationibuſque primo abſtinuiſſe: ſecundo loco vigiliis ſe ſollicitum & ſobrietati dediſſe, amicis (a) dicere ſolitum, quo minus dormiret, † Miltiadæ ſollicitari trophæo. Pericles item rationem vivendi, & cultum corporis traditur immutaſſe: inceſſu tardo, orationeque leni uſus eſt; compoſitum os, & vultum ſibi conſtantem ſolitus præ ſe ferre: poſtremo manu contenta intra amiculum, unam omnino uſurpaſſe viam, quæ ad forum & curiam duceret. Non enim cujuſvis eſt, nec tractatu & factu facile, (b) vulgus & multitudinem ſalutaribus allici rationibus, & in officio contineri. Sat erit, * ſi (velut fera naturâ ſuſpicioſa & varia, vocem atque aſpectum rectoris minime reformidans) regimen & frenum admittit. *In Politica, ibidem.*

Eorum qui Reipub. præſunt, non modo ſingula verba, nec res tantum publicitus geſtæ animadverti notarique ſolent; ſed virtus quoque, joci ſimul & ſeria quæque, domus, ipſa familia, uxor, cubile, curioſius conquiruntur.... In Cn. Pompejum inimicos cavillatos accepimus, unico * digito caput ſcalpere deprehenſum. Quemadmodum enim indignius ferri, majorique haberi ſolent dedecori verrucæ † ficuſve in facie, quam notæ, nævi atque mutilationes in reliquo corpore: ſic etiam ob eam, quæ pleroſque omnes de principatu atque civilibus magiſtratibus tenet, opinionem, (utpote de re magna atque digniſsima, quæ omni facinore atque temeritate vacare debeat) minima quæque principum, & Rempub. adminiſtrantium errata notantur, & pro magnis habentur. Eam ob rem Julius Druſus † Publicola haud immerito claruit, quod domus ejus ex pluribus partibus vicinis conſpicua quum pateret, & quinque eam talentorum ſumtu faber quidam everſurum, ac commodius directurum reciperet: decem (inquit) dabo, ſi totam ita exponas conſpicuam, ut univerſi cives, nedum vicini perſpicere queant, qua domi meæ ratione vivatur. Nempe vir erat domeſticus ac frugi: nec ei forte ejuſcemodi domus perſpicuitate opus erat, qui virtutis egregiæ ſpe-

(a) *Tit. Exempla.* † *Al.* Miltiadis. (b) *Tit. Vulgus.* † *Al.* Ac lentigo. † *Al.* Tribunus plebis.

ſpecimen, & præclaræ vitæ documenta eruditiſsima quotidie foris dabat. *In Politica, ibidem.*

Sed quoniam omnibus † Corydalis, ut inquit Simonides, criſtas enaſci neceſſe eſt; & quævis Reipub. adminiſtratio inimicitias & diſsidia quædam affert; maxime de his quoque conſiderandum videtur ei, qui in Repub. alia ratione verſetur. Ariſtides atque Themiſtocles vulgo laudantur, ſoliti quoties ſive legati, ſeu imperatores publicitus mitterentur, privatam ſimultatem, & omnes inimicitiarum rationes in finibus agri Athenienſis deponere, reſumturi (ſi ita videretur) in reditu. *In Politica, penes medium.*

Præclare Cato & Phocion, quorum neuter inimicitias animo concipiendas ducebat, ſi quid in gerenda Repub. diſcreparet; quin pro ſuggeſto & in publicis certaminibus, hoc durus uterque & inexorabilis habitus eſt, quod præfracte nimis nuſquam connivendum cenſebat, unde Reipub. commoda prodi pacto aliquo viderentur. Ceterum in rebus privatis omni ſimultate longe abjecta, eorum ipſorum conſuetudine comiter atque humaniter utebantur, a quorum rationibus in Repub. vehementiſsime abhorrebant. Et recte quidem: nullus enim civis pro inimico habendus eſt, niſi is civitati & rei communi hoſtis ſit. *In Polit. ibidem.*

Ingredientem vero ſubeuntemque quemvis magiſtratum illa verſare in primis animo, atque adeo explicata habere oportet, quæ Periclem accepimus ſolitum ſe ipſum, dum veſtem indueret, ſubmonere. Attende Pericles: liberi ſunt, quos ipſa regis: Græci ſunt, cives Athenienſes. *In Polit. poſt medium.*

Medici quidem morbos, quos evellere penitus nequeunt, extrinſecus divertendos ad corporis ſuperficiem putant. Principes autem civitatum, ſi pacatam omnino civitatem, & perturbationis vacuam tueri conſervareque haud poſſunt; in ea ipſa civitate ſupprimere atque abdere debent, & e Repub. curandum ſuſcipere, quidquid turbulenti & morbidi, quidquid ſeditioſi ineſſe compererint: non foris vocare & externis palam facere; ne medico alieno, & advectitiis me-

† *Al.* Galeritis.

medicamentis in re tam ſecreta Reſpub. indigere videri poſſit. *In Politica, paullo poſt.*

Ille moroſum atque prorſus difficilem populum efficere ſolet, qui gubernacula Reipub. tenens, nimium in omni re ſeverum, aſperum, atque inexorabilem ſe exhibet; nemini unquam cedens, nihil ulli condonans. Aſſuefacit nimirum is & inducit populum, ut pertinaciter atque contentioſe renitatur atque repugnet. Enim vero laxandus eſt aliquando (ut ajunt) pes, & fluctibus obſequendum, quando præſertim magna ventorum atque ingens vis eſt. Tum vero diſsimulandum atque conſulto non nihil prætereundum, tanquam nec videris quicquam, nec audieris: id quod domi plerumque, puerorum errata de induſtria non obſervantes, quaſi neſciamus, intelligamuſve, factitare ſolemus. *In Politica, ibidem.*

Quod ſi vulgus aliquando vetus aliquod & patrium feſtum, vel Dei ſollemne prætendens, ſpectationem largitionemve aliquam non admodum ſumtuoſam, & benignitatem haud abſurdam expetere videtur; liceat ei tunc per magiſtratus & principes civitatis commoditate hac jucunditateque frui. Pleraque enim ejuſmodi rebus a Pericle aut Demetrio principe geſtis ineſſe comperiuntur. Etenim quemadmodum (ait) medici eſt, magna ex parte corruptiore diminuto, parum deinceps innocui & ſalubris cibi afferre: ſic vir civilis & Reipub. princeps, demta prius ignominia, damnove civitatis ſubmoto; levi deinde gratia & humanitate quaſcumque moleſtias & querelas leniet, atque ſolabitur. *In Politica, paullo poſt.*

Quid eſt, quod Prætorum virgæ ſecuribus alligatæ præferuntur? An ſignum eſt, non oportere magiſtratus iracundiam promtam atque diſſolutam eſſe? An virgarum diſſolutio morâ & tarditate iram frangit, & impetum moderatur? Sed malitia quoniam partim medicabilis eſt, partim curari non poteſt; virgæ, quod mutari poteſt corrigunt: ſecures autem, quod emendari non poteſt abſcindunt. *In Problem.*

Laudes quidem (a) ab improbis proficientes, quum ſint fu-

(a) *Tit. Adulator.*

fucatæ & inſinceræ, modis omnibus cavendæ ſunt. Nec oportet ab his ſic affici, quemadmodum afficiuntur ſues, dum fricantur atque titillantur: ut nos ipſos facillime prædum beamus utendos cuivis volenti, dejicientes nos & ad ſcalpturam accommodantes. Etenim qui præbent aures palponibus nihil differunt ab his, qui crura præbent ſupplantantibus: niſi quod turpius ſubvertuntur, caduntque; tum hi qui pœnas remittunt hominibus improbis, quo videlicet miſericordes, humani, facileſque vocentur; tum iſti qui ſimultates & accuſationes haud quaquam neceſſarias, nec periculo vacantes ſuſcipiunt; perſuaſi ab his qui ipſos laudant, tanquam ſoli ſint viri, ſoli adverſus adulationem invicti. Itaque Bion, tales ſimiles eſſe dicebat amphoris, quod auribus facile circumferrentur. *Lib. de Vitioſa verecundia, prope finem.*

Acceptio perſonarum.

Cleon, ut primum Remp. attingere deſtinavit, vocatis amicis omnibus, ſolvere ſe velle dixit amicitiæ vincula, ſubdiditque rationem: ſolere amicitias pleraque recta & juſta ſubvertere; quod homines Remp. adminiſtrantes, utpote affectu & mollitie quadam occupatos, ſæpe numero a via deducit recti officii. Ei longe melius fuiſſet, avaritiam & contentionem omnem animi procul abjicere. Neque enim his civibus opus eſt, qui benevolos & amicos habeant nullos; ſed qui temperati & frugi ſint. *In Politica, longe poſt initium.*

Si *magiſtratus* eorum utetur opera, quorum ſtudia atque rationes diverſæ & diſſentaneæ ſint; quorum ad aliud alius vi & injuria perpetrandum pro ſtudio impellat & flectat; nihilo mihi differre videbitur ab eo, qui opificem agens, imperite & temere perpendiculis ac normis utatur: non quibus opus dirigat, & pulchre abſolvat; ſed quibus omnino deſtruat, atque depravet. Amici enim habendi ſunt his qui Remp. adminiſtrant, pro inſtrumentis animatis & ratione utentibus; quos (ſicubi forte aberrent) non tanquam comites ipſi ſequi debemus: quin maximo ope-

opere attendendum eſt, ita eos eſſe affectos, ut ſponte ſua etiam abſentibus nobis ab officio non diſcedant. Id enim fuit, quod Soloni vitio datum amicos civium pupugit, & vehementer offendit. Quum enim deſtinaſſet legem ferre, qua qui ære alieno impliciti eſſent a ſarcina levarentur, quam leniendi rei causâ † Siſachthiam, hoc eſt, novas decretas tabulas appellavit; communicavit antea rem hanc cum amicis. Illi vero (a) rem nefandam protinus commenti ſunt. Quippe legis ferundæ tempus prævertunt, & grande æs alienum contrahunt; ampliſsimis ædibus ac magnificis prædiis coëmtis, eâ quam hac ratione intervertiſſent pecuniâ. Hinc Solon peſsime audivit: perinde ac ſi ille injuriam intuliſſet, quæ potius ab amicis ei illata fuerat. *In Politica, paullo poſt.*

Fertur epiſtola quædam *Ageſilai* ad tyrannum quemdam pro amico Nicia in hæc verba. Niciam, ſi inſons eſt, dimitte: ſin ſons, mihi dimitte: omnino vero dimitte. Enim vero Phocion ne genero quidem Charillo, repetundarum dicturo cauſam, adeſſe ſuſtinuit, inquiens: equidem mihi generum te, ut hominem juſtum & probum optavi. Quæ quum dixiſſet, deſerto genero, continuo inde ſeſe propripuit. Timoleo Corinthius, ut fratrem (quo tyrannide abſtineret) monitis atque precibus monere ac perſuadere nequivit; his ſubinde navavit operam, qui illum interemerunt. Non igitur arâ tenus (ut Pericles dixiſſe fertur) jura amicitiæ ſunt ſervanda: ſcilicet ne pro amico pejeres; ſed omnibus legibus, omni jure, cunctis denique rebus officium eſt civis cuſtodiendum.... Verum in amicos leve quippiam committentes, acerbe & gravide ut animadvertas, ratio civilis non cogit: quin ſalvis rebus maximis & in tuto poſitis, per civitatem & Rempub. licet amicis adſis, & opem feras; quando præſertim id efficere potes citra invidiam.... Ex contrario, quorumvis amicorum inepta & incommoda poſtulata amoveas ipſe depellaſque neceſſe eſt: non tamen acerbe & truciter; ſed placide leniterque commonefaciendo, quæ abs te petunt, non eſſe di-

† Σεισάχθεια *eſt debiti communis allevatio, inquit Nicolaus Sagundinus.*

(a) *Tit. Secretum.*

digna, quæ ab illis impetrentur: quando a virtute atque exiſtimatione eorum jure abhorrere videri poſſunt.... Modeſte Cato (a) atque acerbe oranti Catulo Cenſori, Catoni ipſi conſuetudine, amicitia, familiaritate arcte conjuncto, ut quemdam judicio ejus obnoxium (erat autem Quæſtor) dimitteret: turpe eſt (inquit) nos qui juventuti be

ſea vero affecti ſalſuginem & id genus edulia perſequuntur; non multo autem poſt reſpuunt, atque ab illis abhorrent: haud abſimili ratione (a) ob luxuriam & delicias populus, ſeu inopiâ meliorum rectorum, quibuſvis utitur: mox tamen eos abominatus, negligit † & evomit. *In Politica, longe poſt init.*

Ut regionem quidem liceat invenire, quæ feris ac noxiis careat belluis (quemadmodum ferunt de Creta;) nulla tamen ſit adhuc reperta Reſpub. quæ non aluerit intra ſe invidiam, æmulationem, contentionem: quibus ex affectibus ſimultas potiſsimum naſci conſuevit: immo ut nihil aliud ſit; ipſæ nos amicitiæ ſimultatibus involvunt. Quod quidem quum intelligeret Chilon ille ſapiens, quemdam dicentem ſibi nullum eſſe inimicum, interrogavit: an ullum etiam haberet amicum? Videntur mihi partes viri civilis, ut inter alias curas, inimicorum etiam habeat rationem: atque illud animadvertat, haud fruſtra dictum a Xenophonte; cordati prudentiſque viri eſſe, etiam ex inimicis utilitatem capere. *Lib. de Utilitate capienda ab inimic. in princ.*

Potentes, Potentia.

POteſtas conjuncta cum malis moribus moleſtiam adjungit cupiditatibus. Verum eſt illud Dionyſii, qui dicebat: ſe tum maxime capere fructum ex imperio, quum quæ vellet, celeriter efficeret. Itaque (a) vehementer eſt periculoſum, velle quæ non decet, eum, qui quæ velit, facere poſsit. Unde eſt illud:

At, ſimul ac dictum eſt verbum, res ipſa peracta eſt.

Itaque malitia celerem nacta curſum ex poteſtate, quemvis incitat affectum, parat iram, invidiam, amorem, adulterium, avaritiam, proſcriptionem: ac ſimul ut verbum dictum eſt, actum eſt de eo qui ſuſpicionem offendit, periitque delatus.... Neque enim fieri poteſt, ut malitia la-

† *Sagundini verſio, quam ſecutus videtur Granatenſis, non habet* evenit; *ſed* minimi facit. (a) *Tit. Magiſtratus.*

lateat in poteſtate. Verum eos quidem qui morbo comi- *
tiali ſunt obnoxii (ſi in frigus aliquod incidant, eoque corripiantur) continuo capitis occupat vertigo, atque vacillatio morbum arguens. At indoctos & ineruditos (a) ſimul atque fortuna paullum extulerit opibus ac gloria, aut potentia ſubvectos in altum, protinus oſtendit caducos. Immo potius quemadmodum in vaſis inanibus, non *
queas dignoſcere integra ſint an vitioſa; verum ubi infuderis aliquid, tum apparet quam perſtillent: ſic animi putres non ferentes potentiam, effluunt cupiditatibus, nempe iracundia, faſtu, inſolentia. *Lib. de doctr. princip.*

SECUNDA CLASSIS, QUÆ COMMUNIA VIRTUtum & vitiorum loca ex ejuſdem Plutarchi opuſculis deſumta complectitur.

Virtus.

GEneraliter equidem, quod de artibus ac ſcientiis dicere conſuevimus; idem etiam de virtute dicendum. Tria eſſe quæ ad operis perfectionem rite obeundam concurrere oporteat, naturam, rationem, & conſuetudinem. Rationem, diſciplinam voco: conſuetudinem vero, exercitationem. Initium a diſciplina; uſus ab exercitio & meditatione fiet. Ex omnibus autem abſolutio comparabitur. Sin iſtorum pars ulla defecerit; neceſſe erit hanc claudam eſſe virtutem. Cæca enim res eſt ſine diſciplina natura: & abſque natura diſciplina manca res exſiſtit. Imperfectum autem quiddam exſiſtit, ſi ambobus his careat exercitatio. Nam ſicut in agrorum cultura, bo- *
nam in primis eſſe tellurem oportet, tum ſerendi peritum agricolam, dehinc optima ſemina: eodem modo telluri naturam, agricolæ præceptorem, ſeminibus ſtudiorum inſtitutiones atque præcepta conferes. Quæ omnia in eorum animos conveniſſe ac ſpiraſſe contenderim, quos univerſi decantant: Pythagoram dico, Socratem, Platonem, &

(a) *Tit. Magiſtratus.*

quiſquis ſempiternam conſecutus eſt gloriam. Ingentis certe felicitatis (a) & divini favoris eſt, ſi cui ſingula hæc dii contulerunt. *Lib. de Liber. educand. paullo poſt init.*

Quum Demetrius captam urbem ſolo æquaſſet, Stilponem interrogavit, num quid ſuorum quicquam amiſiſſet? Cui Stilpon, haud equidem, inquit: bellum enim nulla ex virtute ſpolia ducit. Concors huic & conſentaneum illud Socratis videtur eſſe reſponſum. Nam quum Gorgias (ut arbitror) percontaretur, an Perſarum regem (b) felicem eſſe putaret: neſcio (inquit) quantum habeat virtutis atque diſciplinæ: perinde ac in hiſce, non autem fortunæ bonis perſiſtat beatitudo. *Lib. de Liber. educand. longe poſt init.*

Univerſum aurum quod vel ſuper terram eſt, vel ſub terra, non eſt æquiparabile virtuti, veluti inquit Plato. Illud etiam Solonis dictum ſemper conveniet in promtu habere: at nos (inquit) virtutis divitias cum illis non commutabimus; nec acclamationibus epulo conductæ multitudinis; nec honoribus ſummoque accubitu apud eunuchos, concubinas, & ſatraparum uxores. Nihil enim ſuſpiciendum, nec præclarum, quod ex turpitudine naſcitur. *Lib. de Util. cap. ab inimic. prope fin.*

Vera & falſa virtus.

QUi laudando penetrant ad ipſos mores, & his corrumpendis adulantur, perinde faciunt ac famuli ſolent, qui non de acervo, ſed de ſemine furantur. Nam dum virtutis vocabula vitiis tribuunt, nimirum inficiunt affectum, actionum ſeminarium, & habitum animi, unde ceu fonte omnia vitæ officia proficiſcuntur. Scribit enim Thucydides, in ſeditionibus ac bellis ſolitam vocabulorum dignitatem non iis tribui factis, quibus oportebat; ſed accommodari iis, quæ fiebant. Siquidem audacia temeraria, fortitudo contentioſa judicabatur: cunctatio provida, timiditas decora. Contra modeſtiæ nomine prætexebatur ignavia: & diligens in omni re prudentia, ſegni-

ties

(a) *Tit. Gratia.* (b) *Tit. Felicitas.*

ties habebatur. Ceterum in adulationibus perſpicere & cavere convenit luxum liberalitatis nomine fucatum; timiditatem, cautelæ; temeritatem, celeritatis. Rurſum ſordes, frugalitatis palliatas vocabulo: tum, quum fœdis amoribus quis eſt deditus, appellatum comem & amantem: iracundum autem ac præferocem, dictum magnanimum: porro vilis abjectique animi hominem, vocatum humanum. Quemadmodum alicubi ſcribit & Plato, amantem (quoniam adulator eſt iis quos amat) eum qui ſimis eſt naribus, amabilem appellare: qui naſo ſit adunco, regalem: qui nigri ſunt, viriles: qui candidi, deorum filios.... Quamquam cui perſuaſum eſt, ipſum eſſe formoſum, quum ſit deformis; aut procerum eſſe, quum ſit puſillus; is nec diu tenetur hoc errore, & levi afficitur incommodo, nec eo quidem immedicabili. Verum vitia virtutum nominibus laudantur: ut jam pecces non modo non dolens, ſed gaudens etiam; detrahiturque peccatis pudor. Ea nimirum res Siculos ſubvertit, quod Dionyſii Phalaridiſque crudelitatem, juſtitiam & ſceleratorum odium vocarent adulatores. Eadem Ægyptum perdidit, quod Ptolemæi muliebritatem, afflatus, ejulatus, liliorum ac tympanorum inſculpturas, religionem ac deorum cultum appellarent. Eadem Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit ac ſuſtulit, quod Antonii delicias, libidines, ac viſcerationes ita blandientes extenuarent, ut humanitatem & hilaritatem vocarent, indulgente illi potentiâ, fortunâque. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici.*

Vulgus hominum quoniam ira turbas ciet, putat eam eſſe agilitatem: & quod minax eſt, credit eſſe fiduciam: & quod intractabilis eſt, opinatur eſſe fortitudinem. Nonnulli etiam crudelitatem eſſe dexteritatem ad res grandes gerendas interpretantur; & implacabilitatem putant eſſe conſtantiam. Denique moroſitatem difficultatemque faciunt odium vitiorum; idque non recte. *Lib. de Cohibenda iracundia, paullo ante medium.*

Virtus in medio.

QUemadmodum corpus non ſolum incolume, verum etiam bonæ habitudinis eſſe oportet: ita & orationem (a) non modo non ægram, ſed etiam robuſtam eſſe convenit. Nam quicquid tutum eſt, id ſolummodo collaudatur. Quod vero cum periculo fit, id etiam admiratione proſequimur. Eamdem quoque de animi diſpoſitione ſententiam habeo. Nam (b) neque temerarium, nec audacia prorſus exutum ac timidum eſſe decebit: quum illud quidem imprudentiam; hoc autem ſervilem afferat turpitudinem. Mediam autem in cunctis ſecare viam, ſummæ & artis & conſonantiæ eſt. *Lib. de Liber. educand. penes med.*

Virtus quo modo facilis.

* IN litteris diſcendis, in muſicis, ac luctandi arte, exordia multum exhibent laboris & difficultatis, immodica obſcuritate: verum progreſſo paullíſper, facilia cognitu fiunt omnia; & amabilia, quæ & geſſerit & dixerit.
* *Itaque* velut cum homine ignoto magna mox intercedit benevolentia & familiaritas, ſimul atque in mutuam vitæ conſuetudinem tranſieris: ad eum ſane modum, in ipſo philoſophiæ veſtibulo non deeſt inſoliti quippiam, quo torqueare.... Atqui negligenda hæc ſunt, atque adeo non tanti æſtimanda, ut metu & animi dejectione mox in limine ab inſtituto reſilias. Sed ſtrenue tentanda res eſt unaquæque, recordatione dulcedinis, quæ blanditur tendentibus porro, ac ſuavia facit omnia quæ ſunt pulchra. Veniet enim non ita multo poſt lux quædam ſimul cum diſciplina, ſummum ingerens amorem, & illecebras ad virtutem. *Lib. de Offic. aud. prope finem.*

Ten-

(a) *Tit. Eloquentia.* (b) *Tit. Fortitudo.*

Tentatio.

NOn aliter atque Cirrhæis datum eſt a ſuperis oraculum,

Nocte dieque tibi non deſint prælia poſthac:

ad eum plane modum noveris perpetuam tibi cum vitiis imminere pugnam; cujus nulla ſit per diem, nulla etiam per noctem relaxatio. Vix enim unquam ceſſant excubiæ, aut deſunt voluptates quæ te infeſtent, & caduceatorum more in aciem provocent. *Lib. de Profectu morum, paullo poſt init.*

Conſcientia bona & mala.

FAcinoroſa conſcientia inſtar eſt ulceris in corpore; utpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem jugiter, pervellentemque animam. Nam quum alias omnes triſtitias tollere ratio ſolita ſit; ſolam hanc pœnitentiam facit ſua ſponte incitabilem præ pudore, & quaſi mordicus impetentem ſeſe, atque excarnificantem. Quemadmodum porro qui rigente febre perfrigeſcunt, aut æſtuante exuruntur, acrius infeſtiuſque afficiuntur quam qui æſtu rigoreque exterius hæc eadem patiuntur: ſic obtuſiores triſtitias habent fortuita & temeraria, utpote adventitias; quam prava conſcientia, quæ animum intus urit.... Contra vero nec ædificiorum elegantia, nec auri pondus, nec generis nobilitas, nec imperii magnitudo, nec denique facundiæ lepos dicendique acrimonia, tantam vitæ ſerenitatem afferunt tamque placidam tranquillitatem, quantam affert animus (a) a negotiorum anxietate feriatus, procul a pravis conſiliis, ſecum (ut dicitur) vivens: qui vitæ fontem (ingenium & mores intelligo, a quibus commendabiles actiones manant) inturbidum ac defæcatum habens, actiones ſuas hilares, velutique aſpirante numine celſus ſemper erectuſque profert: quarum perenni reminiſcentia paſcitur ſuaviſsima illa Pindari ſpe, ſenectutis (ut ipſe inquit) altrice. Quemad-

(a) *Tit. Quies.*

* modum autem (ut Carneades dictitare ſolebat) odorata fruteta , quamvis acciſis ſtirpibus aut etiam convulſis exhauſta , ſuaveolentiam tamen ad multum tempus referunt: ita plane in animo ſapientis actiones honeſtæ gratam quamdam recordationem , ſemperque recentem relinquunt. Qua ipſa recordatione lætitia illa inteſtina , veluti perenni rivo perfuſa , viret ſemper , & tanquam fructicatur. *Lib. de Tranq. animi , prope finem.*

Malitia quidem (a) conjunctum ſibi , aſsidueque ipſam torquentem geſtat dolorem : non poſt quam ſcelus perfecerit ; ſed tum maxime , quum injuriam atrociter inferre * videtur. Quemadmodum enim facinoroſus quiſque ultimo affligendus ſupplicio , corpore ſuo propriam fert crucem: ita improbitas ex ſe ipſa ſupplicium ſibi ſtruit ipſi , calamitates ingentes , formidines innumeras , paſsioneſque moleſtiſsimas , pœnitentias ac indeſinentes in ſe continens per- * turbationes. Sed nonnulli nihil a pueris diſtant: qui quum ſceleratos in theatris nonnunquam amictu aureo circumdatos , chlamydeve purpurea indutos , coronatos , ac tripudiantes conſpiciunt ; admirari beatoſque exiſtimare non deſinunt , ante quam eos ſtimulis agitari , flagris cædi , ignemque ex florida illa variaque veſte emittere conſpiciunt. Multi enim flagitioſorum ingentibus ſepti ædibus , principatus ſplendidiſsimos potentatuſque obtinentes immenſos , ut plurimum quantum plectantur latet: donec jugulati , aut ab altero præcipitati , jacere cernuntur. Quæ recte quis non pœnam ; ſed ſupplicii finem , pœnæque conſummationem * appellare poteſt. Quemadmodum enim † Herodicus Silymbrianus quum in phthiſim morbum incidiſſet immedicabilem , exercitationemque medicinæ primus (ut Plato ait) immiſcuiſſet ſibi ipſi , ceteriſque laborantibus ægritudine ſimili , multo prolixiorem reddidit mortem : ita ſcelerati qui præſentem cenſentur effugere pœnam , non poſt multum temporis ; ſed multo in tempore vindictam , non quidem tardiorem , ſed admodum prolixiorem ſuſtinent atque extendunt: neque feneſcentes ſolum corripiuntur; ſed etiam cru-

(a) *Tit. Peccatum.* † *Cruſerius* Selymbrianum Herodicum *vertit. In Indice vero rerum ac verborum* , Herodicum medicum *interpretatur.*

cruciatu aſsiduo ſeneſcunt. *De Sera Num. vind. longe poſt init.*

Quantum ad nos autem, facinoroſos longo ajo tempore puniri ac torqueri. Apud Deum etenim univerſæ humanæ vitæ ſpatium nihil eſt: quin anni triginta in illius conſpectu, velut crepuſculum, ne dicam hora ſunt matutina. Proinde flagitioſi tanquam carcere clauſo ac cæco, nulla evadendi ſpe detenti, ſceleſta cuſtodiuntur vita. Et quamvis interim conviventur, negotientur, donationibus ac delectationibus oblectentur, optimaſque negligant diſciplinas; nihil tamen a noxiis diſtant, qui in vinculis ad ultimum ſervantur ſupplicium. Nam & hi aliquando fune ſuper capite pendente ludunt, cantillant, & otiantur. Stultum enim eſt opinari, eos qui ad mortem clauſi detinentur, minime affligi donec capitali plectantur ſupplicio: & eos qui venenum hauſerunt, ac deambulant, exſpectantque donec crura degraventur, non torqueri prius quam * vitalem ſpiritum extingui, paullatimque evaneſcere ſentiant. Dementes erimus, ſi ultimum ſupplicii tempus pœnam eſſe arbitremur: paſsiones vero, timores, exſpectationes, & pœnitentias (quæ interim animum diſcruciant ac perturbant, quibuſque unuſquiſque ſceleratus obnoxius eſt) prætermittamus, ac nihili pendamus. Hoc enim perinde eſt, ac ſi * piſcem qui hamum deglutivit, haud eſſe captum dicamus, prius quam illum a coco extenteratum, ſive aſſum conſpiciamus. A juſtitia enim facinoroſus quiſque detinetur, ſcelerumque dulcedine tanquam illecebris aſsidue ineſcatur. *Eodem loco.*

Etenim ſomniorum terriculamenta, diurnaque ſpectra, nec non oracula ac portenta, & quæcumque homines divino accidere nutu opinantur, horrorem atque timorem his, qui ſceleribus obruti ſibi ipſis male conſcii ſunt, incutere conſueverunt.... Etenim ſi quis nihil aliud mali improbis in hac vita præſentique tempore accidere affirmaret, quam quod ſcelerum conſcientia, flagitiorumque recordatione aſsidue torquentur; cognoſceret profecto, acerbiſsime ab ipſa ratione ſua illorum affligi animas.... Quum vero homo avaritiæ ac pecuniarum, invidiæve ac potentiæ gratia, ſeu ob venereas voluptates injuſti quid egerit:

paullo poſt paſsionum furore ſedato, quum cernit turpes improbitatis ac injuſtitiæ remanere perturbationes; honeſti vero, utilis, ac recti ſupereſſe nihil: non ne ſæpius cogitationes moleſtiſsimas, curaſque graviſsimas illi incidere par eſt, quod vanâ ſeductus gloriâ, ſeu voluptatum captus dulcedine, rebus ſordidiſsimis, illiberalibus ac ingratis, pulcherrima maximaque inter homines bona, fas, juſtitiam, pietatem perverterit; vitamque turpitudine, infamia, ac perturbationibus fœdarit? Ego proinde (ſi dicere fas eſt) flagitioſos, perditos, ac facinoroſos homines, nec aliquo ſive deorum ſive hominum indigere ultore arbitror: ſed pernicioſam ipſorum vitam, omni pravitate, impietate, ac ſcelere corruptam, refertam, & contaminatam, ſatis ſuperque ad ſe ipſam plectendam ac torquendam ſufficere. *De Sera Num. vind. paullo ante medium.*

Societas bonorum.

* QUemadmodum hedera naſcentis alicujus futuræ prævalidæ arboris ſtipitem undique amplexa, una conſurgit, & adoleſcit: ita ... ſeniorem adoleſcens, & glorioſum inglorius ſubiens ... paullatim ſublatus, & ſenſim adactus, radicibus jam alte actis ſubnixus ... ad Rempub. capeſſendam, & gubernandam ſeſe idoneum præbuit.... *Hi autem* (a) civiliter & honeſte ad finem uſque magiſtros ob-
* ſervaverunt, & cultu debito proſecuti ſunt; ut ſoli ſubjecta corpora, quæ quum inde ſplendorem accipiunt, viciſsim & reddunt. *In Politica, longe poſt init. & ante med.*

* Sicut mutæ litteræ ex commixtione vocalium in concinna & recte articulata erumpunt verba: ita rudes *homines* ex ſapientum convictu & ipſi quoque ... ſapere incipiunt. *Lib. Num philoſophandum inter pocula, penes medium.*

Amor

(a) *Tit. Diſcipulus.*

Amor ſui.

QUi fateatur (a) ſeſe plurimum amare ſe ipſum, huic omnes veniam dare ſolent, quemadmodum inquit Plato: quum tamen ea res præter alia multa vitia, illud quoque graviſsimum gignit in homine malum; quod non poteſt eſſe ſui judex æquus & incorruptus. Quiſquis enim amat, hallucinatur ac cæcutit in eo quod amat. Niſi ſi quis doctrinâ conſueſcat ea magis habere in pretio ſectarique, quæ ſint honeſta, quam quæ cognata domeſticaque. Atque id quidem (b) amplum locum ac ſpatium inter amicos præbet aſſentatori: quippe cui facilem & commodum inter nos aditum aperit amor noſtri, per quem (quando ſibi quiſque adulator eſt primus ac maximus) haud gravate admittit & alium; ſi eorum quæ appetit ac vult, ſibi teſtis ſimul & ſtipulator accedat. Siquidem qui contumeliæ cauſa dicitur Philocolax, hoc eſt, gaudens aſſentatoribus, is vehementer eſt amans ſui: ac propter benevolentiam qua ſe ipſum proſequitur, nihil non adeſſe ſibi non ſolum cupit, ſed etiam arbitratur. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, in princ.*

Amor (auctore Platone) laudat plerumque ea (c) quibus alii offenduntur: veluti quum aliqui albos quos depereunt, deorum appellant filios: nigros dicunt eſſe fortes & virili animo: adunco naſo, regii vocantur: ſimi, amabiles: pallidi, per blanditias mellis imitantes colorem. Atque hæc, qualiacumque ſint, exoſculantur amantes. Ad quid enim non impellit amor? Nimirum ſua ſponte, non aliter ✲ atque hedera, invenit quo ſe alliget. *Lib. de Offic. auditor. longe ante finem.*

Dilectio erga inimicos.

EQuidem a viro civili alienum minime puto, in re honeſta & juſta vel inimicis & adverſariis teſtimonio præſto eſſe: & in judicio adverſus calumniatores eos tueri:

(a) *Tit. Cognitio ſui.* (b) *Tit. Adulator.* (c) *Fallax amantium judicium.*

ri: & falso objecta refellere crimina, quæ scilicet ab reorum institutis & rationibus abhorrere penitus videantur: quod non multo ante a Nerone factitatum accepimus. Exercebantur miris modis inter ipsum atque Thraseam inimicitiæ: verum cuidam multa criminose jactanti, atque Thraseam perperam judicasse causam suam ajenti, obstitit Nero; tantumque abfuit, ut criminibus de inimico contra veritatem assentiretur, ut exclamarit: utinam tam me Thraseas diligat, quam judex æquus & rectus est! *In Politica, ante medium.*

Scipio male dicitur audisse: in dedicatione namque ædis Herculis, quum epulum splendide & opipare apparasset, amicos invitavit omnes, collegam dumtaxat Mumium præteriit. Etenim quamvis non inter se ceteris rebus videbantur amare; par erat tamen societatis atque collegii comiter & honorifice rationem habere. Si Scipioni itaque, viro certe cetera admirabili, comitatis parumper prætermissum officium, fastus & superbiæ notam inurere visum est: quibus quæso artibus modestus quisque alius & frugi homo haberi possit, qui existimationi collegæ per invidiam detrahat; qui alicubi aberranti per malevolentiam insultet? *In Politica, longe post medium.*

Cur ex omnibus quæ diis immortalibus offeruntur, sola spolia negliguntur; nec vetustate consumta resarciunt, ac reficiunt? An idcirco hoc faciunt ... quod quum signa inimicitiæ adversus hostes tempore obscurentur; ipsos ea renovare invidiosum & acerbum esse censent? Non enim qui primi apud Græcos æneum aut lapideum trophæum statuerunt, magnopere probati sunt. *In Poblematib. longe post init.*

* Priscis illis mortalibus satis erat, si non læderentur a diversi generis animantibus; & hoc modo fine cum bestiis noxiis depugnabant. At posteriores, ratione deprehensa qua feris uterentur, non solum ab illis non offenduntur, verum etiam utilitatem capiunt: dum carnibus illarum aluntur, pilis vestiuntur, fel & lac ad morborum adhibent remedia: denique dum se pellibus armant, & muniunt: ut periculum jam sit, ne si feræ deficiant homini; ferina jam, silvestris, & inops ejus vita futura sit. Itaque quoniam ce-

teris quidem ſatis eſt, ſi nihil accipiant ab inimicis mali; hos vero qui ſapiunt, Xenophon ait etiam utilitatem ex adverſariis capere debere. Itaque viam atque rationem oportet inquirere, qua commoditatem hanc conſequi poſſint, quibus abſque ſimultatibus vivere non licet. Non poteſt agricola efficere, ut omnis arbor exuat ſilveſtrem naturam: nec venator omnem feram poteſt cicurem reddere ac manſuetam. Itaque ratio quæſita eſt, ut ad alios nihilo minus uſus, illi quidem arbores infrugiferæ; huic autem immites beſtiæ commoditatem afferrent. Aqua marina potui quidem inutilis eſt & inſuavis: verum alit piſces; commode tranſmittit, quocumque velis proficiſci; importandis exportandiſque rebus ſervit. At vero Satyrus quum primum ignem vidiſſet, eumque complecti vellet & oſculari: Prometheus, heus (inquit) niſi caves hirce, profecto dolebit tibi mentum: urit enim ſiquis attingat: non valet in iſtum uſum: ſed lucem & calorem miniſtrat: tum artium omnium inſtrumentum eſt, ſiquis uti noverit. Videndum eſt igitur, num & hoſtis alioqui noxius & inacceſſus, alia quacumque via contingi poſsit, atque peculiarem aliquem uſum ſui præbeat, & commoditatis nonnihil adferre valeat. Nam complures res ſunt inviſæ graveſque quibus incidunt: ex quibus tamen uſus aliquis excerpitur. *Lib. de Utilit. cap. ab inim. in princ.*

Quemadmodum animantia quæ plurimum ſtomacho valent, quæque corporibus ſunt ſaluberrimis, etiam ſi ſerpentes ac ſcorpios edant, concoquunt: ſunt etiam quæ ſaxis ac teſtis alantur, & has propter ſpirituum vehementiam caloremque in alimentum vertant: quum interim graciles iſti ac valetudinarii panem etiam atque vinum appoſitum faſtidiant: ita ſtulti corrumpunt ac perdunt etiam amicitias; contra qui ſapiunt, etiam ſimultatibus commode norunt uti. Primum igitur quod eſt in ſimultate maxime noxium, id mihi videtur ſummam utilitatem allaturum, ſi quis animum adverterit. Quidnam iſtud eſt, inquis? Nempe inimicus ſemper advigilans, obſervat quid agas; & anſam captans calumniæ, luſtrat ac circumſpicit undique vitam tuam: non tantum quercus, teſtas, ac ſaxa

ocu-

oculorum acie penetrans, ſicuti narrant de Lynceo; verum & amicum, famulum, & quiſquis tecum habet conſuetudinem, ut quoad poteſt, deprehendat quid agas: perfodiens atque ſcrutans tua conſilia. Quum interim amici † cunctatione negligentiaque noſtra, ſæpe numero nobis inſciis & ægrotent & moriantur. Inimicorum vero propemodum & ſomnia curioſe obſervamus. Jam vero morbi, æs alienum, diſſidia cum uxoribus, citius eos ipſos quorum ſunt fugerint, quam inimicum. Quamquam ante omnia peccatis imminet; hæc in primis veſtigat. Nec ſecus ac vultures ad putrium corporum odorem rapiuntur; ſincera ſanaque non ſentiunt: ita ſi quid morbidum eſt in vita, ſi quid vitioſum, ſi quid affectum, id demum excitat ac movet inimicum: ad hæc aſsilit, quiſquis odit; hæc contrectat, vellicatque. *Ibidem, paullo poſt.*

An non eſt igitur conducibile, ad hoc cogi te, ut per omnia caute & attente vivas, & nec facias quicquam, nec dicas oſcitanter & incircumſpecte: ſed ſemper (eorum more qui ſuſpicione morbi, diligenti exactaque vitæ moderatione cavent ne quid offendant valetudinem) inculpatos uſque mores & irreprehenſos conſerves? Siquidem ejuſmodi cautio, dum & animi cohibet cupiditates, & cogitationem cogit advocatque, gignit in nobis ſtudium ac propoſitum integre & inculpate vivendi. Etenim quemadmodum hæ civitates (quas finitimus hoſtis, & continens bellum, ſobrietatem vigilantiamque docuit) & leges obſervant diligentius, & rectius adminiſtrant Rempub.: ita quos huc inimicitia compellit, ut in vita ſobrii ſint ac vigilantes; ut vitent ſocordiam; ut omnia citra neglectum & comiter agant; paullatim nec ſentientes ducuntur in conſuetudinem non peccandi, moreſque componendi, ſi modo vel paullum adjuverit ratio. *Eod. lib. & loco.*

Pleraque magis intelligit inimicus, quam amicus, propterea quod amor cæcutiat in re amata, velut inquit Plato. Porro odio conjuncta eſt tum curioſitas, tum garrulitas. *Lib. de Utilit. cap. ab inim. poſt med.*

Quum Cæſar Pompeji ſtatuas dejectas reponi juſsiſſet tum

† *Al.* Incuria.

tum M. Tullius: quum ſtatuas (inquit) Pompeji collocaſti, tuas conſtabiliſti. Unde nec maligne laudandus eſt, nec honore ſuo fraudandus inimicus celebris & laude dignus: propterea quod major laus hinc redit ad ipſos qui laudant. *Ibid. paullo poſt.*

Recte præcepit Pythagoras, quum ab aucupio dehortaretur, & emto retium jactu, piſces captos juberet amitti: quumque omnium mitium animantium cædem interdiceret; videlicet, ut in brutis animantibus nos conſuefaceret a rapacitate & crudelitate temperare. Atqui multo pulchrius eſt, ut dum in ſimultatibus ac diſsidiis adverſus homines, generoſum, æquum, ac ſimplicem inimicum agis; improbos, ſordidos, ac fraudulentos affectus caſtiges, premaſque: quo nimirum in commerciis amicorum prorſus conquieſcant, & a fallendo temperent. Aſſuefacti vero juſte rectèque agere cum inimicis, haud unquam injuſte dolove cum amicis & familiaribus agemus. *Eodem loco poſt pauca.*

Arcadion quidam Achivus, quum non deſineret maledicere Philippo, monituſque ut fugeret ubicumque locorum eſſent, qui non noſſent Philippum; ubi poſt aliquo caſu rurſus eſſet viſus in Macedonia, amici erant auctores, ut puniretur: nec enim oportere negligi tantam petulantiam. Philippus autem quum occurriſſet homini, humaniter cum eo collocutus, mox etiam xeniis ac donis ad eum miſsis; poſtea juſsit eos percontari, quo modo jam de ſe loqueretur apud Græcos. Cunctis autem teſtificantibus, eum hominem jam mirum Philippi laudatorem eſſe factum; ego igitur, inquit, melior medicus quam vos. *Lib. de Cohibend. iracund. penes medium.*

Ariſtippus, poſtea quam ipſi cum Æſchine neſcio quid iræ incidiſſet, & quidam illi diceret: o Ariſtippe, ubi nunc amicitia veſtra? dormit, inquit; ſed eam ego excitabo. Adienſque Æſchinem: adeo ne (inquit) tibi videor modis omnibus infelix & inſanabilis, ut ne moneri quidem merear abs te? At Æſchines: non mirum, inquit, ſi quum in omnibus me præcellas ingenio; hic quoque prior videris quid eſſet facto opus.

Et-

Etenim ferocem modo mulier † caprum,
Verum & puellus ſcalpitans tenera manu
Flectit facilius, quam palæſtres quilibet.

Nos vero (a) beſtias feras cicuramus, ac luporum catulos manſuefacimus, etiam leonum catulos in ulnis circumferentes; ac poſt hæc & filios, & amicos, & familiares per iracundiam ejicimus: in ſervos autem atque cives, iræ (ceu noxiæ beſtiæ) liberas habenas laxamus, morbum noſtrum hoc prætextu extenuantes, quaſi vitiorum odio commoveamur, non recte: ſed ita nimirum quemadmodum & in ceteris animi morbis, dum aliud appellamus providentiam, aliud ingenuitatem, aliud pietatem.

* Et ſane, quemadmodum dixit Zeno, ſperma mixturam ac temperaturam eſſe ex omnibus animæ viribus revulſam: ita videtur & ira ſemen quoddam eſſe ex omnibus animi perturbationibus commixtum: ſiquidem & a dolore, & a voluptate, & a ferocia decerpta eſt. Tum ab invidia hoc habet, quod malis gaudet alienis. Ceterum homicidio deterior eſt. Nam illud conatur ira: non, ne quid ipſa patiatur mali; ſed ut male habeat, modo funditus perdat alium. *De Cohibend. iracundia, prope finem.*

Amicitia vera & falſa.

IMpendio celebramus juvenis illius apud Menandrum inſigne elogium: præclarum (ait) æſtimes optimum quemque virum, cui amici contigit etiam umbra. Cauſæ autem cum plures impediunt veram amicitiam, tum vero potiſſimum plurium amicorum appetentia: quæ non aliter ac

* parum honeſtis contingit mulieribus, crebro atque multorum complexui patentibus: primi amorem dum retinere non poteſt, facile contemnit & abjicit.... Sic novitatis ſtudium & animi inconſtantia, inconſulto aliud alio commutans, nos ſemper ad recentiora pertrahit; ut nova ſubinde meditemur initia, eaque relinquamus imperfecta: novam familiaritatem & gratiam nunc cum illo ineamus,

mox

† *Al.* Aprum. *Sed ut arbitror, minus recte.* (a) *Tit. Manſuetudo.*

mox cum alio ob præteritos amicos atque neglectos, nullo amore penitus nobiſcum perdurante. *Lib. de Amicitia in multos diffuſa, paullo poſt init.*

Numiſma ad amicos comparandos idoneum, *eſt* ſola benevolentia, propenſuſque in alterum amor, virtuti conjunctus. Quibus profecto rebus natura nihil poſsidet rarius. Ut recte hinc conſequatur; ardentius amare amarique, haud quaquam inveniri poſſe in turba. Verum quemadmodum ✲ fluvii in multos diducti rivos lentiorem habent curſum: ita vehemens amor in multos diſperſus haud dubie marceſcit. Ea certe eſt ratio, quod natura quibus animantibus uni- ✲ cum tribuit fœtum, eis amorem indiderit vehementiorem. *Ibid. paullo poſt.*

Quidam felices prædicant, quibus agmen immenſum contigit amicorum: ſed longe falluntur opinione. Quippe ſi popinas principum multis cupediis inſtructas intrent, vi- ✲ debunt item multa muſcarum examina nidore illhuc attracta: & quemadmodum illo ceſſante, mox omnes avolant; ita ſi iſtis ſpes deſit quæſtus, diſpeream ſi non protinus aulæ frequentia in ipſiſsimam vertatur ſolitudinem. Non igitur æſtimes illos amicos, qui ſolum ſpectant lucrum: quando omnium iſthuc eſt poſtremum; vera (a) atque abſoluta amicitia tria potiſsimum requirente: virtutem, velut rem honeſtam; familiaritatem vitæque dulcem conſuetudinem, ceu voluptatem; & utilitatem, tanquam rem apprime neceſſariam. Primum igitur ad deligendos amicos judicio eſt opus.... Amittendi *enim* facultas, ac perdendi amicum diſplicentem, non tam in proclivi eſt, ut admittendi. Perinde enim atque cibum noxium & peſtilentem ✲ retinere non audes, veritus ne te corrumpat; nec ejicere potes ſine moleſtia, jam bili permixtum: ſic malum amicum ſi habes, læderis; ſin rejicis per vim & amarulentiam, non aliter atque choleram ſummo dolore evomis. Decet igitur, ut non facile amicos quoſcumque obvios complectamur; nec eos mox in amicitiam recipiamus, qui nos ſtudio proſequuntur: ſed dignos amicitia ſummo magis ſtudio proſequamur. Non enim protinus eligendum ✲ eſt

(a) *Tria expetendorum genera in amicitia.*

eſt quicquid ſe ſponte offert : quando rubum , ſpinaſque nos complectentes , ac ſedulo proſequentes diſcutimus , ut rectâ ad vitem aut oleam contendamus. Atque eum in modum minime eſt ex re noſtra , ut mox illis pareamus, qui facile nos colunt & obſervant ; ſed refert potius , ut ita nos comparemus , quo boni viri ac frugi colant atque obſervent. Itaque (a) ut Zeuxis pictor quærentibus , cur tardius longoque tempore pingeret , reſpondit : ego longo tempori haud dubie pingo , id eſt æternitati. Sic perpetuam amicitiam conflare non licet , niſi longa vitæ conſuetudine , exactoque judicio. *Eod. lib. paullo poſt.*

Si quis omnium ſimul cupiat eſſe amicus , ſufficere non poteſt cunctis debito officio ; dum hic gerit magiſtratum, ille eumdem ambit , alius ſuſcipit. Ut ne dicam , quam ſit abſurdum eodem tempore a diverſis ad diverſa voca-
* tum , ſingulorum deſideriis velle reſpondere.... Amicitia ergo in multos diſſecta , urbi ſimilis eſt diverſis ſacrificiis refertæ , aliis ad jucundam celebritatem , aliis ad planctum appoſitis. Impoſsibile autem eſt , omnes proſequi officio: neminem , plane inurbanum. Ut hoc inſuper addam , quod uni inſerviens , multis aliis præteritis , infenſos nimirum illos tibi feceris. Nemo enim tui amans æquo tulerit animo , ſi videat ſe abs te negligi. Quamquam in excuſanda deſidia hujuſmodi & negligentia circa amicos , quo minus
• nobis ſuccenſeant , præſtiterit ſimpliciter dixiſſe : exciderat animo ; oblivio me hujus rei ceperat ; quam ſi dicas : in jus vocato tibi advocatus non fui , alterius amici cauſæ tum patrocinatus. Item , non acceperam te laborare febri; amicos fovens alios , & circa illorum incommoda occupatus. Cauſam enim negligentiæ prætexens , in alios diligentiam ; querimonia non lenieris , ſed potius reddideris aſperiorem. *Lib. de Amicitia in multos diffuſa , poſt medium.*

* Muſica in cantu & organis argute quidem concors eſt, ex acutis , mediis , & gravibus modis , quamquam ſint diſſimiles. Porro amicitia nihil recipit , niſi exſiſtat ſimile. Eadem enim velle , eadem ſentire ac fateri , eiſdemque affici ; ea res demum firma amicitia eſt : non aliter ac una ani-

(a) *Simile ab exemplo.*

anima in multis corporibus æquabili ratione conſiſtens. Quis igitur eſt ille tam variabilis homo, nunquam ſibi conſtans; qui mutetur in horas, & quemlibet referat moribus; cuilibet ſe ſe aptet, ſimiliſque reddatur? & non magis ridiculum ſe præbeat, vel Theognidis cenſurâ, qui ſic ait:

Ut polypus petræ faciem mentitur inhærens, ✲
Sic mentem variat ſubdolus arte nova? (a)

Polypi autem ſubita commutatio non pertingit ad corporis penetralia, ſed contenta eſt ſola ſuperficie, accedentium dumtaxat oculis imponens, quo facilius poſsit elabi. At longe aliam deſiderat amicitia, in qua eoſdem exprimas mores, pares affectus & ſermones, ſimilia ſtudia; eademque fugias & ſequaris oportet. Prothei vero illius fabuloſa commutatio alia erat: multifariam enim vertebatur præſtigiis, quum formam certam haberet ac propriam. Talis nimirum fies, ſi libeat cum litterarum ſtudioſo libros evolvere, cum palæſtritis colluctari, cum venandi cupidis feras perſequi, cum potatoribus inebriari, & cum ambitioſis magiſtratum ambire. Poſtremo, ſicut maxime informem Phyſici nudamque ſubſtantiam eſſe prædicant materiam primam, in omnes formas mutari ſolitam, adeo ut modo ardeat, mox in aquæ liquorem ſe vertat; jam evaneſcat in auram, & protinus concreſcat in ſolidum corpus: ita in multos diffuſa amicitia, animum ſubjicit variis affectibus; verſipellem facit hominem, ſubdolum & varium, maleque moratum. Atqui amicitia mores expoſcit minime lubricos, ſed firmos & perpetuo tenore ſibi conſtantes: eumdem amat locum, & eamdem vitæ ſocietatem; quæ cauſa multo omnium potiſsima eſt, cur tam rara avis ſit, inventuque difficilis conſtans amicus. *Lib. de Amicitia in multos diffuſa, in fine.*

¶ *Vide etiam Tit.* Adulatio.

(a) *Tit. Adulator.*

Pax, Concordia.

Vir civilis hoc in primis curare debet, ut rebus administrationi civium ſubjectis ita utatur ... ut amicitiæ & conſenſus inter cives conciliari; contentiones & inimicitiæ tolli penitus videantur: & (quod in amicorum diſſidiis uſu venit) qui ſe priorem injuria affectum putat, eum priorem quoque adeas (a) atque oratione ſoleris, oſtendaſque te ſecum una dolere, & injuriam æque ferre. His jactis *fundamentis*, mœrorem lenire incipito, hominemque docere, non eos commendari ſolitos qui aliis injuriam intulerint, quive pertinaciter & obnixe ſuperare contendant: ſed qui illa tam injuriam animo æquo, vel certe forti tuliſſe videntur. Hi enim non modo manſuetudine & morum facilitate; verum quoque prudentia, & animi magnitudine præſtant: propterea quod parvis rebus cedentes, maximis ac pulcherrimis obtinent & vincunt. *In Polit. prope fine m.*

Bellum.

BEllum, (b) educati in umbra corporis habitudinem repudiat. Macilentus autem miles, bellicis aſſuetus certaminibus, pugiles & ſtructas prælio propulſat acies. *Lib. de Liber. educandis, paullo poſt medium.*

Seditio, Factio.

ENimvero non ſemper incendia de ſacris publiciſve ædibus initium ſumunt; ſed ſæpenumero e domuncula, lucernâ parumper neglectâ, ingens erumpit flamma: vel ignis ſenſim conceptus, palea deinde & fomentis refocillatus mirum in modum ardere incipit, & primis quibuſque correptis longius ſerpere, & maximam ſtragem da-

(a) *Tit. Dilectio inimicorum.* (b) *Tit. Contra delicias.*

dare. Ita ſeditiones in civitatibus non magnæ ſemper contentiones, nec de publicis rebus diſsidia incendere concitareque ſolent: verum plerumque privatis creatæ offenſionibus, in publicam peſtem certando progreſſæ ſunt, ſtudiis & contentionibus mutuis auctæ. Quas ob res principem civitatis, & virum civilem oportet ejuſcemodi prava futuræ cladis initia nihilo ſegnius prævenire: & ita curanda atque opprimenda ſuſcipere, ut aut nuſquam exſiſtere poſsint; aut ſi qua exſtiterint, præfocentur: ne paullatim aſſumtis viribus luculenter ſuccreſcant, ac poſtremo ſuapte magnitudine Remp. taxent & occupent. *In Politica, prope finem.*

Attendat etiam, ſæpe uſu venire, privatis & parvis neglectis rebus, initio nulla cura, nullis medicamentis adhibitis, inde calamitates etiam exſtitiſſe.... Adoleſcens quidam Syracuſis amatæ adoleſcentis amici profecti peregre, ſibi creditæ ſtuprum intulit. Rediens ille reſcivit facinus, ulturuſque injuriam, invicem uxorem amici ſtupravit. Re vulgari cœpta, major *quidam* natu civis in ſenatum retulit, utrumque ab urbe eliminandum, prius quam civitas velut contagio ſceleris infecta, ad diverſa propenſa ſtudia, & ad inteſtinas hinc profecta inimicitias ſe ipſam evertat. Ceterum perſuadere ſenatum potis non fuit: orta ſeditione, in diverſaſque partes civibus raptis, quæ fuerat egregia civitas, maximis implicita malis, variiſque agitata calamitatibus demum corruit. *Ibidem.*

Ad hujuſmodi vero ſeditiones componendas, nulla mihi videri poteſt potior ratio, quam ſi inducas animum, in tuis privatis diſceptationibus manſuetum te ipſum (a) & exorabilem exhibere, atque in primis perſiſtere cauſis; nulla per contentionem concitandæ iræ gratiâ adjecta materia, nullis irritatis affectibus, quibus negotium magis exaſperetur & æquo acerbius fiat. Simili ratione in foro & civilibus controverſiis, ſat erit nudis explicatiſque rationibus cauſam ſimpliciter agere, non confictis ad libidinem criminibus, congeſtis maledictis undique, & jurgiis atque minis admixtis, tamquam veneno tela inficere, eaque præacuta in

(a) *Tit. Manſuetudo.*

adverſarium per inſidias jactitare. Quo fit, ut cauſæ ſuapte natura leves atque privatæ, ad publica crimina, deploratamque luem & contentione & ſtudio trahantur. Qui vero ſe talem in cauſis propriis exhibere poteſt, is profecto facile perſuadere aliis poterit, ut ſe volentes libenteſque dicto ejus audientes exhibeant; quando maxime publicæ ipſæ contentiones & controverſiæ, ſi privatas offenſiones ſubducas ac demas, leviores effici ſoleant. *In Politica, in fine.*

Conſolatio afflictorum.

MEdicorum præſtantiſsimi nunquam ad repentinos fluxuum impetus medicinarum confeſtim afferunt remedia: verum inflammationis gravedinem, abſque ulla externa unguentorum impoſitione ad maturitatem pervenire patiuntur. Poſtea vero quam & tempus (omnia ad maturitatem perducere ſolitum) calamitati acceſsit, & tua ſollicitudo amicorum auxilia jam exigere videtur; bene habere ſum arbitratus, ſi ad relaxandum aut remittendum dolorem, flebileſque atque inanes ſedandos luctus, conſolatoriæ te participem orationis facerem. Animo namque male affecto, medici ſunt ſermones, quum præſertim quiſpiam opportune cor molliat. Nam auctore ſapiente Euripide, alia alii adhibetur medicina morbo: dolore quidem affecto, benevolus amicorum ſermo: fatue vero ſe gerenti, admonitiones. Etenim quum multæ ſint animi perturbationes, omnium quam graviſsima eſt dolor: multi enim dolore in furorem, non nulli in incurabiles ægritudines redacti memorantur: ſibi ipſis quidam præ dolore mortem conſcivere. *In oratione conſol. ad Appollon. in princ.*

Comicus *Menander* in eos qui calamitates ægre ferunt, hæc dicit: ſi nobis lacrimæ malorum eſſent remedium, & qui lacrimaſſet dolere deſineret, auro dato lacrimas permutaremus.... Quid igitur proficiunt? nihil: verum dolor habet (ut arbores fructum) lacrimas. *In ead. conſol. paullo poſt init.*

Huc illud Socratis dictum merito quis traheret, quo cen-

cenſebat oportere ut felicitates in commune conferrentur, ut unuſquiſque ex æquo partiretur : futurum autem , ut plures ſuas libenter capientes diſcederent. Uſus eſt hujuſmodi inductione & Antimachus poëta. Lyde enim uxore ſua defuncta , quam vehementer diligebat , doloris ſolamen ſibi fecit Elegiam Lyden denominatam. Nam quum heroicas calamitates recenſuiſſet , alienis malis ſuum ſibi minorem reddidit dolorem. *Ibid. poſt pauca.*

Vide quid comicorum quidam ei dicat, qui intempeſtivam ægre ferebat mortem. Si utique noſſes, vitam quam non vixit , feliciter victurum , mors minime quidem opportuna : ſin autem aliquid incurabile attuliſſet vita , te fortaſſe benevolentior ipſa exſtitit. Quum autem minime conſtet , utrum is vita decedens , majoribus ſolutus malis ex uſu ſuo quieverit , an non : oportet non perinde ægre ferre , ac ſi ea omnia amiſiſſemus , quæ nos ab eo conſecuturos opinati ſumus. *Eod. lib. penes medium.*

Unumquemque autem ſecum conſiderare oportet ... non longiſsimam vitam ; ſed virtute præditam eſſe optimam. Neque enim qui plurima ad citharam cecinit , quique rhetorum more dixit , vel navis clavum rexit ; ſed qui bene, laude afficitur. Bonum enim non in temporis diuturnitate; verum in virtute opportunaque concinnitate ponendum eſt.... *Sic enim* inter plantas optimæ habentur , quæ modico temporis intervallo plurimos ferunt fructus.... Multum utique temporis aut parum, minime referre videtur , ſi ad infinitum reſpexeris ſæculum : mille enim (ut Simonidi placet) ac decem annorum millia , punctus eſt quidem indeterminatus , quin immo breviſsima quædam puncti portio. Nam & animalibus illis , quæ (ut ab hiſtoriis percipimus) * juxta Pontum genita unum degunt diem , mane orientia, meridie vigentia , veſperi ſeneſcentia atque obeuntia , ſi humanus animus ac ratio ſingulis daretur , noſter hic affectus ineſſet, eademque utique contingerent , ut quæ ante meridiem deceſsiſſent , luctum ac lacrimas præberent: quæ vero integrum vixiſſent diem , penitus felicia haberentur : modus enim vitæ , non temporis prolixitas bonum appellandum eſt. *Ead. conſol. poſt pauca.*

Atqui non ſperabam, inquies, me hæc paſſurum, neque exſpectabam. At te exſpectare oportebat, rerumque humanarum incertitudinem ac vanitatem fuiſſe præmeditatum; ne improviſus nunc, ut ab hoſtibus repente invadentibus, deprehenſus eſſes. Pulchre autem qui apud Euripidem eſt Theſeus, adverſus hujuſmodi ſe parare ac munire videtur. Ait enim ille: ego autem a ſapiente quodam edoctus, in ſollicitudines ac calamitates conjectus ſum, exſilia mihi ipſi a patria mea proponens, & immaturos obitus, malorumque alias vias: ut ſi eorum aliquid quæ mente agitaveram paſſus eſſem, non mihi novum atque inopinatum contingens magis morderet. *Ibid. paullo poſt.*

Lyciorum legum latorem ſuis præcepiſſe civibus ferunt, ut quoties in luctum incidiſſent, veſte induti muliebri lugerent; quum indicare vellet, hujuſmodi affectum muliebrem eſſe, & haud quaquam illuſtribus viris, liberaleſque diſciplinas ſibi vindicantibus congruentem. Femineum procul dubio, & imbecille ac minime generoſum eſt, lugere. Mulieres enim libentius quam viri luctibus indulgent: & Barbari, quam Græci: & qui deteriores ſunt, quam qui præſtantiores. Barbarorum autem quidam partes etiam corporis abſcindunt, nares ſcilicet atque aures, reliquum quoque corpus plectentes; dum ſe defunctis gratificare arbitrantur, ſi a naturali modeſtia in hujuſmodi mœrore diſceſſerint. *In ead. orat. poſt medium.*

Obliviſcentium ſimiles ſumus. Neque enim ſolum (ut inquit Euripides) pecunias minime peculiares poſsident mortales; verum & cetera omnia. Quo circa in omnibus dicere oportet. Nos deorum res habentes, eas curamus: quum autem velint, ipſas rurſus auferent. Itaque minime ægre ferre decet, ſi quæ nobis ad breve tempus mutuo dedere, eadem exigant. Neque enim † Trapezitæ, quum ab ipſis.. *ſimile* depoſitum repetimus, redditionis cauſa indignantur; ſi quidem grati ac benevoli fuerint. Adverſus enim eos qui non facile reddunt, merito quiſpiam diceret: mandaſtine oblivioni, te propterea hæc accepiſſe, ut redderes? Hoc utique omnibus contingit mortalibus. Habemus enim vi-

† *Alii vertunt*: Argentarii.

vitam, ut pote neceſſarium deorum depoſitum: & hujus redditionis nullum eſt determinatum tempus, ut ne nummulariis quidem depoſiti. Sed minime conſtat, quando qui dedit, repetet. Qui igitur vel ipſe moriturus, vel liberis defunctis ſupramodum indignatur ac conqueritur, quo modo non manifeſte oblitus eſt, & ſe ipſum hominem eſſe, & liberos mortales genuiſſe? Neque enim eſt hominis mentem habentis, ignorare hominem animal eſſe mortale, proptereaque genitum ut moriatur.... Duo ſunt (a) ex Delphicis litteris maxime ad vitam neceſſaria oracula: Cognoſce te ipſum, ac, Nihil nimis. Ex iis enim reliqua pendent omnia. Hæc autem ſunt invicem conſona... & utrumque altero... videtur ſignificari. Nam & in eo quod eſt, Cognoſce te ipſum, comprehenditur, Nihil nimis: & in hoc, id eſt Nihil nimis, Cognoſce te ipſum. Quare & ſuper his ſic inquit Ion: Cognoſce te ipſum: hoc verbum quidem haud magnum; re vero *ipſa tantum*, quantum deorum ſolus novit Juppiter. At Pindarus: egregie (inquit) ſapientes, Nihil nimis verbum laudarunt. Hæc igitur præcepta, ut Apollinis oracula quiſpiam cogitatione complectens, ad omnes vitæ perturbationes ſe facile accommodare poterit: eaſque prudenter ferre, cum ſuam ipſius naturam reſpiciens; tum vel maxime ne plus quam conveniat, in his quæ accidunt, aut ad jactantiam extollatur; aut deprimatur, & ad miſeriam planctuſque proſternatur. *In ead. conſol. longe ante finem.*

Quis novit, an Deus patris more providens, generiſque humani curam ſuſcipiens, proſpiciens quæ ventura erant, † immaturos quoſdam de vita abducat? *In ead. oratione conſol. poſt pauca.*

Admonitio, Caſtigatio.

SI qui alicubi diſſonant atque diſcrepare videntur, hos amice & placide, muſicorum more, intentione aut laxatione oportet ad modum atque concinnitatem reducere: non ſi quis aliquatenus peccat, iracunde protinus hunc

(a) *Tit. Cognitio ſui.* † *In Stephani Nigri interpretatione Pariſiis edita an.* 1566. acerbos *legitur pro τὸ* immaturos.

duriter atque per contumeliam adoriri ; quin auctore Homero , mitius & moratius pertractare : te ſcilicet ceteros prudentia anteire arbitror. *In Politica , penes medium , ubi alia in hanc ſententiam.*

Vituperatio mixta cum laude , quæ ingenuitatem , non contumeliam videatur prætendere , nec iram ... exſuſcitet... res obſequioſa videtur : e contrario maledicendi atque objurgandi profuſa licentia , Rempub. tuentibus , & principibus civitatis dedecori eſt. *In Politica , paullo poſt.*

Inter multos (a) perpauci ſunt , qui velint & auſint amicum libere reprehendere , magis quam ad gratiam loqui. Rurſus inter hos paucos , haud facile reperias , qui id facere norint : ſed ita ſe libere loqui putant , ſi convicientur ac vituperent. Atque habet hoc , ceu pharmacum non in tempore datum , intempeſtiva libertas , ut perturbet atque moleſtiam adferat nulla utilitate: & idem quodam modo efficiat cum dolore , quod cum voluptate facit adulatio. Læduntur enim non ii modo , qui laudantur quum non oportet ; verum etiam qui vituperantur non in loco.... Fœdum eſt , dum placere ſtudes , in adulationem incidere: rurſus fœdum , dum adulationem vites immodica reprehendendi libertate , gratiam amicitiæ ſimulque medendi perdere utilitatem. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici , poſt med.*

Opportunitas non obſervata , cum omnibus quidem in rebus ingens affert malum ; tum vero maxime in admonendo detrahit utilitatem. *Ibid. paullo poſt.*

Animi vino caleſcentes , proclives ſunt ad iracundiam: ac ſæpenumero fit , ut ebrietas occupans admonendi libertatem , ſimultatem gignat. Denique prorſus ignavum eſt, ac minime generoſum & audax , eum qui ſobrius libere lo-
* qui non audeat , id in menſa facere , quemadmodum canes faciunt ignavi. *Eod. lib. & loco.*

Quibus res ſecundæ ſunt , (b) his maxime amicis opus eſt qui libere admoneant , & immodicum animi faſtum ſubducant. Perpauci ſunt enim , quibus contigit ſimul & felices eſſe , & ſapere. At plerique mortales opus habent aliena prudentia , conſilioque aliunde accedente , quod illos a for-

(a) *Tit. Adulatio.* (b) *Tit. Proſperitas. Tit. Amicus.*

fortuna inflatos jactatoſque premat. Nam ubi fortuna faſtum ac tumorem dejecerit ac ſuſtulerit, tum rebus ipſis ineſt quod admoneat, ac pœnitudinem inducat. Unde nullus tum uſus amici libere monentis, nec opus eſt verbis gravibus ac mordacibus; ſed re vera in hujuſmodi fortunæ commutationibus vultum intueri benevoli viri juvat, qui conſoletur & addat animum: quemadmodum Clearchi vultus, quum in præliis atque rebus afflictis benevolus & humanus conſpiceretur, fiduciam addebat periclitantibus, ut inquit Xenophon. At, qui liberam & mordacem objurgationem admovet homini rebus adverſis afflicto (ceu pharmacum, quo ſolet acui viſus oculo perturbato infa- *
toque) nihil quidem confert ad ſanitatem, nec ullam aufert doloris partem: quin magis iram addit dolori, & afflictum exacerbat.... Sic igitur res afflictorum haud recipiunt objurgandi libertatem, aut ſententiæ dictionem; ſed humanitatem & ſubſidium deſiderant. Siquidem & nutri- *
ces ad pueros lapſos haud accurrunt cum conviciis; ſed erigunt, abluunt, & componunt: deinde objurgant ac puniunt. *Ibid. paullo poſt.*

Quibus igitur in rebus oportet amicum acrem eſſe, & quando conveniet acerba uti reprehenſione? Quoties tempus hortatur, ut voluptate aut ira aut ferocitate præcipitem coërceas; aut ut avaritiam cohibeas; aut ut adverſus † ſtultum aliquem animi motum reluctéris. Sic libere locutus eſt Solon apud Crœſſum inſtabili felicitate corruptum ac tumidum, jubens ſpectare finem. *Eod. lib. poſt pauca.*

Nonnulli venuſtius etiam de aliis verba faciendo, corripiunt amicum; dum in his culpant alios, quæ ſciunt ab illo committi. Noſter autem magiſter & inſtitutor Ammonius, quum in pomeridiana confabulatione familiarium ſenſiſſet, quoſdam pranſos eſſe prandium haud ſimplex, ſed opiparum & varium; liberto mandavit, ut ſuo filio plagas † impingeret, addens elogium: non poteſt, inquit, prandere abſque aceto: ſimulque in nos flexit oculos, ut increpatio tangeret obnoxios. Inſuper cavendum erit & il-

† *Al.* Stultam aliquam animi licentiam. † *Al.* Infligeret.

illud, ne coram pluribus objurgemus amicum; ac Platonis illud habere convenit in animo. Nam quum Socrates acrius objurgaret familiarem quempiam, in convivio cum eo disceptans: nonne satius fuerat (inquit Plato) hæc illi seorsum dixisse? Et Socrates: at tu sane, nonne satius feciſſes, si seorsum ista mihi dixisses? Porro quum Pythagoras in familiarem quempiam asperius coram pluribus fuisset invectus, adolescentem præfocasse laqueo guttur, ajunt: ex eo tempore nunquam Pythagoram quemquam alio præsen-
* te reprehendisse. Siquidem ut morbi parum honesti; sic & peccati reprehensionem ac retectionem secretam esse convenit: non (ut ludi sollemnes) universo populo exhibeatur, nec ut ostentetur, & spectatores ac testes arcessat. *Lib. de Discrim. adulat. & amici, prope finem.*

Jam vero præter contumeliam (quam ab omni prorsus curatione convenit abesse) cavendum erit & illud, ne (quod est vitiosum in admonendo) contentiosi simus & contumaces.... Sicut igitur Plato censet, ut senes qui studeant verecundiam inserere adolescentibus, ipsi primum revereantur adolescentes: ita quum verecunde reprehendit amicus, id potissimum gignit in eo verecundiam.... Unde rectissimum fuerit illud Homericum:

Admoto capite, ut ne quisquam exaudiat alter.

Minimeque decet, ut aperias delicta vel mariti audiente uxore; vel patris sub oculis liberorum, vel præceptorum coram discipulis. Exagitantur enim dolore & iracundia, quum arguuntur apud eos quibus probari cupiunt. Arbitror autem nec in Clitum amicum perinde concitatum Alexandrum fuisse vino; ut quod illum multis præsentibus coërceret. Quapropter inter alia cavendum & illud in primis, ne libertatem admonendi jactemus, ac vulgo circumferamus; sed ad juvandum atque sanandum amicum eâ duntaxat utamur. *Ibid. paullo post.*

Sed quoniam sæpenumero res ipsæ nos invitant, ut licet ipsi parum boni, cum aliis similibus habentes consuetudinem, eos increpemus: dexterrimus objurgandi modus fuerit, si qui objurgat, se modis omnibus admisceat culpæ.... Siquidem & bene volentes videntur, & fides habe-

betur iis qui videntur eiſdem quidem obnoxii vitiis; amicos autem non aliter quam ſe ipſos corrigere. Ceterum qui corripiens alterum, ſe ipſum jactat perinde quaſi liber & immunis a vitiis omnibus, niſi ſit ætate multo provectior, aut niſi ſit hujuſmodi ut omnes illi virtutis dignitatem ac laudem tribuant; gravis ac moleſtus videbitur, nec quicquam proderit amico. *Eod. lib. poſt pauca.*

Quoniam vero nec lumen admovendum eſt oculo inflato, nec animus ægrotus admittit libertatem & admonitionem indilutam; utiliſsimum remedium fuerit laus leniter admixta objurgationi.... Non enim ſolum lenit ac remittit reprehenſionis aſperitatem; verum etiam gignit in homine æmulationem quamdam erga ſe ipſum, ut ſecum ipſe certet, dum honeſte factorum commemoratione, turpium pudeſcit, & ob id ſe meliorum exemplum præſtare videtur. Nam quum alios, vel æquales vel cives vel cognatos cum eo conferimus, moleſte fert & irritatur improba ambitio: nec raro ſolet illud cum ira ſubmurmurare. Quin tu igitur abis hinc ad meliores, & mihi negotium faceſſere deſinis? Proinde cavendum erit, ne apud eos quos libere corripimus, laudemus alios, niſi fuerint parentes.... Ceterum illud haud quaquam fieri convenit, ut qui admonetur, viciſsim admoneat; & libertatem oppo-* nat libertati. Siquidem ea res protinus incendit animos, ac diſsidium parit. Et omnino videbitur ita commoveri, non quod libertatem libertate penſare ſtudeat; ſed quod liberam admonitionem non ferat. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, verſus finem.*

Ceterum (a) amici munus eſt, amicorum offenſam quæ ex admonitione naſcatur, in magnis plurimumque momenti habentibus rebus in ſe recipere. Nam ſi in quibuslibet, & ad quælibet moleſtus ſit & offendat; nec amice, ſed imperioſe (more pædagogorum) familiares inceſſat; hic quum in maximis negotiis admonebit, hebes erit & inefficax, haud ſecus atque medicus acri quidem & amaro pharmaco, neceſſario tamen & ſumtuoſo in vulgaria leviaque minuſque neceſſaria, admonendi libertate abuſus. Igitur ipſe qui-

(a) *Tit. Amicus.*

quidem cavebit, ne aſsidue reprehendat, & objurgandi cupidus eſſe videatur.... Qui enim ſemper inſtat in quovis negotio acerbus & inſuavis, omnia cognoſcens, omnium curioſus; is adeo nec liberis eſt tolerandus, nec fratribus, ut ne ſervis quidem ferri poſsit. *Ibidem.*

Atque primum quidem candide conveniet amicos laudare. Deinde veluti candens ferrum ſolidatur refrigeratione, ac duriciem accipit malleo redditum: ſic amicis ſolutis, & calefactis collaudatione, libertatem ceu tincturam paullatim addere. Dabitur enim occaſio, ut dicere poſsis: num illa cum his conferenda ſunt? Videſne cujuſmodi fructus reddit honeſtas? Hæc abs te requirimus amici: hæc tua ſunt, teque digna: ad hæc natus es.... Nam ſicuti bonus medicus magis cupiet ſomno ſeu cibo morbum ægroti depellere, quam caſtorio aut † ſcamonio: ſic æquus amicus, & bonus pater atque præceptor laude potius quam reprehenſione uti gaudet, ad emendandos ſuorum mores. Quandoquidem non alia res præſtat, ut libere admonens & offendas minime, & ſanes maxime, quam ſi temperans ab iracundia, modeſte & cum benevolentia delinquentem aggrediaris. Unde nec inficiantes oportet acerbius coarguere, nec obſiſtere purgantibus ſeſe.... Civilius enim arbitror, ſi quis dicat, ignoraſti: quam ſi dicat, injuriam feciſti. Et, non attendiſti, dictu mollius eſt, quam turpiter egiſti. Rurſum: ne contendas cum fratre, moderatius eſt quam ſi dicat: ne invideas fratri. Item: fuge mulierem te corrumpentem, urbanius quam ſi dicas: deſine mulierem corrumpere. Nam hunc deſiderat modum admonitio, qua mederi velis amico. *Ubi ſupra.*

Utendum erit arte in amicis corripiendis: quando quidem hæc res maximum & efficaciſsimum eſt remedium, maximeque deſiderans opportunitatem & modum. At quoniam (ſicuti dictum eſt) ſæpenumero curanti moleſta eſt hujuſmodi libertas, medicos imitari conveniet. Nec enim * hi quum ſecant partem afflictam, in cruciatu moleſtiaque deſtituunt, ſed placide rigant atque leniunt. Neque qui admonent civiliter amicum, aufugiunt, poſtea quam amara mor-

† *Cruſerius*: Scammonia.

mordaciaque admoverint ; ſed aliis colloquiis & comitate verborum deliniunt ac molliunt. Quemadmodum & fabri lapidarii vulnus ac cicatricem, quam ictu celtis inflixerint in ſtatuis, rurſum poliendo lævigant, ac nitidum reddunt. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, in fine.*

Ceterum admonitiones & objurgationes adhibitæ malo vigenti tumentique, vix perficiunt quod agunt : nihil autem differunt a paſtillis odoriferis, qui morbo comitiali obnoxios erigunt quidem collapſos ; non liberant tamen a morbo. *Lib. de Cohib. iracund. paullo poſt init.*

Quemadmodum medici amara quædam venena dulcibus immiſcentes ſuccis, comitem utilitatis amœnitatem invenerunt : ita & patres (a) increpationum rigorem manſuetudine temperent eſt neceſſe. *Lib. de Liber. educ. prope fin.*

Invidia.

SCipio *Africanus* ab urbe ſæpenumero ſecedebat, ruſticari perdiu ſolitus, ut & invidiæ quicquam detraheret, & reſpirandi locum illis præſtaret, qui ſplendore virtutis ejus, & gloria rerum geſtarum opprimi videbantur. *In Politica, penes medium.*

Invidia quidem indeterminata eſt, perinde atque ægritudo oculorum, quæ ad omnem ſplendorem turbatur..... Quo circa Themiſtocles, quum adhuc adoleſcens eſſet, nihil ſplendidum a ſe fieri dicebat : neminem enim adhuc ſe invidum habere. Etenim quemadmodum cantharides læ- tioribus frumentis, & viridioribus roſis maxime innaſcuntur : ita invidia eos præcipue tangit, qui boni ſunt, quique ad virtutem gloriamque graſſari videntur. *Lib. de Odio & invidia, penes medium.*

Infelicitas invidos quidem compeſcit ; inimicitias vero non tollit : oderunt etiam hoſtes (b) ad extremam redactos calamitatem. Nemo eſt qui miſeris invideat. Idcirco illud a quodam e noſtris ſophiſtis non ſine ratione dictum : invidos homines libenter commiſereri.... Non enim invidi mul-

---

(a) *Tit. Pater.* (b) *Tit. Odium.*

multos e propinquis ac domeſticis ſuis perire volunt, nec ad extremam miſeriam redigi: ſed felicitatem eorum gravi animo ferunt, prohibentque (ſi poſſunt) eorum gloriam ac ſplendorem: extremam vero calamitatem non optant: ✲ſed ſi perinde ac ex altiſsimis ædibus eam partem quæ ſuas obſcuriores reddit, depoſuerint, bene ſecum agi exiſtimant. *Lib. de Odio & invidia, in fine.*

Eo jam amentiæ ventum eſt, ut ex aliorum vita magis noſtra pendeat, quam ex ſeſe ipſa; naturaque noſtra in degenerem quamdam invidamque affectationem depravata, non tam propriis lætari ſolet, quam alienis bonis angi. Quos tu (a) perquam beatos, atque in gremio Jovis (quod ajunt) eſſe putas, ſi deducto atque retracto velo ſpecioſiſsimo, tranſmiſſâ gloriâ illorum & extremâ ſpecie, penitus introſpexeris, profecto inteſtina multa peracerba permoleſtaque deprehendes. *Lib. de Tranq. animi, penes med.*

Inertia, contraque Diligentia.

HOminis ingenium ceu cariem & ſenium in otio contrahit, propter obſcuritatem. At muta quies, vitaque ſedentaria in otio ſemota, non corporibus modo, verum etiam animis marcorem conciliat: non ſecus ac aquæ ✲latentes, propterea quod umbræ ſunt opacæ, torpeantque nec profluant, putreſcunt. Item eorum qui in otio degunt vita, ſi quid habeat uſui futurum, tamen quia non promanat ad alios, nullo inde bibente corrumpitur, & conſeneſcit vis illa nativa. *Lib. An bene lateat vivens, penes med.*

Facilia ipſos quoque fugiunt negligentes: difficilia vero curâ & diligentiâ capeſſuntur. Quam expeditiſsima, quamque efficax ſedulitas pariter ac labor exſiſtat, compluribus in rebus facile, ſi conſpexeris, diſces. Aquarum enim guttæ (b) lapides cavant: ferrum & æs manuum tactibus obteruntur: carpentorum rotæ ſummis inflexæ viribus, haud ullo pacto priſtinam reparare rectitudinem poſſunt: curvatas hiſtrionum virgas nullo dirigere modo licet: quin factus præ-

---

(a) *Tit. Falſa felicitas.* (b) *Inductio ex ſimilibus.*

præter naturam labor naturæ vim † ſuperavit. An hæc dumtaxat diligentiæ poteſtatem indicant? Minime: immo vero & infinita cetera. Si quod fertile naturâ ſolum incuriæ deditur, ſqualet incultum: quodque naturâ præſtantius eſt, eo magis ſi per otium atque negligentiam omiſſum erit, perditur. Eſtne quiſpiam infecundus & ſupra modum aſperior ager? At cultus generoſos edidit fructus. Quænam arbores ſunt, quæ datæ neglectui, non ſimul & tortæ pullulent, & ſteriles perſtent? Quum eædem rectum aſſeculæ patrocinium, fructuoſæ ſint & magnopere fertiles. Quæ corporis fortitudo non obtunditur; & propter incuriam, molliciem, ac malam habitudinem non perit? Quæ autem (a) imbecilla adeo natura, quæ per exercitationes atque certamina ad maximas non augeatur vires? Qui vero equi a primis bene domiti annis, ſuis non obſequuntur ſeſſoribus? Qui autem indomiti perſtant, nonne cervice duriſsimi, & animis feroces evaſerunt? Et quid admirari cetera opus eſt, quum truculentiſsimas feras laboribus mitigari, & manſuefieri plerumque cernamus? Bene Theſſalus ille, qui quum interrogaretur, quinam abjectiſsimi Theſſalorum eſſent: qui bellicarum rerum, inquit, quietem agunt. Et quid multis opus eſt verbis? Conſuetudo eſt quæ longæva permaneat. *Lib. de Liber. educandis, paullo poſt initium.*

Benevolentia civium captanda, & malevolentia fugienda.

TImeſias Clazomenius, vir cetera frugi, & civis haud ineptus (ea cupiditate tamen, ut cuncta ipſe per ſe agere atque curare appeteret) contraxerat inde odium civium: quod ipſum tantiſper latuit, dum tale quippiam uſu evenit. Carduelem aviculam tranſenna captam adepti ſunt pueri quidam. Eorum unus ita manu oppreſsit caput avicu-

---

† *Granatenſis habet*: Separavit. *At*, ſuperavit *reſtituimus ex Guarini verſione Pariſiis vulgata an.* 1566. *qua forte Granatenſis ipſe uſus eſt.*

(a) *Tit. Exercitatio.*

culæ, ut cerebellum excuteret. Addiderunt reliqui: utinam ſic Timeſiæ caput excerebraſſes. Præteribat illhac tum forte Timeſias, & verba excepit: nempe eum pueri ipſum eſſe non cognoſcebant. Reputans rem ſecum diu, quorſum odia in ſe civium pertinerent, quando quidem per parvulorum ora talia volitarent, facile intellexit. Converſus domum, rem omnem uxori narrat, atque confeſtim collectis ſarcinis, uxore comite, † relicta urbe profectus eſt: quippe qui ſibi amplius in patria manendum nequaquam exiſtimaret. *In Politica, penes medium.*

Apes quidem fumo vexatæ, pœnas poſſeſſoribus temeritatis ac ferociæ dant: equi laſcivientes & duri freno junguntur: contumaces canes coërcentur collaribus, & quocumque vel inviti aguntur. Hominem vero homini nihil aliud manſuetum & mitem reddit, quam benevolentiæ fides, juſtitiæ & probitatis certa opinio.... Armatque & inſtruit bonos benevolentia civium adverſum obtrectatores &
* improbos: quando quidem juxta illud poëticum, ut mater ab infante ſuavi ſomno ſopito abigit muſcas; ita livorem atque invidiam procul propellit & amolitur.... Quæ res tibi, ſi geſtarum rerum exempla animadvertas... † conſpicua erit. Dionyſii uxorem ſtupratam, liberoſque prius omnifaria contumelia fœde affectos, interemtos demum accepimus: ad extremum concrematis corporibus in mare de navi cinerem ſparſum. At Menandro regi Bactrorum, homini frugi atque mitiſsimo, in expeditione & caſtris vita defuncto, cunctæ civitates regni, cunctique populi inferias de more, & juſta magnifice communi conſenſu ſolverunt. Poſtremo de reliquiis quum diu decertatum eſſet, quibus potiſsimum commendarentur; vox tandem inter omnes convenit, ut æque partitæ ſingulis diſtribuerentur pro rata parte: nempe quod monumentum illius viri apud omnes pariter cum veneratione exſiſteret.... Perſæ ad hanc uſque diem homines adunco naſo & amant, & pulchritudine præditos arbitrantur, in honorem Cyri qui ejuſmodi naſo fuiſſe traditur. Quo fit, ut amor ille validiſsimus atque

† *In editione Pariſienſi* 1566. *legitur*: Recta urbe profectus ſolum vertit. † *In ead. edit.* Compertior apparebit & evidentior.

que ſanctiſsimus omnium merito habeatur, quem per virtutem quiſpiam a civibus & popularibus ſibi comparat. Honores autem (a) qui ſpectaculorum, largitionum, atque gladiatorum editione conflantur, falſo quidem hi honores appellari videntur: quippe qui a meretriciis adulationibus nihil diſtant. Naturâ ſemper id multitudini comparatum eſt, ut eroganti gratificantique ſtatim arrideatur, & inſtabilis atque unius diei gloriolæ ſpecies confeſtim exhibeatur. *In Politica, longe ante finem.*

Prudentia.

IN omni actione noſtra officium uno modo perficitur, & pluribus ab eo diſceditur. Aſſecutio enim ſigni una ſimplexque eſt: aberratio autem multiplex.... Hujus igitur (quæ in rebus gerendis verſatur) † prudentiæ munus eſt, immoderatos redundanteſque affectus & commotiones coërcere atque reſecare. Ubi enim (b) præ imbecillitate ac mollitie, ac metu vel torpore motus refugit, officiumque & honeſtatem deſerit, tum præſto eſt illum excitans & ſublevans. Ubi vero contra ſeſe effert inſolenter plurimus atque inconditus & inordinatus, vehementiam aufert & reprimit, atque ita affectuum commotionem moderans & intra terminos continens, virtutes morum in parte animi experte rationis conſtituit, inter exceſſum atque defectum medium obtinentes locum. Non tamen omnem virtutem in mediocritate ineſſe dicendum eſt: ſed eſt quædam minime indiga ejus animi partis, quæ eſt rationis impos, in pura conſtantique mente conſtituta; ſapientia videlicet ac prudentia ſuapte natura perfecta. *Lib. de Virt. morum, longe poſt init.*

Quoniam autem medium multipliciter dicitur, quod medii genus virtus teneat dicendum videtur. Commixtum igitur medium eſt ſimplicium, ut albi & nigri fuſcus color; & quod continet & continetur, ipſius continentis &

(a) *Tit. Honor.* † *Carolus Valgulius quem exſcripſiſſe videtur Granatenſis, ubi noſter*, Prudentiæ; *habet*: Rationis ſecundum naturam.
(b) *Tit. Virtus in medio.*

contenti ; ut duodenarii & quatternarii, octonarius numerus eſt medius : & quod neutrius extremi particeps eſt, ut
* boni & mali, quod eſt indifferens. Nullo ex his modis virtus in medio eſſe dicitur.... Fit ergo, in primiſque dicitur medietas ei quæ in ſonis atque harmonia congruenter. Ea enim vox eſt concinna, quemadmodum in fidibus poſtrema & ſuprema. Quarum alterius nimiam acuitatem, alterius gravitatem devitat: ipſaque quum ſit motus atque potentia in irrationali anima, quod ſolutum & languidum eſt, aut intentum, atque omnino plus & minus ab appetitione naturali amputat & demit, modum atque conſtantiam affectibus adhibens. Fortitudinem itaque mediocritatem eſſe dicunt timiditatis atque temeritatis : quarum alia ſuperatur a modo, altera ei præſtat in iraſcentiæ affectu. Liberalitatem vero avaritiæ & prodigalitatis. Manſuetudinem indolentiæ & crudelitatis. *Lib. de Virt. morum, ibidem.*

Juſtitia.

NOn aſsidet Jovi juſtitia ; ſed (a) ipſe juſtitia faſque eſt, lexque tum antiquiſsima, tum exactiſsima. Veteres ita & loquuntur & ſcribunt, & docent, abſque juſtitia principatum recte gerere ne Jovem quidem ipſum poſſe. Atque eadem virgo eſt, juxta Heſiodum, nimirum incorrupta, pudoris, modeſtiæ, & utilitatis amica. Unde reverendos cognominant reges. Convenit enim, ut hi maxime revereantur, qui minime timeat. *Lib. de Doctr. princip. penes medium.*

Uſura.

PAſcuntur feneratores tanquam ignis furens, atque aſſidue auctus, pernicie atque vaſtitate infeliciter pereuntium, ex alio alium conſumentes.... Et hæc haud exiſtimate me tanquam feneratorum hoſtem enarrare:

Nam-

(a) *Tit. Deus.*

Namque meos nec equos mihi, nec rapuere juvencos;
ſed ut oſtenderem illis qui adeo parati ſunt fenebrem ſumere pecuniam, quantum illiberalitatis ac turpitudinis res ea in ſe contineat: quodque uſuræ ſuccumbere, extremæ ſit dementiæ atque mollitiei. Habes? Ne fenereris, quoniam non indiges. Non habes? Ne fenereris, quoniam ſatisfacere haud poteris. Itaque utraque per ſe diligenter conſideremus. Fertur Cato (a) ad ſenem quemdam improbum dixiſſe: cur homo ſenectuti tot malis ac incommodis degravatæ, ſcelerum quoque turpitudinem imponis? Pari- *
ter & tu paupertati (cui tot adſunt mala) ærumnas quæ ex uſuris & debitis ortum habere ſolent, ne accumula; neve paupertati ſecuritatem aufer, qua ſolum a divitiis differre videtur. Eſt enim adagium facetum: capram geſtare * non valeo; bovem tamen ſuper imponere laboro. Paupertatem ferre non potes; & tamen longe gravius tibi ipſi onus, feneratorem ſcilicet imponis, etiam divitibus intolerabilem. Quo pacto igitur effugiam, inquis? Rogas? Quum manus habeas, pedes habeas, homo exſiſtas, cui peculiare eſt amare & amari; gratificari, ac gratiam recipere: litteras doce, pueros inſtrue, janitoris officio fungere, naviga, renaviga. Nihil horum adeo turpe, nihilve tam moleſtum, quam audire: redde. *Lib. de Non fenerando, ſive de vitanda uſura, penes medium.*

Solent homines intellectus præſtantia ac ſollertia, equos, canes, perdices, lepores, graculos inſtruere. Cur igitur te ipſum non excitas? Indocilior graculis exſiſtens, raucior perdice, ingeneroſior cane. Nam ſi a nullo homine juveris; orando tamen, delectando, ac cuſtodiendo, emergere potes. Non ne cernis quemadmodum multa ſubminiſtret terra, multaque pontus? Proinde Mycillum aſpice (ut † Crates inquit) lanam cum uxore † verberantem, ac communi labore famem fugientem. Rex Antigonus quum aliquando Cleanthem Athenis conſpexiſſet, ita interrogare cœpit: molis adhuc Cleanthes? Cui ille: molo (inquit) o rex: idque vitæ ſuſtentandæ gratiâ facio. Erat ſola viri cura, ne a philoſophia deſiſtere cogeretur: ideo manibus, quas

(a) *Tit. Senectus.* † *Alii legunt*: Socrates. † *Al.* Carminantem.

piſtrino ac molæ locaverat, de aſtris, ſole, luna, ac diis ſcribebat. Nobis vero ſervilia hæc videntur opera. Numquid igitur, ut liberi ſimus, feneramur? vilibus adulamur hominibus? ſtipamus, cibamus, dona ac tributa perſolvimus? Atqui non ob paupertatem uſura præſtari ſolet; (nemo enim inopi fenerat) ſed propter ſumtuoſitatem. Nam ſi vitæ neceſſariis contenti eſſemus, minime uſurariorum genus peſsimum inveniretur: quemadmodum nec Centauri, nec Gorgones. At deliciæ (a) feneratores fecerunt; non ſecus ac aurifices, unguentarios, atque tinctores. Haud enim vini ac panis gratiâ uſuram debemus; ſed ob fundos, mancipia, jumenta, triclinia, ac menſas: liberaliterque expendentes ac dilapidantes, gloriam ſterilem (b) atque ingratam quærimus. Etenim qui ſemel in feneratorum incidunt voraginem, ſemper debitores remanent, alium ex alio, tanquam equus
* frenatus aſcenſorem ſuſcipientes.... Quemadmodum enim eum qui in lutum ceciderit, vel aſſurgere vel ita permanere oportet, ne ſi madido atque humido corpore ſe circumagat aut volutet, majori inquinatione defœdetur: ita in mutui permutationibus, qui uſuræ ſe immergunt ac irretiunt, ſemper graviores fiunt, nihilque a cholericis di-
* ſtant; qui contemta cura, ac medici neglecto præcepto, tantum aſsidue humoris colligunt, ut ab infirmitate tandem minime liberari valeant. Pariter & illi purgari haud ſuſtinent. Sed ſemper cum dolore ac torſione uſuram offerentes, confeſtim uſura altera affluente atque inſtante, iterum nauſeant & gravantur. Nunc vero ad opulentiores & molliores ſermonem convertam, dicentes: at ſervis, lare,
* ac domo carebimus. Veluti ſi æger tumefactus, ad medicum diceret: ſi aquam bibero, extenuabor ac macreſcam. Sed cur id facere recuſas, dum modo ſanitatem adipiſcaris? Et tu quoque ſervis careas, ut non ſervus fias: ſiſque poſſeſsionis expers, ne alterius poſſeſsio efficiaris. *Lib. de Vitand. uſura, prope finem.*

Re-

(a) *Tit. Luxus feneratorum parens.* (b) *Tit. Honor.*

Reſtitutio.

PHocion (a) flagitantibus quibuſdam Athenis, ut ad ſacram rem faciendam quippiam etiam ipſe pro virili parte tribueret, & diu quaſi daturo applaudentibus: injurius & impudens (inquit) profecto ſim, ſi ad rem divinam vobis depoſcentibus aliquid dare animum induxero; huic autem Callicli (digito creditorem oſtendens) nihil reddidero. *In Polit. prope finem.*

Contumelia, Convicium.

NIhil turpius convicio quod in auctorem recidit, ac ne gravius quidem aut acerbius quidquam. Etenim ſicut luminis repercuſsio vehementius offendit infirmos oculos: ita (b) magis dolent maledicta, quæ veritas in ipſos unde profecta ſunt retorſerit. Siquidem ut Cæcias ad ſe nubes vocat, teſte proverbio; ſic mala vita ad ſeſe attrahit convicia. Proinde Plato quoties incidiſſet in eos qui facerent indecori quippiam, digreſſus conſuevit apud ſe dicere: nunc ubi ego talis?.... Ridiculum eſt, in alterum jacere convicium, quod viciſsim retorqueri poſsit. Sicut Leo Bizantinus, quum oculorum infirmitatem objeciſſet ſibi quidam gibbo deformis: humanum (inquit) opprobraſti vitium, quum ipſe Nemeſin, hoc eſt, reprehenſionem in tergo portes.... Domitius in Craſſum ad hunc jocatus eſt modum: non fleviſti, muræna, quam in vivario alueras, mortua? At Craſſus (c) ita retorſit convicium: num lacrimabaris, quum tres extuleris uxores?... Deus enim nulli magis præcepiſſe videtur illud: noſce te ipſum, quam ei qui ſit alium vituperaturus: ne ſi dixerint quæ volunt, audiant quæ non volunt. *Lib. de Utilit. cap. ab inimic. penes medium.*

Recte dictum eſt ab Antiſthene, ad ſalutem & inco-

(a) *Hoc in eos quadrat, qui eleemoſinas libenter dant; debita vero non ſolvunt.* (b) *Tit. Peccatum.* (c) *Tit. Caſtigatio.*

lumitatem tuendam (a) opus esse aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis: propterea quod illi dum admonent peccantes, hi (b) dum maledicunt, revocant a vitiis. Sed quoniam his sane temporibus, ad libere loquendum pæne vocem amisit amicitia, loquax est autem assentatio, admonitio muta; supereſt ut ab inimicis verum audiamus. Nam uti Telephus quum medicum nanciſci non posset, vulnus hostili lanceæ submisit: sic ii quibus non adest benevolus admonitor, malevolentis inimici verba ferant oportet, quæ mala ipsorum redarguant castigentque. Quo quidem in tempore rem ipsam spectare conveniet; non ani-
* mum maledicentis. Sicuti enim is qui Prometheum Thessalum cogitabat occidere, casu tuber ita percussit atque dissecuit, ut servaret hominem; ruptoque tubere, periculo liberaret: ita non raro fit, ut convicium per simultatem & odium impactum medeatur animi morbo, vel ignorato vel neglecto. *Ibidem, paullo post.*

Suavius nihil est, nihil etiam concinnius, quam si possis æquo animo ferre convicia. *Lib. de Audienda Poëtica, prope finem.*

Quemadmodum qui vestes cædunt flagris, corpus non
* attingunt: sic qui infelicitatem aliquam fortunæ aut generis exprobrant homini, in ea feruntur quæ extra hominem sunt. Nimirum stulte, vanoque conatu: quum præstet animum correctione egentem morsu impetere. *Eodem lib. & loco.*

Plato docet, injuriam accipere melius esse, quam facere: magis offendi eum qui lædit, quam qui læditur. *Eod. lib. post pauca.*

Adulatio, contraque Libertas admonendi.

NUllum animantium genus assentatoribus pernicioſius est: nullum quod citius in præcipitia juventutem deducat: qui patres ac filios radicitus obtriverunt, illorum senectutem, & horum adolescentiam tristitia & magnis afflı-

(a) *Tit. Dilectio inimicorum.* (b) *Tit. Detractio.*

fligentes malis.... Opulentos filios, patres ut ſobrietatem conſervent, monent: aſſentatores ebrietatem: illi temperantiam, iſti laſciviam: illi parſimoniam, iſti ſumtus & expenſas: illi labores appetendos, iſti ſocordiam. Uniuſcujuſque vitam, punctum eſſe temporis aſſeverant: quo circa vivendum, non autem diminute vivendum eſſe. Et quæ vobis paternarum cura minarum? Jam pater, uti Saturnus quidam, ætate delirat.... Plerique ad ſcortandum accedunt, & intempeſtivas ducunt uxores; paternaque ad ſenectutem viatica corradunt, atque ſurripiunt. Sceleſtiſsimum hominum genus amicitiæ ſimulatores, nullam prorſus eloquendi libertatem deguſtantes. Ii locupletum quidem aſſentatores, pauperum contemtores, adverſus juventutem, perinde ac ex arte lyrica deducti, quum ſuos ridere nutritores cernunt, ultro arrident. Ex omni vitæ parte nothi ac degeneres, ad divitum nutum vitam agunt; fortuna liberi, electione ſervi. *Lib. de liber. Educ. prope fin.*

Quod ſi divina quædam res eſt veritas, ex qua ceu fonte diis pariter ac hominibus omnia bona proficiſcantur, auctore Platone; videndum eſt, ne adulator cum diis omnibus ſit hoſtis, tum vero maxime Appollini Pythio. Semper enim illi repugnat oraculo: noſce te ipſum: ſed inferens in animos mortalium, ut unuſquiſque fallat ſe ipſum, ignoretque ſua ipſius bona ac mala: bona quidem mutila reddens & imperfecta; mala vero prorſus inemendabilia. Ergo ſi quemadmodum cetera fere faciunt mala, ſordidos & humiles dumtaxat impeteret adulator; haud eſſet res perinde peſtilens, nec æque vitatu difficilis. At uti teredines lignis teneris ac dulcibus potiſsimum innaſcuntur: ſic ingenia generoſa gloriæque cupida, proba & humana, recipiunt adulatorem, & adnaſcentem alunt.... Itaque quum videamus adulationem non eſſe comitem pauperum, aut ignobilium, aut parum potentium; ſed ingentium familiarum, ac negotiatorum ruinam ac morbum exſiſtere (adeo ut ſæpenumero regna quoque ſubvertat & imperia); non mediocris eſt negotii, nec vulgarem poſtulat curam & providentiam, ſi quis de ea velit expendere: quibus rationibus fieri poſsit, ut quum maxime ſe circum agat ac pe-

netret in omnia, tamen amicitiam non lædat, nec tradu-
* cat? Nam pediculi discedunt a morientibus, & corpora relinquunt, simul atque sanguis extinctus fuerit quo nutriri solent: assentatores autem videas, nec attingere prorsus res aridas, ac frigidas: nobilibus atque potentibus imminent, hisque aluntur. Sed iidem, rebus commutatis, statim avolant. Verum haud oportebit illius temporis experimentum exspectare, tum quidem inutile, vel potius noxium, neque periculo vacans. Grave siquidem est, in eo demum articulo sentire qui non sint amici, quo amicis est opus: quum non liceat jam incertum & insincerum ami-
* cum cum certo sinceroque permutare. Quin magis ut numum, ita amicum habere convenit: nempe probatum, ante quam eo sit opus; non usu ipso deprehensum. Nec enim oportet intelligere postea quam malum acceptum est: sed ne quid accipiamus mali, experimentum adulatoris est
* capiendum & animadversio. Alioqui idem nobis accidet, quo solet iis qui lethale venenum non aliter sentiunt, nisi quum prægustarent, suo exitio judicantes. *Lib. de Discrimine adulat. & amici, paullo post init.*

Nec hos sane probamus, nec rursum illos, qui amicos honesto metientes & utilitate, protinus ipsa re deprehendisse se putant assentatores esse, quum eorum consuetudo jucundior est & blandior. Nec enim insuavis res est amicus, nec incondita: nec quisquis asper est & agrestis, hoc ipso amicus est quod severus & austerus: verum ipsum amicitiæ decus & gravitas, suavis est & amabilis:

Hanc juxta Caritesque & amor sedem posuere.

Nec enim afflicto solum dulce est, vultum intueri viri benevolentis, quemadmodum inquit Euripides; verum in utraque fortuna præsto est amicitia, non minus voluptatem & gratiam addens bonis, quam malis molestiam adimens,
* ac desperationem. Et quemadmodum Eveni sententiâ, † condimentum potissimum est ignis ipse: sic Deus, qui vitæ mortalium amicitiam admiscuit, omnia lauta, dulcia, grataque reddidit hac præsente, simulque res condiente. Alioqui quo modo per delectationem insinuaret sese adula-

† *Al.* Esculentum potissimum est triticus.

lator, ſi conſpiceret amicitiam nequaquam admittere voluptatem? Certe nullo pacto. Sed uti quæ non aurea ſunt, ſed aurum arte mentientia, ſolum ſplendorem ac nitorem imitantur auri: ſic adulator amici jucunditatem ac feſtivitatem effingens, omni tempore ſeſe hilarem ac blandum exhibere videtur; nuſquam repugnans, nuſquam obſiſtens. Unde qui nos laudant, non eos protinus ſuſpectos adulationis habere convenit. Siquidem non minus eſt amici laudare in loco amicum, quam reprehendere. Quin potius eſſe moroſum ac querulum, alienum eſt ab amicitia, mutuaque vitæ conſuetudine. Verum candide libenterque ſuam laudem recte factis tribuentem benevolentiam facile citraque moleſtiam ferunt; rurſus & admonentem & libere loquentem: dum & in bonam accipiunt partem, & credunt, qui libenter laudat, eumdem non niſi neceſſario reprehendere. *Ibidem.*

Ergo difficile eſt, dixerit aliquis, aſſentatorem ab amico diſcernere: ſiquidem nec delectando differunt, nec laudando. Nam in officiis & obſequiis ſæpenumero videre licet, amicitiam ab adulatione ſuperari. Quid igitur futurum eſt? Dicam. Si verum adulatorem (a) miro artificio tractantem negotium inſectemur: ac non (quemadmodum vulgus hominum facit) adulatores exiſtimemus iſtos, quos menſarios vocant; quique tum audiuntur, poſt quam manibus infuſa eſt aqua. Horum ſiquidem ſordidum ac ſervilem animum in uno calice ac patina ſcurrilitas ac nugacitas prodit & arguit.... A quonam igitur cavendum eſt? Nimirum ab eo, qui non videtur adulari, nec præ ſe fert adulatorem; quem non reperies circa culinam; nec deprehenditur umbram dimetiens, uti cœnæ tempus cognoſcat; nec temere cadit vino temulentus: ſed plerumque ſobrius eſt; curioſus eſt; ad rem pertinere putat, ut negotiorum tuorum ſit particeps; vult arcanorum fieri conſcius. In ſumma tragicus eſt amicitiæ hiſtrio; non ſatyricus, aut comicus. Nam (ut Plato dicit) extremum injuſtitiæ genus eſt, juſtum haberi qui juſtus non ſit: ita ſentiendum eſt, & adulationem eſſe periculoſam quæ lateat; non eam quam

(a) *Duplex adulatorum genus notat, vulgare & artificioſum.*

quam aliquis præ ſe ferat: nec eam quæ ludicra ſit; ſed quæ ſeria: propterea quod hæc facit, ut veræ quoque diffidatur amicitiæ, cui multa ſæpe cum illa conveniunt, ſi quis animadverterit. *Eodem lib. & loco.*

* Nimirum ut inter agreſtia ſemina, quæ forma ac magnitudine ſimilia ſunt, frumentis admixta difficile repurgantur; aut enim una non excidunt per anguſtiora foramina, aut ſimul excidunt per ampliora: ſic ab amicitia difficile ſeparatur adulatio; quippe quæ ſeſe in omnem affectum, in omnem animi motum, utilitatem, & conſuetudinem cum illa commiſcet. Jam, quoniam omnium rerum jucundiſsima res eſt amicitia, nec eſt aliud quicquam quod æque delectet; ob hoc & adulator voluptatibus irrepit, & voluptati eſſe ſtudet. Rurſum, quoniam gratia & utilitas conſequitur amicitiam (unde dictum eſt etiam illud: amicum magis eſſe neceſſarium, quam aquam & ignem); ob id adulator ingerens ſeſe miniſteriis & obſequiis, vehementer dat operam, ut diligens, impiger, atque promtus eſſe videatur. Porro, quoniam morum ac ſtudiorum ſimilitudo præcipua res eſt, quæ conciliet & contineat amicitias, ac modis omnibus iiſdem gaudere, eadem fugere; id perſpiciens adulator, ſeſe ceu materiam quamdam componit ac format, accommodare ſeſe ſtudens (a) & aptare iis quos fuerit aggreſſus, effingens & imitans illos; quum ſit udus atque mollis, idoneuſque qui quidvis probabiliter exprimat & imitetur.... Ad hæc autem (quod eſt omnium in adulatore aſtutiſsimum) quoniam intelligit loquendi libertatem tum dici, tum videri propriam amicitiæ vocem, velut animantis cujuſpiam; contra, non libere loqui, & ab amicitia & ab ingenuis moribus
* alienum; ne hanc quidem inimitatam relinquit. Verum non aliter atque callidi obſoniorum artifices, amaris ſuccis & auſteris utuntur condimentis, quo dulcium ſatietatem adimant: ſic aſſentatores haud veram illam, nec utilem; ſed veluti e ſupercilio promicantem, palamque titillantem adhibent libertatem. His itaque de cauſis difficillimum eſt
* hominem deprehendere. Quod quidem accidit & in ani-

man-

(a) *Adulator ut cera in quamlibet figuram transformatur.*

mantibus, quæ colorem mutare ſolent, & rebus atque locis ſubjectis ſimilia redduntur. At quoniam ille fallit, & obtegitur ſimilitudine; noſtræ partes ſunt, oſtenſis diſcriminum notis, eumdem retegere ac renudare alienis coloribus ac formis (propterea quod propriis careat) ornatum. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, paullo poſt.*

Protinus igitur a principio rem conſideremus. Principium autem amicitiæ pleriſque mortalibus eſſe dictum eſt, affectuum ingeniique ſimilitudinem mores eoſdem, eamdemque vitæ rationem libenter amplectentem, iiſdem gaudentem ſtudiis, negotiis, exercitamentis. Quibus de rebus dicta ſunt illa:

Seni ſenilis lingua jucundiſsima eſt.
Puero, puellus: mulier apta eſt mulieri:
Ægrotus, ægroto: quem tenet ſors aſpera
Multis malis exercito eſt accommodus.

Ergo perſpiciens adulator, inſitum eſſe nobis, conſimilibus gaudere & uti, eaque libenter amplecti; hac via primum nititur unicuique ſe met adjungere, & in familiaritatem inſinuare (non ſecus atque hi faciunt, qui belluam aliquam immanem alunt) iiſdem ſtudiis & exercitamentis, earumdem rerum cura, tractatione paullatim accommodans ſeſe, & in eumdem transformans vitæ colorem; donec ille anſam aliquam præbuerit, ac manſuetus jam palpanti familiariſque reddatur. Interea vituperat ac damnat & res, & inſtituta vitæ, & homines, quibuſcumque ſenſerit illum offendi. Rurſum, quæ placent, ea laudat haud moderate; ſed ita, ut cum ſtupore & admiratione ſupra modum efferre videatur. Porro, quod amat & odit, id confirmat a judicio proficiſci potius quam ab affectu. Quanam igitur ratione deprehenditur, aut quibus diſcriminum notis capitur ille, qui nec eſt nec fit ſimilis; verum ſe ſimilem mentitur? *In eod. lib. ibidem.*

Primum, illud animadvertendum erit, num ſimile ſit vitæ inſtitutum? & num ſimilitudo perpetua ſit, & concinens? num ſemper iiſdem gaudeat, eadem laudet? num ad idem exemplar vitam ſuam dirigat componatque, ſicuti dignum eſt ingenuo, cui vere cordi eſt amicitia, vitæque conſue-

ſuetudo morum ſimilitudine cohærens? Nam hujuſmodi eſt amicus. Aſt adulator, qui nullam morum ſtabilem habeat ſedem, nec ullum vitæ genus ſibi præſcripſerit, ſed nunc his, nunc illis accommodat ſeſe & affingat; haud quaquam ſimplex eſt nec unus, ſed in quamvis mutabilis ſpeciem, atque varius, alio atque alio ſubinde habitu, aquarum in morem ſemper tranſeuntium ac præterfluentium, * quæ ad ſubjecti ſoli ſpeciem tranſmutantur.... Itaque nactus hominem venandi ſtudioſum, ſequitur, tantum non exclamans ea, quæ Phædra dicit in Tragœdiis: per deos geſtio canibus dilacerare cervos maculoſos, caſsibus implicans. Atqui nihil ille molitur in feram, ſed ipſum irretit atque circumvallat venatorem. Quod ſi juvenem venetur & captet litterarum ac diſcendi cupidum, rurſum in libris eſt totus, barbam ad talos uſque demittit, amicitur pallio, in victu nullus delectus, tum in ore habet numeros, rectangulos, & triangulos Platonicos. Rurſum, ſi quis ſolutior in eum inciderit ... jam compotationibus gaudet, abjicitur pallium, detondetur barba ceu meſsis infrugifera, poſcuntur delicata vaſcula refrigerando vino, & phialæ proferuntur, riſus ac joci in deambulationibus jaciuntur, dicteria in philoſophos. Id quod accidiſſe narrant Syracuſis, quum illhuc adveniſſet Plato, ac Dionyſius miro quodam amore philoſophiæ teneretur: nempe regiam pulvere fuiſſe refertam, præ turba geometricas pingentium figuras. At ſimul atque jam offendiſſet Plato, ac Dionyſius relictâ philoſophiâ rurſus ad compotationes, ad mulierculas, ad nugas, ad laſciviam præceps raperetur; ſtatim univerſos (perinde quaſi Circes poculis transformatos) litterarum odium, oblivio, vitæque mollities occupavit. *Ibid.*

Alcibiades Athenis dicteriis ludebat, alebat equos, comemque quamdam & feſtivam agebat vitam. Idem apud Lacedæmonios ad cutem uſque radebatur, geſtabat pallium, frigida lavabat. Rurſus in Thracia belligerabat, ac potabat. Porro quum perveniſſet ad Tiſaphernem, deliciis, mollitiei, faſtuique ſe dedidit. Atque ad hunc modum affingens ſeſe, & ad omnium mores accommodans, plebem ſibi conciliabat, & in conſuetudinem atque familiaritatem

ſeſe

ſeſe inſinuabat. At non talis fuit Epaminondas, nec Ageſilaus: qui tametſi cum pluribus hominibus ac diverſorum inſtitutorum civitatibus haberent conſuetudinem; tamen ubique mores ſe dignos, & victu & amictu, & oratione & vita tuebantur. Sic & Plato non alius fuit Syracuſis quam in Academia: nec alius apud Dionyſium, quam apud * Dionem. Ceterum adulatoris, velut † polypi piſcis, mutationes facillime deprehendere licebit: dum idem in diverſa verti videtur, vituperans quam prius laudaverat vitam; rurſum approbans facta, vitæ rationem, dicta, perinde quaſi placeant, quibus antea offendebatur. Videbis enim illum haudquaquam ſtabilem ac ſuum, nec proprio affectu diligentem aut odio habentem, gaudentem aut dolentem; ſed ſpeculi ritu, externorum affectuum, vitarum, ac motuum imagines in ſe recipientem. Talis enim eſt, ut * ſi verbo tenus amicum aliquem apud illum vituperes, dicat: ſero tu quidem hominem pernoſti, nam mihi nec initio placebat. Rurſum, ſi mutata ſententia laudes: per Jovem gratulor (inquiet) & illius nomine gratiam habeo: plane vera credo quæ dicis. Quod ſi dixeris, diverſum vitæ genus eſſe ſuſcipiendum, tanquam Reipub. negotiis digreſſus, ad tranquillam & a negotiis alienam vitam te velis conferre: jam olim (inquit) nos ab his tumultibus & invidentiis liberari conveniebat. Quod ſi rurſum ad negotia & agendas cauſas propenſus videaris, ſtatim acclamat: digna te cogitas: nam a negotiis abeſſe, jucunda quidem res eſt; ſed humilis & ingloria. In hunc igitur protinus illud dicere conveniet:

Hoſpes nunc alius mihi, quam prius eſſe videris.

Nihil opus eſt amico, qui mecum mutet locum, qui mecum annuat; quando quidem iſta multo magis facit umbra: ſed eo qui mecum vera loquatur, qui mecum dijudicet. Atque una quidem adulatorem deprehendendi ratio hæc eſt. *Eod. loco.*

Alterum autem diſcrimen, quod obſervandum inter ſimilitudines, hoc eſt. Qui verus eſt amicus, is nec imitatur omnia, nec facile laudat omnia, ſed optima tantum.... In

† *Al.* Polypodis piſcis.

In recte factis enim, in honestarum rerum studio socius est amicus; non in peccando, nec in facinoribus. Nisi si quis insciens (a) vitium & improbitatem ex convictu & fa-
* miliaritate sibi contraxerit: quemadmodum oculorum morbus contagio serpit, & inficit vicinum. Sic enim ferunt Platonis familiares contractos humeros expressisse: item Aristotelis amicos balbutiem illius imitari solitos: rursus Alexandri regis familiares cervicem inflexam, & in dicendo vocis † asperitatem reddidisse. Sunt enim nonnulli, qui non sentientes, ex alienis moribus & ingeniis multa in se recipiunt. Verum adulatori prorsus id accidit, quod solet chamæleonti. Siquidem & ille colorum omnium exprimit similitudinem, præter quam albi. Itidem adulator quum sese similem præstare nequeat in his quæ digna sunt stu-
* dio, nihil in turpibus inimitatum relinquit. Sed quemaddum imperiti pictores, quum quæ pulchra sunt assequi nequeant, in rugis atque verrucis & cicatricibus similitudinem repræsentant: sic assentator imitatur intemperantiam, superstitionem, iracundiam, acerbitatem in famulos, diffidentiam erga domesticos & cognatos. Nam præter quam quod est suapte natura proclivis ad deteriora, videtur sibi ita longissime abesse a vitio reprehensionis, si turpia imitetur. Suspecti sunt enim qui quærunt meliora, quique amicorum erratis offendi, eaque molestе ferre videntur. Quæ quidem res, & Dionysio Dionem, & Sammium Philippo, & Cleomenem Ptolemæo suspectos & invisos reddidit. *Ibidem.*

Adulator autem simul & jucundus videri studet & fidus: quasi per magnitudinem amoris ne malis quidem offendatur; sed in omnibus, iisdem ducatur affectibus, & ingenio consentiat. Unde tales nec fortuitarum rerum, quæque citra nostrum accidunt consilium, expertes esse volunt: quin & simili morbo teneri se fingunt, assentantes ægrotantibus; & nec acute cernere, nec audire, si cum luscioſis ac surdastris agant. Quemadmodum Dionysio cæcutiente, adulatores illius, alius in alium impingentes, & patinas inter cœnandum dejicientes, simulabant & ipsi cæ-

(a) *Tit. Societas.* † *Alii*: Celeritatem.

cæcutientiam. Nonnulli vero etiam magis penetrantes in affectus, interius & altius insinuant sese ; & usque ad arcana similitudinem affectuum commiscent. Etenim quum senserint aliquos infeliciter duxisse uxorem , vel de filiis aut domesticis male suspicari ; ipsi suis non parcunt , sed queruntur de liberis propriis , aut uxore , aut cognatis , aut familiaribus , arcana quædam crimina proferentes. Siquidem similitudo facit , ut magis affici tangique videantur amici malis. Jamque illi quibus adulantur , ceu datis obsidibus, effutiunt vicissim arcanarum rerum quippiam. Ast ubi effutierint , utuntur illis , metuuntque fidei desertores videri. Ego vero novi quemdam , qui uxorem suam ejecit, quod amicus item suam repudiasset. Deprehensus est autem clanculum ad illam commeare , vel eam ad se arcessere. *Lib. de Discrim. adulat. & amici , haud longe post initium.*

Verum hæc quidem omittamus in præsentia , suo dicenda loco. At illud adulatoris artificium haud est prætermittendum , quod si quid etiam imitatur honestum in eo quem assentando captat , tamen illi cedit victoriam. Inter hos enim qui veri sunt amici , nulla intercedit æmulatio , nec invidia : sed sive pares fuerint in recte factis , sive impares, æquo animo ferunt. At assentator , cui semper curæ est secundas agere partes , sic imitatur æqualitatem , ut superetur, sitque inferior omnibus in rebus ; vinci sese dicens , præter quam in malis. Porro in malis haud concedit illi primas : verum si fuerit ille morosus , sese prædicat atræ bili obnoxium esse : si ille fuerit superstitiosus , se dicit numine quopiam afflari , rapique : si amarit ille , se dicit insanire. Immodice (inquit) risi : at ego , inquit , præ risu emoriebar. In bonis autem rebus contra facit. Nam se quidem ait currere velociter ; sed illum volare. Se quidem equitare mediocriter ; sed quid , inquit , ad hunc Hippocentaurum ? Poëta sum non infelicis ingenii , nec pessimos omnino facio versus : tonare vero non meum est , sed Jovis. Et sic adulatur , ut ostendat sibi conatum honesti non defuisse , quum imitetur : sed dum non assequitur , viribus destitui. Quantum igitur ad similitudinem attinet , hujusmodi notis dignoscere possis adulatorem & amicum. *Ibid. paullo post.*

Ce-

Ceterum ut jam dictum eſt, delectatio quoque communis eſt ambobus: neque enim minus vir bonus delectatur amicis, quam malus aſſentatoribus. Age igitur diſtinguamus & hanc partem. Eſt autem diſtinguendi ratio, ut ad ſuum finem delectatio referatur: id quod ad hunc modum conſideres licebit. Habet unguentum fragrantiam, habet & pharmacum: ſed hoc intereſt, quod illud ad nihil aliud quam ad delectandum paratum eſt: in hoc vero quod purgat, quod calefacit, quod carne vulnus obducit, præter hanc vim obiter etiam bene olet. Rurſum pictores jucundos colores ac tincturas miſcent: ſunt autem & medicorum nonnulla pharmaca aſpectu jucunda, coloribuſque non inamœnis. Quî differunt igitur? Nimirum hoc, quod illi ſolum delectant; hæc etiam juvant. Ad conſimilem ergo modum, amicorum mutua benevolentia in re quapiam honeſta frugiferaque habet quiddam quod oblectet, velut aditum ad voluptatem. Aliquoties autem luſibus, conviviis, vino ſeſe oblectant: non nunquam jocis atque facetiis inter ſe, veluti condimentis honeſtarum atque ſeriarum rerum utuntur. Verum unum hoc agit adulator, unum hoc ſpectat, ut ſemper vel luſum aliquem, vel rem, vel orationem ad voluptatem comminiſcatur, & arte condiat. Sed ut rem in pauca conferam: adulator, quo delectet, nihil non faciendum ſibi putat: at amicus ſemper faciens quod oportet, ſæpe jucundus eſt, ſæpe moleſtus; nec hoc cupiens, nec illud fugiens, ſi quidem eſſet utilius. Sicut enim medicus quum expedit, crocum & nardum immiſcet pharmacis, atque adeo ſæpenumero & lavat placide, & alit benigne; non nunquam vero his prætermiſsis, caſtorium immittit, aut tritum elleborum cogit ebibere; nec hic moleſtiam, nec illhic jucunditatem ceu finem ſpectans, ſed utriſque modis ad idem tendens, nempe ut eum quem curat, ad meliorem adducat valetudinem: ita amicus non nunquam efferens ac delectans amicum, laude & benevolentia ad honeſtum adducit.... Rurſum, quum coërcitione opus eſt, tum ſermone mordaci caſtigatoriaque libertate corripit.... Quemadmodum Menedemus Aſclepiadis amici filium luxurioſum, & incompoſitæ vitæ excludens nec al-

lo-

loquens, ſobrium reddidit. Et Batto ſcholam interdixit Arceſilaus, quum verſum contra Cleanthem feciſſet in comœdia. Ceterum poſtea quam Cleanthi ſatisfeciſſet, factique pœniteret, recepit hominem in gratiam. Oportet enim ſic amicum contriſtare, ut proſis: non oportet autem contriſtando tollere neceſsitudinem; ſed dolore ceu mordaci pharmaco conveniet uti, quod ſervet & incolumem reddat eum qui curatur. Unde ſicut muſicus, itidem & amicus, ad honeſtatem & utilitatem utens mutatione, dum quædam concedit atque remittit, quædam intendit, ſæpe quidem jucundus eſt, ſemper autem utilis. Contra aſſentator ſemper eâdem formulâ, eodemque tenore, quod delectat & ad gratiam facit aſſonare ſolitus, nec facto novit expugnare, nec dicto moleſtus eſſe: tantum quod illum velle viderit, id ſequitur, ſemper ad illius vocem concinens & concordans. Quemadmodum igitur Xenophon narrat, Ageſilaum libenter ab iis laudari ſolitum, qui non dubitarent & vituperare: ita putandus eſt amicus jucundus & blandus eſſe, qui quandoque poſsit contriſtare amicum ac reſiſtere. Conſuetudinem autem perpetuo jucundam, & ad immodicam gratiam obſervientem, omnique carentem morſu, ſuſpectam habere convenit. *Eod. loco.*

Ad hæc (quod eſt omnium maximum) conſiderandum eſt, ſi non ſenſerimus ipſi, nos met ipſos vel pœnitere, vel pudere eorum de quibus laudamur. Siquidem domeſticum animi judicium reclamans, nec agnoſcens hujuſmodi laudes, haud corrumpitur aut tangitur affectibus, nec aſſentatoribus capi poteſt. Verum haud ſcio, quo pacto complures in rebus quidem adverſis conſolationem non ferunt; ſed magis hos admittunt, qui una ſecum lamentantur ac deflent. Porro quum erraverint atque deliquerint, ſi quis eos coarguerit, mordacique reprehenſione pœnitudinem inducere conetur, hunc hoſtem & criminatorem eſſe ducunt. Qui vero collaudet ac prædicet quæ fecerint, eum amplectuntur, hunc benevolum & amicum eſſe putant.... Aſt qui laudando penetrant ad ipſos mores, & his corrumpendis adulantur, perinde faciunt ac famuli ſolent, qui non de acervo, ſed de ſemine furantur. Nam dum virtutis

vocabula (a) vitiis tribuunt, nimirum inficiunt affectum actionum ſeminarium, & habitum animi, unde ceu fonte omnia vitæ officia proficiſcuntur. Scribit enim Thucydides, in ſeditionibus ac bellis ſolitam vocabulorum dignitatem non iis tribui factis, quibus oportebat: ſed accommodari iis, quæ fiebant. Siquidem audacia temeraria, fortitudo contentioſa judicabatur: cunctatio provida, timiditas decora. Contra, modeſtiæ nomine prætexebatur ignavia: & diligens in omni re prudentia, ſegnities habebatur. Ceterum in adulationibus perſpicere & cavere convenit luxum, liberalitatis nomine fucatum: timiditatem, cautelæ: temeritatem, celeritatis. Rurſus ſordes, frugalitatis palliatas vocabulo: tum eum qui fœdis amoribus eſt deditus, appellatum comem & amantem: iracundum autem atque præferocem, dictum magnanimum: porro vilis abjectique animi hominem, vocatum humanum. Quemadmodum alicubi ſcribit & Plato, amantem (quoniam adulator eſt iis quos amat) eum qui ſimis eſt naribus, amabilem appellare: qui naſo ſit adunco, regalem: qui nigri ſint, viriles: qui candidi, deorum filios. Quamquam cui perſuaſum eſt ipſum eſſe formoſum, quum ſit deformis; aut procerum eſſe, quum ſit puſillus: is nec diu tenetur hoc errore, & levi afficitur incommodo, nec eo quidem immedicabili. Verum quum vitia virtutum nominibus laudantur, ut jam pecces non modo non dolens, ſed gaudens etiam, detrahiturque peccatis pudor: ea nimirum res Siculos ſubvertit, quod Dionyſii Phalaridiſque crudelitatem, juſtitiam & ſceleratorum odium vocarent adulatores. Eadem Egyptum perdidit, quod Ptolemæi muliebritatem, ejulatus, liliorum ac tympanorum inſculpturas, religionem deorumque cultum appellarent. Eadem Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit ac ſuſtulit, quod Antonii delicias atque libidines ita blandientes extenuarent, ut humanitatem & hilaritatem vocarent, indulgente illi potentia fortunaque.... Jam reges plerique, nonne ſi quum muſicantur, vocantur Appollines; quum inebriantur, Bacchi; quum luctantur, Hercules; in omne dedecus, gaudentes

(a) *Tit. Virtus vera & falſa.*

tes adulatione, abducuntur? Quapropter potiſsimum in laudibus cavendus erit aſſentator: id quod nec illum ipſum fugit. Sed miro artificio cavens ne ſuſpectus ſit, ſi quem nactus fuerit ſplendide cultum, glorioſum, aut agreſtem † craſſa veſtitum tunica, tum toto utitur naſo. Quemadmodum Struthias inſultans Bianti, ac laudibus in ſtuporem illius debacchans: plus (inquit) bibiſti, quam rex Alexander. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, longe poſt init.*

Quod ſi viderit eos naſutiores, maxime ſi conſpexerit animadvertentes, ac regionem hanc & locum (ne poſsit adulator occupare) cuſtodientes, tum non ſtatim laudem inducit; ſed procul diſcedens, longiſque circumactus ambagibus, tandem accedit nullo ſtrepitu, ceu belluam manu contrectans, ac palpans tentanſque. Interdum enim aliorum de illo laudes renuntiat, rhetorum exemplo, alienam inducens perſonam: dicens in foro ſe hoſpitibus quibuſdam aut ſenibus admodum libenter aſtitiſſe, multa & ea quidem bona de illo referentibus, & illius virtutes admirantibus. Rurſum aliquoties levibus quibuſdam & falſis criminibus confictis, & in illum compoſitis, perinde quaſi ea ab aliis audierit, accedit feſtinabundus ac ſerius, rogans, ubinam hoc aut illud dixerit vel fecerit. Tum ubi negarit ille (ſicuti conſentaneum eſt) hac ipſa occaſione tenens hominem, in laudes conjicit. At ego mirabar, inquit, ſi tu cuiquam amicorum maledixiſſes, qui ne inimicis quidem ſoleas. Mirabar ſi tu occupaſſes aliena, qui tam multa largiare de propriis. Rurſum alii pictorum in morem (qui, * quo quædam illuſtriora reddant ac ſplendidiora, addunt in propinquo umbroſa quædam & obſcura) ita clam laudant, & alunt eorum vitia quibus adulantur; dum his contraria vituperant, inſectantur, carpunt ac derident. Siquidem (a) apud luxurioſos, avaros, ac ſceleratos & improbos, quique ſibi divitias fœdis modis pepererunt, frugalitatem, ruſticitatis nomine vituperant: ſua contentum eſſe ſorte, juſtitiam hominis nihil audentis eſſe dicunt, quique ſit imbecillis ad capeſſenda negotia Ceterum ubi ver-

† *Alii*: Qui phorbiam craſſam ferat. *Alii*: Qui clavam ferat. *Alii vero*: Qui veſtem ex pelle porcina. (b) *Tit. Virtus vera & falſa.*

ſantur cum inertibus & otio deditis, ac mediam civitatis lucem fugientibus; non pudet illos Reipub. adminiſtrationem, alienorum negotiorum laborioſam geſtionem appellare: & magiſtratus honorem, inanem vocare gloriam, ad nihil utilem. *Ibidem.*

Eſt autem illud omnium ſceleratiſsimum, quod nec a
* ſe ipſis temperant adulatores. Nam quemadmodum luctatores ſuum corpus humiliant, ut dejiciant alios: ſic illi vituperando ſe ipſos, clanculum huc irrepunt, ut alios laudent.... Quod ſi quis fuerit qui ſibi plurimum ſapere videatur, cupiatque ſeverus ac rigidus videri ... hunc non hac artifex aſſentator aggreditur viâ: ſed eſt alia quædam ars, qua captet hominem. Accedit enim, de ſuis ipſius negotiis, ut videlicet prudentia præſtantiorem, conſulturus: ac ſe nolle quidem aliis moleſtum eſſe familiaribus; cogi tamen, ut illi negotium exhibeat. Nam quo confugiamus, inquit, quum opus eſt conſilio? aut cui fidem habeamus? Deinde, poſtea quam audierit quidquid illud ſit quod ille dixerit; ita diſcedit, ut confirmet ſe oraculum accepiſſe, non conſilium. Quod ſi quem viderit, qui facundus & eruditus haberi ſtudeat, huic aliquid ſuorum ſcriptorum exhibet: oratque uti legat, & emendet. Porro Mithridati regi rei medicæ ſtudioſo, quidam amici & ſecandos & urendos ſeſe præbuerunt, factis non verbis adulantes. Siquidem teſtimonium eſſe videbatur artis, quod illi crederent. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, longe poſt initium, & ante medium.*

Carneades dicere ſolitus eſt, divitum & regum filios nihil recte nec bene diſcere, præter quam equitare: propterea quod his aſſentetur præceptor in exercitatione litterarum, uſque laudans quidquid dixerint: aduletur & is qui colluctatur, ſedens atque ſubmittens ſeſe. Porro equus, haud intelligens nec cogitans, privatus quis ſit an magiſtratus, dives an pauper, præcipitat quiſquis ignarus ſit equitandi. *Eodem loco, poſt pauca.*

Ac de his quidem hactenus ſatis dictum eſt. Supereſt
* ut de loquendi libertate videamus. Itaque quemadmodum Patroclus Achillis induens arma, & equos in pugnam

gnam educens, ſolam † haſtam Peliacam non auſus eſt attingere; ſed hanc omiſit: ſic adulator, quum amici cultum & ſupellectilem adumbrat, huc uſque notas & inſignia imitatur; ſolam loquendi libertatem, tanquam eximium amicitiæ geſtamen, grave videlicet, ingens & validum, intactam & inimitatam relinquit. *Ibidem.*

Verum quoniam caventes ne in jocis aut vino, dicteriiſque & luſibus deprehendantur, jam ad ſupercilium & ſeveritatem rem transferunt; & adulantur auſteritatis prætextu, reprehenſionem quamdam admonitioni admiſcentes: age, ne id quidem inexploratum relinquamus. Quemadmodum igitur in Menandri comœdia falſus Hercules inducitur, * clavam geſtans, non gravem nec robuſtam, nec rigidam; ſed molle quoddam & inane figmentum: ſic arbitror aſſentatoris libertatem, iis qui capiunt experimentum, mollem videri minimeque gravem, neque rigorem habentem... Nam vera & amica libertas peccatis imminet, ſalutarem * ac medicam adferens moleſtiam: non ſecus ac mel, quod ulceroſa mordet ac repurgat, alioqui jucundum & utile. Sed huic rei ſuus dabitur ſermo. Adulator autem in ceteros quidem acerbus, & vehementer aſper, & inexorabilis videtur. Nam ſuis famulis gravis eſt: cognatorum atque familiarium errata graviter inceſsit: nec externorum quemquam aut miratur, aut reveretur; ſed faſtidit ac deſpicit, ignoſcens nemini: ſed deferens atque calumnians, ut alios ad iram inſtiget; hoc modo captans famam & opinionem hominis vitiis infeſti, ut nec in hos videatur ſtudio temperare a libera objurgatione, neque quicquam ad gratiam vel facere, vel dicere. Deinde, idem in veris ac magnis eorum quibus adulatur peccatis, nihil ſe ſcire nec intelligere ſimulans, ad errata leviſsima nihil ad hoc pertinentia mire concitatur, magnoque clamore & acrimonia jurgatur, ſi quod vas neglectum jacere conſpexerit; ſi parum ſplendide habitantem; ſi parum diligenter a tonſore curatum; ſi togam, canem, aut equum, parum (ut oportet) curatum viderit. Ceterum parentum contemtus,

† *Al.* Haſtam peliada. *Al.* Haſtam peliam. *Pelias autem lancea erat quam Peliæ donavit Pallas, & qua deinde non niſi Achilles uti poterat.*

liberorum neglectus, uxoris contumelia, fastus in familiares, pecuniarum absumtio nihil hunc movent: in his ✲elinguis est, in his timidus: perinde .... quasi grammaticus ✲puerum de tabula, deque stilo castiget; porro soloœcismum, aut barbarismum committentem audire se dissimulet. *Eod. lib. & loco.*

Talis enim est adulator, qualis sit is, qui in imperito ridiculoque oratore nihilque dicente quod ad causam pertineat, de voce cavilletur & graviter accuset, quod frigidam potans corrumpat arteriam: aut si jussus scripturam malam & imperitam emendandi causâ percurrere, causetur quod crassior sit charta; ac non magis scriptorem ipsum, malum ac negligentem appellet. Ad hunc modum adulatores & Ptolemæo (quum discendi cupidus videretur) de lingua, de versiculo, de historiola digladiantes, ad mediam usque noctem reluctabantur. At vero sævienti, ferocienti, tympanis utenti, vectigalibus oneranti populum, ✲nullus e tam multis obsistebat. Non aliter ergo ac si quis hominis tubera fistulasque habentis medicus ferro pillos incidat, & ungues; sic assentatores objurgandi libertatem his admovent partibus, quæ non dolent neque molestiam adferunt. Quin etiam sunt & his astutiores nonnulli, qui ipsa reprehendendi libertate ad gratiam & voluptatem utuntur.... Quum aliquando Tiberius Cæsar in senatum veniisset, surgens adulator quidam, ait: hominibus liberis libere loquendum esse, nihilque metu dissimulandum, neque quicquam reticendum eorum quæ ad publicam utilitatem pertinent. His verbis quum omnes excitasset, factoque silentio, & ipso etiam auscultante Tiberio: audi Cæsar (inquit) in quo te quidem culpamus omnes, etiam si nemo palam audet dicere. Negligis te ipsum, corpusque tuum exponis pro nobis; sollicitudinibus & laboribus illud conficiens: nec interdiu, nec noctu quiescens. Hujusmodi multa quum ille dixisset, ajunt oratorem Cajum Severum subjecisse: ista libertas hunc hominem exitio dabit. *Lib. de Discrim. adul. & amici, ibidem.*

Atque hæc quidem leviora sunt. Sed illa sane periculosa, & stultorum animos inficientia: quoties improborum vi-

vitia confirmant, quum contraria illis vitia criminantur. Quemadmodum assentator Himerius, Athenis divitem quemdam sordidissimum & avarissimum, veluti per contumeliam luxuriosum reique familiaris indulgentem appellavit; addens futurum, ut una cum liberis aliquando misere egeret. At rursus quum luxuriosis & profusis parsimoniam ac sordiciem exprobrant, veluti Neroni Titus Petronius: aut quum principes crudeliter & acerbe subjectis imminentes admonent, ut abjiciant immodicam humanitatem, intempestivamque & inutilem misericordiam. His affinis est & ille, qui stupidum ac bardum hominem perinde cavere sese ac metuere simulat, quasi callidum quempiam ac versutum. Item qui invidum, atque semper maledicere carpereque gaudentem, si quando compulsus fuerit celebrem aliquem virum laudare, reprehendit: eique contradicens, tanquam hoc vitio morboque laboret, laudas (inquit) homines nihili? Quis enim est iste? aut quid unquam magnificum vel fecit vel dixit? Porro in amoribus potissimum insidiantur iis quos captant, quo magis accendant. Etenim quum germanos inter se disidentes viderint, a liberis parentes haberi despectui, aut maritos male de uxoribus suspicari; tum nec admonent nec accusant, sed magis atque magis instigant. Non sentis, inquiunt, te ipsum harum rerum esse causam, qui nimium obsequentem ac modestum te illi præbeas? Quod si quis iracundiæ pruritus ex ira & zelotypia subortus fuerit in amicam, aut adulteram quam amat; ibi præsto est adulatio, splendidam imitans libertatem, ignem igni (quod ajunt) adjiciens. Accusat & in jus vocat amantem, quod multa parum amatorie, multa dura ac reprehendenda fecerit. O ingrate, inquit, & immemor crebrorum suaviorum! Sic Antonio, quum Ægyptiam amaret & incensus esset, amici persuadebant, ipsum ab illa adamari; & conviciantes rigidum ac superbum vocabant. Mulier (inquiebant) relicto regno tam opulento, tamque felicibus familiaritatibus, amore deperit; tecum militans, concubinæ vultu specieque:

Ast immota tibi duro sub pectore mens est.
Qui illam negligas afflictam.

Ille vero libenter admittens reprehenſionem, velut illi faceret injuriam, & ſic hujuſmodi gaudens accuſatoribus, ut non æque laudatoribus, haud ſentit ſeſe ſimulata repre-
* henſione magis etiam depravari. Talis objurgandi libertas ſimilis eſt laſcivientium muliercularum morſibus. Excitat enim tantum ac titillat; & hoc ipſo quod dolorem facere
* videtur, delectat. Non aliter ac vinum, alioqui remedium efficax adverſus cicutam, ſi pariter utrumque commiſcuerint, plane vim veneni reddunt immedicabilem, quod vini calore celerius ad cor penetret: ita callidi quidam, intelligentes liberam admonitionem efficax eſſe remedium adverſus adulationem, ipſi libertati monendi adulationem admiſcent. *Lib. de Diſcrim. adul. & amic. prope medium.*

Ceterum una cavendi ratio videtur eſſe, ſi cognoverimus ſemperque meminerimus, quod quum animus noſter duas habeat partes, alteram veram, honeſtis gaudentem, rationi obtemperantem; alteram rationis expertem, mendaciis gaudentem, affectibus obſervientem: amicus quidem ſemper in potiorem partem conſulit, & huic patrocinatur, medicorum exemplo, quod ſanum eſt id augens ac tuens. Adulator autem brutæ & affectibus obnoxiæ parti aſsidet: hanc † ſcabit, hanc titillat, huic perſuadet, & abducit a ratione, pernicioſam quamdam mollitiem illi mo-
* liens inducere. Ergo quemadmodum cibi nonnulli ſunt, qui nec ſanguini ſunt adjumento, nec ſpiritibus, nec nervis aut medullis vigoris aliquid addunt; ſed pudenda modo permovent, alvum tumefaciunt, & carnem gignunt ſupputrem & flaccidam: ſic aſſentatoris oratio nihil addit ſobrietati, nihil prudentiæ; ſed eum aut amoris delectatione quadam delinire, aut ſtultam incitare iracundiam, aut invidiam irritare, aut animi faſtum inducere moleſtum & inanem, aut in dolore collacrimari, aut difficultatem morum & illiberalitatem ac pertinaciam ingenerare nititur... Semper enim ali-
* cui imminet animi morbo: hunc premit & urget, bubonis in morem, undique putribus & inflammatis animi partibus incumbens. Si iraſceris, ulciſcere, inquit: ſi concupiſcis, fruere: ſi times, fugiamus, inquit: ſi ſuſpicaris, crede. Quod ſi

in

† *Al.* Scalpit.

in hujuſmodi perturbationibus animi non queat facile deprehendi (propterea quod ratio vehementia magnitudineque cupiditatum excutiatur;) in aliis magis anſam præbebit, & in illis ſui ſimilis. Siquidem ubi contigerit, amicum ſuſpicari ne quid peccarit crapula, aut ſi quid de balneo deque cibo dubitet: ibi amicus coërcebit hominem, admonebitque ut ſibi caveat, ac vitet periculum. Contra adulator in balneum pertrahit, jubens ut ſuperiori peccato novum aliud addat, nec ſinat corpus cohibitum ſegneſcere. Quod ſi viderit illum ad iter, ſeu navigationem, aut aliud quippiam agendum propter mollitiem parum animatum eſſe, non dicet urgere tempus; ſed nihil minus effecturum, ſi vel differat, vel alium miſerit. Porro ſi pollicitus ſit familiari cuipiam ſe mutuo daturum pecuniam, & pœnitet quidem promiſsi, ceterum pudet negare; ibi adulator ad pejorem additus lancem, ſuo conſilio bilancem impellens, verecundiam illam excutit, jubens eum rebus ſuis parcere: quippe qui multa inſumat, quique multis ſuppeditare cupiat. Unde (a) ſi ipſi ſentiamus, nos ipſos cupidos eſſe, impudenter facere, ignavos eſſe, nihil nos fallet adulator. His enim affectibus ille ſemper patrocinatur, libere reprehendens, ubi velis ab his diſcedere. *Lib. de Diſcrim. adulat. & amici, penes medium.*

Atque hiſce quidem de rebus hucuſque ſatis dictum eſt. Deinceps ad utilitatem & obſequia noſtra ſe conferat oratio: quandoquidem in his quoque ſic confunduntur omnia, ut difficillimum ſit adulatorem ab amico diſtinguere, dum ille videtur impiger & ad omnia promtus, nihilque recuſans. Nam ut veritatis, juxta Euripidem, ſimplex eſt * oratio: ſic & amici mores ſimplices ſunt, ſinceri, fucoque carentes. Verum adulatoris mores qui per ſe morbidi ſunt, multis ac doctis opus habent pharmacis, atque adeo novis & exquiſitis. Ut igitur in congreſsibus ſic ſe habet amicus, ut quum nec dicat quippiam nec audiat, tamen aſpectu riſuque benevolentiam, verumque pectoris affectum tacite dans, atque viciſsim accipiens prætereat: aſſentator tamen currit, affectatur, ſalutat eminus; ſi prior viſus, ap-

(a) *Tit. Cognitio ſui.*

appellatus fuerit, excuſat ſeſe teſtibus adhibitis, ſæpius & cum jure jurando. Sic & in negotiis permulta prætermittunt amici minuta, nuſquam exacte diligentes, nec uſquam curioſi, neque ſe met ipſos in quodvis obſequium ingerentes. At hic in hujuſmodi rebus aſsiduus, ac perpetuus & infatigabilis, alii nemini locum dans, nec ſpatium inſerviendi: ſed exigens uti ſibi mandet; & ſi mandatum non fuerit, moleſte fert: vel potius prorſus exanimatur, & obteſtatur deos. Ergo & iſta quoque ſignificant iis qui ſapiunt, non veram nec ſinceram amicitiam, ſed meretriciam eſſe. *Ibidem, penes medium.*

Ex adulatoribus qui verſutior eſt, adeſt quidem in deliberando, ſimul adducit ſupercilia, ſimul annuit vultu; loquitur autem nihil. Quod ſi ille dixerit, quid ſibi videatur: papæ (inquit) paullulo me antevertiſti loquendo: nam iſtud ipſum ego dicturus eram. Sicut enim mathematici dicunt, ſuperficies & lineas per ſe nec inflecti, nec extendi, nec moveri, quum res ſint intellectus, non corporeæ; cum corporibus autem una flecti & extendi, & loco moveri, quorum ſunt extremitates: ſic adulatorem comperies ſemper cum aliis confitentem, ſententiam dicentem, intelligentem, iraſcentem; ut in his ſane facillimum ſit, diſcrimen animadvertere. Sed multo adhuc facilius in inſerviendi modo. Siquidem officium (a) quod ab amico proficiſcitur, ceu vivum quoddam animal, vires maxime proprias in intimis habet: nihil autem accedit oſtentationis,
* aut plauſibilitatis. Quin ſæpenumero fit, ut quemadmodum fidus medicus ægro neſciente ſanat: ſic amicus proſit, vel congrediens, vel diſcedens, ignorante amico, negotium illius curans.... Hoc pacto (b) deos etiam arbitror plerumque bene mereri de mortalibus, ut non ſentiantur bene mereri, & ob id ipſum bene facere, quod ſuapte natura gaudeant bene facere. *Eod. loco, paullo poſt.*

¶ *Vide etiam hac de re, Tit.* Admonitio, *& Tit.* Amicus.

(a) *Tit. Amicus.* (b) *Tit. Beneficia Dei.*

Re-

Religio.

CUr Jovis ſacerdoti ſub dio ungi fas non eſt? ... An ſicut in templo & ſacro corpus aperire nefas eſt; ſic aërem apertum, & qui cælo ſubjectus eſt, deorum ac dæmonum plenum verebantur? Quo fit, ut quum neceſsitati ſerviendum eſt, multa ſub tecto occulte, deorum conſpectum veriti homines faciant. *In Problem. longe poſt init.*

Sacrificium, Oblatio.

QUid cauſæ eſt, quod Metellus Pontifex Maximus factus, alioqui prudens ac civilis, poſt Sextilem menſem qui nunc Auguſtus dicitur, vetuit auſpicari?... An quod adultis ac perfectis avibus auſpicandum ſit? Sunt autem hujuſmodi ante quam æſtas advenerit: autumno enim aves aut imbecilles ſunt & morbidæ, aut pulli & imperfectæ. Aliæ vero propter anni tempus alio devolant. *In Problem. longe poſt initium.*

Hoc problemate colligimus, non vilia, ſed præſtantiſsima quæque Deo eſſe immolanda, juxta Micheæ vaticinium. cap. 6. v. 6. ſeq.

Quid eſt quod quum Romani barbaros quoſdam diis immortalibus hominem immolaſſe accepiſſent, magiſtratus eorum arceſſendos ac puniendos putaverunt? Quos poſtea quum id conſuetudine quadam ac lege feciſſe accepiſſent, eos dimiſerunt, alias id facere prohibuerunt: quum ipſi non multis annis ante, duos viros & duas mulieres in foro boario vivos obruerint? Non enim videtur convenire, ipſos hæc facere; & barbaros qui talia commiſiſſent reprehendere. An diis immortalibus hominem immolari impium ducebatur; dæmonibus autem neceſſarium? *In Problem. penes medium.*

Pie-

Pietas in patriam.

POmpejum legimus defectionis pœnas a Mamertinis exposcere *decreviſſe*. Aſtitit autem Stheno ille, & libera remiſſaque fronte verba fecit: non æque neque juſte conſtituturum Pompejum, ſi unius ob noxam pleroſque inſontes damnandos capitis velit; ſe unum eſſe, qui civitatem ad defectionem erexit, amicis quidem perſuadendo, inimicis vero vim afferendo. His ita affecit Pompejum, ut & civitati parcere, & Sthenonem humaniter comiterque habere, facile induxerit animum. At hoſpes quidam Syllæ, virtute quidem ille ſimili uſus eſt; ſed non Pompejo ſimilem Syllam adeptus, fortiter atque ingenue mortem obiit. Prænetum enim oppidum Sylla quum vi cepiſſet, civeſque ad unum necandos conſtituiſſet; unum illum qui hoſpes ejus fuerat, hoſpitii nomine exemtum voluit: ille contra, nolo (inquit) occiſori patriæ ſalutis acceptæ gratiam habere, ſimulque civium ſe turbæ immiſit, & una cum reliquis trucidatus eſt. *In Polit. longe poſt med.*

Obſervantia in majores.

PUlcherrimum & utiliſsimum inſtitutum civilis diſciplinæ hoc eſt, ut principibus magiſtratibuſque quiſque obtemperet, etiam ſi opibus ac natalibus inferiores eſſe ali-
* quatenus videantur. Indignum certe & vehementer abſurdum negotium, tragœdiarum principem Theodorum, Polumve hiſtrionem aliquem mercenarium humili quandoque oratione affari, propterea quod diadema & ſceptrum geſtat: in gubernanda vero republica, ac rebus non confictis ſed veris, magiſtratum idcirco a divite quopiam & potente contemni & parvi fieri, quod privatis non valet opibus, etiamſi rerum anguſtia & difficultate laborare videatur. Nempe hoc nomine, dum exiſtimationi magiſtratus per contumeliam & contemtum detrahitur, Reip. ipſius dignitas dejici ac premi videtur: quandoquidem pro ſe quiſque

que maxime ipſam auctam & ornatam velle tenetur & debet, eique ſuam ipſius gloriam, ſuam exiſtimationem adjicere.... Majus enim decus affert homini præpotenti in civitate, ſi magiſtratum ipſe deducit ac ei ſe comitem adhibet, quam ſi ipſe contra deducatur a magiſtratu: immo hoc invidiam parit, illud ſolidam arguit gloriam; ut quæ a benevolentia honorem habentium proficiſcitur: præter quam quod etiam civitati ipſi dignitatem addit & decus. Pulchrum profecto ſpectaculum & jucundum, ſi prior is ad veſtibulum prætorii prætorem ſalute impertiat, atque eum amplexus, ſpatiando per urbem deambulet. Civile quoque illud populareve, maledictum aliquod per iram prolatum æquo excipere animo ... & vel illud Diomedis per occaſionem ſubdere: laus hinc & honos ſequetur. *In Politica, longe poſt medium.*

Gratitudo in Deum.

PYtho, admirantibus eum Athenienſibus, & honore ac laude proſequentibus, quod Cottyn interemiſſet: diis (inquit) habenda eſt gratia, quibus auctoribus patratum facinus egregie eſt, manu dumtaxat & operâ a me commodato acceptâ. *In Politica, longe poſt medium.*

Si hoc ethnicus, quid Chriſtianum hominem facere par eſt?

Contemplatio.

EQuidem Diogenis illud dictum memorabile eſſe cenſeo, qui quum Lacedæmone peregrinum quemdam conſpicaretur ambitioſiſsime ſe ad diem feſtum componentem: quid? inquit: viro bono nonne dies feſtus omnis eſt? Nempe ſi ſapimus, etiam feſtiviſsimus. Eſt enim mundus fanum quoddam ſanctiſsimum, & maxime Deo dignum. In hoc homo fanum naſcendo admittitur, non quidem ſpectatum ſimulacra fabrefacta ac ſenſus expertia; ſed ſolem, lunam, ſidera, a quibus vitæ motuſque principia manant:

quæ

quæ providentia nobis viſenda præbuit, ut ſenſibilia ſane ſint intelligibilium ſimulacra atque imitamenta, ut Plato inquit. Adde flumina novam ſemper aquam evehentia, terramque tum ſtirpium, tum animalium generi pabula proferentem. *Lib. de Tranq. animi, prope finem.*

Juramentum.

QUid eſt quod pueros, ſi Herculem jurant, id ſub tecto facere prohibent, & ſub dio progredi jubent: quod ut ſub dio faciant, ideo exire jubent? An ea cauſa eſt, quam multi afferunt, Herculem (a) non umbra atque otio, ſed labore ac periculis delectatum, non domi, ſed foris ac ſub dio vitam egiſſe? ... An hæc quidem dicuntur, & joco apud pueros adhibentur, ut aliud occultius agatur, ne pueri ſic temere inſueſcant dejerare? Sic enim Phavorinus ajebat. Hoc enim quaſi de induſtria moram efficit, & deliberandi dat ſpatium. Phavorinum vero recte putaſſe, nec commune, ſed proprium hujus Dei hoc quod fit exiſtimaſſe, ex iis quæ de Hercule feruntur facile conjici poteſt. Ferunt enim hunc in primis religioſum fuiſſe, & ad jusjurandum verecundiſsimum: quippe qui ſemel in omni vita juraverit, idque ſoli Phyleo Augei filio. *In Problem. longe poſt initium, & ante med.*

Mendacium.

PErſæ ſecundum arbitrantur delictum, mentiri; primum, debitorem eſſe: quando quidem qui debent, ut plurimum mentiri coguntur. *Lib. de Vitanda uſura, penes med.*

Obe-

(a) *Tit. Contra otium pro labore.*

Obedientia.

LAudatur Epaminondas, qui Thebis invidioſe atque contemtim † decretus Thelearchus, non neglexit munus, inquiens: non modo magiſtratu virum oſtendi, verum etiam magiſtratum viro. Id itaque muneris amplitudine ipſe evexit, & clarum reddidit. Fiebat enim antehac parvi, & pæne pro nihilo habebatur: quod angiportus, & viam per urbem ita curare neceſſe habebat, ut per cloacas & ſubterraneos rivulos purgamenta quæque extergerent, & ejuſmodi quiſquiliarum elluvies.... Pleraque enim ſunt, quæ ſi tu tibi ipſi, aut per te ipſum pertractes & agas, abjectus & ſordidus merito exiſtimari poſsis. Hæc eadem ſi civitati publicitus exhibere videaris, non illiberalis & degener ſed generoſus civis haberi queas. Magni eſt enim atque perſtrenui animi, vel parvulas civitatis res curandas ſuſcipere. *In Politica, penes medium.*

Liberalitas.

EPicurus ſummum bonum in otio altiſsimo conſtituens, velut in portu tranquillo qui nullis agitetur ventis, nullo ſtrepat fragore, dicit non modo pulchrius eſſe beneficio afficere quam affici, verum etiam jucundius. Nam nulla res perinde parit gaudium, ut beneficentia.... Quapropter multi ſæpe pudore ſuffunduntur, quum beneficium accipiunt: ſemper autem gaudent, quum beneficium præſtant. *Lib. de Diſput. Philoſoph. cum Princip. prope finem.*

Avaritia. Prodigalitas.

EOs qui nihil inſumunt, poſsident autem permulta, ſemperque plura deſiderant, maxime mirabitur qui meminerit Ariſtippi. Nam is ſolitus eſt dicere: ſi quis multum *

† *Id eſt, ut Cruſerius vertit*: Vectigalibus præfectus.

tum ederit multumque biberit, nec unquam expleatur, adit medicos, percontatur quid ſit morbi, quæ ſit affectio, qua ratione queat levari. At ſi quis habens quinque lectos, requirat decem; ac decem poſsidens menſas, alteras totidem coëmat; quumque multum adſit agrorum, multum pecuniæ, non tamen expleatur, verum in alia inhians vigilet, nulliſque omnino rebus ſatiari poſsit: an non hic exiſtimabit, ſibi opus eſſe a quo curetur, quique oſtendat quibus ex cauſis morbus is ſit ortus? Ac ſane qui quum nondum biberit, ſitiat; futurum exſpectes, ut is ſimul atque biberit, ſiti liberetur. Eum vero qui continenter bibat, nec ullum faciat finem; huic non expletione, ſed purgatione judicamus opus eſſe; jubemuſque vomere: quippe qui non perturbetur inopia; ſed acore, caloreque quopiam, qui præter naturam ineſt. Ergo qui eget atque inopia laborat, ex eorum numero qui parant facultates, fortaſſe quieſcet parata domo, aut invento theſauro. At qui plura quam ſat eſt poſsidet, plura nihilo minus concupiſcens; hunc nec aurum nec argentum ſanare poteſt, nec equi, nec oves, nec boves: ſed vomitu ac purgatione opus habet. Nec enim hujus morbi opus eſt penuria; ſed inſatiabilitas amorque divitiarum, a pravo judicio proficiſcens. Id niſi quis revellat ab animo, ceu malum tranſverſum inhærens, non deſinet immodicis egere: hoc eſt, deſiderare ea, quibus non eſt opus. Medicus ad hominem ingreſſus lecto affixum, ſuſpirantem, ac cibum capere recuſantem, ſimul atque tetigerit eum, ac percontatus fuerit, deprehenderitque non teneri febri: animi morbus eſt, inquit, ac diſcedit. Nos igitur quum viderimus hominem lucris attenuatum, ſumtibus ingementem, a nulla turpitudine moleſtiâque temperantem, quæ modo conducat ad rem faciendam; quum domos habeat, agros, armenta, mancipia, veſtes: quo tandem morbo dicemus hunc hominem teneri, niſi animi paupertate? Quandoquidem pecuniarum inopiam (quemadmodum ait Menander) vel unus amicus bene merens ſuſtulerit. At illam animi penuriam ne univerſi quidem expleant, neque viventes, nec vita functi. Quare illud eleganter in hos dictum eſt a Solone:

Haud

Haud eſt finis opum fixus mortalibus ullus.

... Jam vero eſt & illud avaritiæ proprium, quod hæc cupiditas ipſa ſibi repugnat ne ſatietur, quum reliquæ magis ad id adjuvent. Itaque nemo probus ab obſoniis abſtinet, ob id ipſum quod ſit avidus obſoniorum: nec a vino, quod vini ſit appetens: quemadmodum iſti a pecuniis abſtinent ob pecuniæ cupiditatem. Et ſane non ne morbus inſaniæ ſimilis ac miſerandus videtur, ſi quis ob id non utatur veſte, quod algeat: neque pane, quod eſuriat: neque divitiis, quod divitiarum ſit avidus?... Itaque cupiditas divitiarum tanquam acerba graviſque domina, cogit quidem ut pares; ceterum vetat ne fruaris. Et cupiditatem quidem acuit; voluptatem autem ſubducit. Avari igitur parant quidem opes tanquam ſplendidi, utuntur tanquam ſordidi: & labores tolerant, quum careant voluptatibus.... Quis vero te non admiretur, infeliciſsime, ſi quum poſsis iſtum ad modum vivere vitam adeo ſordidam, adeo ab homine alienam, nemini quicquam impertiens, tam incomis in amicos, tam non munificus erga rempublicam: tamen affligeris, vigilas, operaris, captas hæreditates, ſubmittis te; quum tantum habeas otii viaticum, nempe ſordidam parſimoniam? *Lib. de Cupiditate divitiar. paullo poſt init.*

Si quis avaro dixerit: non audis philoſophum? Quî poſſum? inquit: non eſt mihi otium patre mortuo. O te miſerum! Quid tibi reliquit pater conferendum cum eo quod abſtulit? nempe libertatem & otium? quamquam non tam ille abſtulit, quam ipſa rerum opulentia, quæ tibi circumfuſa tuique victrix inflammat te. *Lib. de Cupid. divit. prope finem.*

¶ *Vide etiam Tit.* Avaritia. *Tit.* Divitiæ. *Tit.* Paupertas, *quæ proximo loco ſequuntur.*

Divitiæ, Divites.

HIppomachus aliptes quibuſdam laude efferentibus præ- * longum quempiam, ac prælongis manibus hominem,

tanquam ad pugilum certamen idoneum : ſane (inquit) ſi ſuſpenſa in alto corona foret detrahenda. Idem licebit dicere in hos, qui pulchra prædia, qui amplas ædes, qui pecuniæ vim ſtupent, atque his in rebus felicitatem ſitam eſſe ducunt : ſane, ſi quidem venalis eſſet emenda felicitas. Quamquam permultos videas, qui malint eſſe divites ſimulque miſeri, quam dato argento parare felicitatem. At non emitur nummis animus liber omni moleſtia, ſuaque contentus ſorte ; nec magnanimitas, nec tranquillitas, neque libertas. Divitem eſſe, non eſt divitias contemnere, nec immodicas opes poſsidere ; ſed non egere ſupervacaneis. A quibus igitur malis liberant divitiæ, ſi ne hoc ipſum quidem adimunt malum, ſui cupiditatem : quum potus ſedet ſitim, cibus famem ſanet? At ille qui dicit : da
* pallium Hipponacti, vehementer enim algeo : pluribus quidem impoſitis palliis offenditur. Ceterum argenti cupidinem non extinguit argentum ; nec aurum, auri ; neque ſi plura poſsideas, coërcetur plura poſsidendi cupiditas. Quin idem dicas licebit divitiis, quod in medicum competit impoſtorem : pharmacum tuum morbum auget. *Lib. de Cupid. divit. in princ.*

Quod ait Sophocles, deformem corpore ac obſcurum fama, modo accedant opes, mox ſapientem linguâ formoſumque videri. Contra hæc omnia rurſus alia Sophoclis opponenda ſunt, veluti quum ait :

Etiam ſuus egenti rerum ſit honos:
Et ſi ſapiat pauper, nullo ſit inferior.

Lib. de Audienda poëtica, longe poſt init.

Paupertas.

NUmquid nominis nullius Diogenes? Quem quum vidiſſet Alexander in ſole ſeſsitantem ſtetit ; & an re aliquâ indigeret percontatus, accepit : nihil aliud velle, quam ut paulliſper obumbrare ſolem deſineret. Cujus animi elatione ſtupefactus, ad amicos converſus dixit : ſi Alexander non eſſem, Diogenes utique eſſem. *Lib. de Exſilio, prope fin.*

Cra-

Crates ille Thebanus, quamvis nullo ære alieno obſtrictus, a nemineve moleſtatus, ob curas tamen ſolum domeſticas moleſtiaſque familiares, ſubſtantiam octo reliquit talentorum: ſumtoque baculo ac pera, in philoſophiam ac paupertatem confugit. Anaxagoras quoque non infertili ſe abdicavit fundo. Sed quid illos enarrare neceſſe eſt? Siquidem Philoxenus † Melopæus vitam ac domum opulentiſsimam in Colonia Sicula hæreditate nactus, quum delicias, voluptates, ac indigenam conſideraſſet inelegantiam: per deos, inquit, bona hæc haud me perdent; ſed ego illa: aliiſque hæreditate relicta, enavigavit. *Lib. de Vitanda uſura, in fine.*

Fortitudo.

PRæclare Antiſthenes hoſtibus optanda omnia a diis eſſe bona dicebat, præter fortitudinem. Etenim illa tandem omnia virorum fortium atque armis præſtantium fore; non ea poſsidentium. Quapropter naturam (inquiunt) cervo, animali ignaviſsimo, cornua magnitudine viſenda aſperitateque ingeneraſſe: nimirum (a) ſpecimen dantem, qui audere ipſi, fiduciamque imperare ſibi nequeunt, nullum iis armorum apparatum bellique inſtrumentum uſui eſſe. Hoc modo ſæpe fortuna ſocordibus ſtolidiſque opes & imperia tribuens, quibus ipſi demum degeneres arguuntur, adſtruit honeſtatque virtutem: utpote in qua una ſita ſint amplitudo decorque viri.... Siquidem iiſdem opibus, eodem imperio freta Semiramis femina, claſſes inſtruebat, phalangas armabat, Babylonem condebat, rubrum denique mare navigio perluſtrabat, Æthyopiæ atque Arabiæ ſubigendis populis. At Sardanapalus vir quidem natus, domi purpuram carminabat, inter pallacarum turbam ſupinus in humeroſque jacens. Cui *defuncto* lapideam ponentes ſtatuam ſecum ipſam ſaltantem barbarico ritu, argutuliſque digitis ſupra caput veluti concrepitantem, adſcripſerunt: ede, bi-

† *Cruſerius ſolum habet*: Poëta Philoxenus. (a) *Nihil arma ſine fortitudine valent.*

be, veneri indulge: nam cetera prorſus nihil omnia. *Lib. 2. de Fortuna & virt. Alexandri, haud procul ab initio.*

Fortitudo non eget ira, ſiquidem a ratione tincta eſt. Porro quod furore & ira corruptum eſt, facile frangitur, eſtque putre. Proinde Lacedæmonii pugnaturis iram adimunt concentu tibiarum: ac Muſis rem divinam faciunt, ante quam ineant prælium; quo videlicet ratio permaneat in illis. Et quum hoſtem verterint in fugam, non eum perſequuntur; ſed reprimunt iram: quippe quæ facile revocari poſsit. *Lib. de Cohibenda iracundia, penes medium.*

Ex Trojanis multi ſunt capti vivi; at (a) Græcorum nullus. Deinde multi item illorum ſupplicarunt hoſtibus, ceu Adraſtus, filii Antimachi, Lycaon; & Hectori precibus conceſſum eſt ſepulcrum ab Achille: ceterum ex his nullum invenies ſupplicem. Barbaricum eſt enim preces porrigere, & capi in certamine; quum Græcorum ſit proprium vel viciſſe in pugna, vel occubuiſſe. *Lib. de Audienda poëtica, longe poſt medium, & ante finem.*

¶ *Vide etiam hæc de re Tit.* Patientia. *Tit.* Conſtantia.

Fortunæ inconſtantia.

* NUllus eſt vir, qui uſquequaque felicitate fruatur: & per Jovem parendum eſt fatis. Nam ut in plantis nonnunquam maxima eſt fertilitas, interdum ſterilitas: & in animantibus quandoque numeroſa proles, quandoque nulla: & in mari tempeſtates ac tranquillitates: ita & in vita multi ac varii caſus in adverſas circumagunt homines fortunas... Natus es enim mortalis. Et te quoque invito, diis ita volentibus erit. Et illud a Menandro dictum. Nam ſi omnium ſolus natus es Trophime, quum te mater pariebat, ea lege, ut quod velis agas, felicitate perpetuo fruaris, & deorum aliquis hoc tibi pollicitus eſt, merito indignaris: mentitus enim eſt, atque inique fecit. Sin autem iiſdem quibus nos legibus vitalem hunc ac communem hauſiſti aërem, hæc melius & ferenda & cogitanda ſunt. Quod autem rationum ca-

(a) *Tit. Magnanimitas.*

caput, homo es: quo ad ſumma rurſuſque ad ima nullum animal mutationem celerius accipit; nec id immerito. Nam quum naturâ infirmiſsimum ſit animal, maximas res adminiſtrat. Quum autem cadit, multa conterit bona.... Eſt igitur viri haud recte res ipſas cogitantis, in re nequaquam ſtabili ac firma conſtantiam quærere. Rotæ enim circumactæ nonnunquam altera pars ſuperne exſtat, nonnunquam altera.... Inconſiderata namque eſt fortuna, ut inquit Theophraſtus, & ad ea quæ elaboraveris auferenda vehemens, nullumque habens ad perturbandam exiſtimatam felicitatem conſtitutum tempus. *In orat. conſol. ad Apollon. paullo poſt initium.*

Crates auream Phrynes meretriculæ effigiem Delphis poſitam quum vidiſſet, exclamavit: Græcorum id petulantiæ trophæum erectum eſſe. At, qui Sardanapali aut vitam, aut monumentum (nihil enim ut arbitror differunt) viderit, hoc fortunæ bonorum trophæum ſane eſſe dixerit.... Leoſthenes dicebat hanc immenſam potentiam errabundam, & huc illhuc incurrentem, Cyclopi ſimilem eſſe: qui poſt exoculationem, manus quoquoverſus intentabat, nunquam non aberrantes a deſtinato propoſito. *Lib. 2. de Fortuna, & virt. haud longe ab initio.*

Fortunæ utriuſque contemtus & moderatio.

QUemadmodum muſcæ in terſiſsimis ſpeculis reptantes delabuntur, aſperis vero hærent locis facillime: ſic ſtulti homines ex jucundiſsimis placidiſsimiſque rebus dicentes, triſtiſsimarum rerum recordationem tenaciter apprehendunt. Immo vero quemadmodum apud Olynthios locum quemdam eſſe ajunt (quod ex re ſumto nomine, Cantharoletron dicitur) in quem congeſti ſcarabæi foras erepere nequeunt, ſed diu multumque intus volutati, orbeſque ne quicquam ducentes, intereunt ad extremum: ſic homines in malorum memoriam revoluti, eniti poſthac non poſſunt nec reſpirare. Proinde ut pictores fuſcos in tabulis colores, omninoque ſubducendos oculis, præ-

nitentibus aliis & viſendis coloribus inducere, atque interlinere ſolent: ſic homines in ſuo ſibi animo triſtia quæque maxime ſilendaque eventa, memorandis aliis & prædicabilibus premere oportet, & tanquam obruere. Tam eſt enim varia, multiplex, reciprocabilis mundi hujus harmonia, quam lyræ eſt aut arcus: nec in humanis quicquam
* eſt, quod purum, ſincerum, ſimplexque ſit. Verum ut muſica ſonis acutis & gravibus conſtat; & grammatica litteris vocalibus & mutis; (at muſicus grammaticuſque eſt, non qui horum alterutris illorumque offenditur, ſed qui utriſque uti, miſcereque accommodatiſsime novit:) haud aliter ſapienter is demum inſtituiſſe vitam videtur, qui diverſiſsimos rerum eventus, mutuoque ſibi obverſarios miſcere ſcite didicit, ſecundos cum adverſis compenſando. Nam ut ſeorſum bona & mala ponantur, humanæ vitæ commoditas non admittit: ſed temperamentum quoddam ex utriſque conflari convenit, ſi recte de iis ſtatuere volumus. Non eſt igitur conſentaneum alteris eorum ingemiſcere, & tanquam oneri iniquo ſuccumbere, animo concidentes: ſed deterrimi cujuſque eventus vim atque impreſsionem meliorum rerum recordatione retundere, omninoque commodis incommoda, veluti involucro quodam velantes, totius vitæ tenorem ex proſperis adverſiſque rebus concretum ac coagmentatum, quaſi concentum quemdam efficere, harmonica ratione temperatum. *Lib. de Tranquil. animi, verſus finem.*

Nec vero (ut Menander putavit) homini ſtatim nato præſto genius eſt aliquis, auſpicandæ bene vitæ initiator, rectèque degendæ magiſter: ſed ut Empedocles potius, bini nos genii, hoc eſt, bifariæ ſortes (*quibus ille multa nomina variaque indidit*) in lucem protinus editos accipiunt; jam inde auctoratos ſibi datoſque pari prope dixerim mancipii jure. Harum omnium affectionum impendentia ſemina ajebat genituram noſtram ſuſcipere: ideoque ductum vitæ noſtræ non libratum atque aſperum eſſe: proinde ſapienti meliora in votis eſſe, deteriora etiam in exſpectatione: utrorumque autem temperamento ipſum uti ſapientem, neutram in partem nimium.... Quippe vehemens cujuſque rei ap-

appetitio comitem formidinem habet illius amittendæ: quæ hebetem ipſa lætitiam, atque identidem interpellabilem facit, perinde atque flammam flatu violentiore inhibitam. Quem vero ratio docuit, præfidenter & intrepide ita fortunam alloqui:

Si dederis, perlætus ero: repetiveris, æquus:

hunc nimirum ſeſe fretum præſentariis rebus ſuaviſsime frui oportet, nec ſuccurrente jacturæ cogitatione, metu ſubinde vellicari. Anaxagoras accepto de filii morte nuntio: ego (inquit) quum genui, interiturum ſcivi, & ei exſpectationi ſuſtuli. Hæc Anaxagoræ affectio tam nobis imitanda eſt, quam eſt admirabilis. Unicuique certe infortunio ſubteſtari illico licet: ſciebam precarias me opes nec trabali clavo fixas (ut ajunt) poſsidere, omninoque utendas accepiſſe. Haud ignarus eram, qui mihi potentiam dediſſent, eoſdem adimere quoque poſſe. Noveram uxorem probam eſſe, ſed mulierem quoque. Denique non me latebat, amicum hominem eſſe animal naturâ facile depravabili, ut Plato dictitabat. Profecto qui affectuum ſuorum rationem hoc modo comparaverit, illaque ſibi ſubſidia rationis præſtruxerit, ſi quid ei præter votum aut retrorſum forte ceſſerit, nec tamen improviſum; quum vulgaria illa nunquam admiſerit: haud unquam exiſtimaſſem: in magna ſpe eram: hoc nunquam futurum arbitratus ſum: tum vero ſubſilientis micantiſque cordis inæquabilitatem abſterſerit, confeſtimque ex turbulento & percito, compoſitum conſtanſque ſibi reddiderit. Carneades (a) adverſorum caſuum proſperis maxime in rebus admonere ſolebat: quod omne improviſum cum ægritudine animi, & quodam quaſi deliquio excipi natum eſſet.... Enimvero Homerus luculento admodum exemplo docuiſſe mihi videtur, quam vulnificentiora ſint ea, quæ improviſo inopinatoque feriunt. Uliſſes peregre reverſus, repentinæ morti canis ſui illacrimavit: uxori ſuæ flenti aſsidens, non illacrimavit. Siquidem jam inde adventans, præſumta lacrimantis uxoris imagine, erupturum haud dubie in re præſenti affectum otioſe mancipaverat ſibi, offirmatoque prius animo, in pote-

(a) *In die bonorum non immemor ſis malorum.*

ſtatem redegerat: canis vero nec opinato interitu perturbatus eſt: quum ſpatium in re improviſa non haberet affectus vim inhibendi. *Lib. de Tranquil. animi, verſus finem.*

Quod autem unuſquiſque (a) ſecuritatis anxietatiſque conceptacula, quaſique ſcaturigines in ſuo animo habeat, & omnino bonorum malorumque Homerica illa dolia (non quidem, ut ajebat ille, in Jovis limine depoſita; ſed intus in anima ſita) hominum ſane diſcrimina declarant, quos affectionibus animi varie moderari videmus. Etenim inſipientes (b) bona quoque præſentia tranſmittunt, uſque adeo ad futurum vergunt intentiſsimæ ſemper eorum curæ. Prudentes contra, acri ſe recordatione in rem præſentem reducentes, vel ea quæ jam non ſunt, inſtare etiam atque adeſſe faciunt. *De Tranquil. animi, poſt med. ſed longe ante fin.*

Proſperitas.

SYlla quæſtor in Lybia, imperatore Mario, miſſus ad Bocchum, re feliciter geſta, vinctum Jugurtham adduxit. Ea re, ut erat juvenis & gloriæ paullo avidius affectator, neque felicitatem modice tulit, & Jugurthæ imaginem, ut fuerat traditus, in annulo quem geſtabat inſculpſit. Eam rem crimini dans Syllæ Marius, amicitiam ejus poſthac aſpernatus eſt. Ad Catulum ille atque Metellum claros tum viros, alioqui infeſtiores Mario, ſeſe contulit: nec multo poſt Marium auctoritate dejecit, & opibus omnibus exuit, concitato jam illo bello civili, ex quo parum adfuit quo minus Romana res funditus periret. *In Politica, longe poſt initium, & ante medium.*

Felicitas (c) in rebus agendis (ſi Demoſtheni credimus) ſtultum complexa virum, prorſus inſanire facit. Atque eadem inſano turpia perpetrandi certiſsima occaſio eſt. *Lib. de Fortuna, in fine.*

Ad-

(a) *Tit. Victoria ſui.* (b) *Stulti futurorum cupiditate ſe torquent: ſapientes præteritorum recordatione præſentia moderantur.* (c) *Vide quid felicitatis intemperantia faciat.*

Adverſitas.

FUerunt nonnulli, quibus exſilium & pecuniarum jactura viaticum exſtiterit ad ſtudium ac philoſophiam, veluti Diogeni & Crateti. Nam Zenon, ubi navigium ſuum fractum audiſſet: bene facis (inquit) fortuna, quum ad pallium nos compellis. *Lib. de Utilit. capiend. ab inim. paullo poſt initium.*

Perſecutiones contra viros bonos.

NOn ſolum (ut eſt apud Phocylidem) multorum dolis expoſitum eſſe eum, qui cupiat in bonorum virorum haberi numero neceſſe eſt: ſed etiam crebro irrideri, contemni, ac morſus dentatos in ſe accipere illum, qui prorſus cupiat explodere ab animo inſcitiam. *Lib. de Officio auditoris, prope finem.*

Patientia, Impatientia.

ANaxagoram accepimus philoſophantem (ut ajunt) atque inter amicos differentem, quum a nuntio quodam filii mortem audiviſſet, paullulum ſe continuiſſe, hiſque qui aderant dixiſſe: noveram me mortalem genuiſſe. Periclem vero, qui ob orationis ac prudentiæ eximiam vim Olympius quoque appellatus eſt, quum utrumque filium, Paralum videlicet ac Xantippum (ut Protagoras ait) vitam cum morte commutaſſe accepiſſet, ita & ipſum fuiſſe locutum tradunt. Filiis enim adoleſcentibus ac formoſis octo dierum intervallo vita defunctis, citra luctum ſuſtinuit. Tranquillitate namque animi ac ſerenitate perfuſus erat: quæ ſibi per ſingulos dies ad felicitatem atque indolentiam ... plurimum contulit.... Hunc enim (a) ſtatim poſt utriuſque filii obitus nuntium, nihilo minus corona patrio more inſi-

(a) *Hæc Hieron. in Epitaphio Nepotiani, paullo poſt initium.*

ſignitum, candidaque veſte indutum concionari intuebantur, conſilia excogitantem bona, ipſoſque Athenienſes ad bellum exhortantem. At Xenophontem Socraticum, quum ſacra quondam faciens, a nuntiis ex bello profectis, filium nomine Gryllum dimicantem, vitam finiſſe audiviſſet, coronam ſibi primum detraxiſſe accepimus: percontatum deinde, quonam pacto periiſſet, quum ſtrenue dimicando hoſtiumque quamplurimos occidendo retuliſſent; aliquantulum temporis commoratum, dum cogitatione luctum cohiberet, coronam rurſus impoſuiſſe, inchoatumque peregiſſe ſacrificium, ac nuntiis dixiſſe: deos precatus ſum, ut mihi filius non immortalis ac longævus eſſet (neque enim conſtat, utrum tale quid conferat) ſed qui & ſtrenuus eſſet, & (a) patriam diligeret: quod utique factum eſt. Dionem vero Syracuſanum accepimus cum amicis ſedentem, magnæque vocis tumultu circa ædes excitato, quum rei cauſam percontatus, filium de tecto delapſum mortem obiiſſe audiviſſet, nihil perturbatum ac perculſum, defuncti quidem corpus ad legitimam ſepulturam ut traderent, juſsiſſe; ipſum vero, quæ conſiderabat & cum amicis deliberabat, minime reliquiſſe.... Horum utique virorum animi elationem ſuſpiciunt quidem omnes, atque admirantur: ſed ob eam quæ ab inſcitia proficiſcitur animi imbecillitatem, eos reipſa imitari nequeunt. *In oratione conſol. ad Apollon. prope finem.*

Non enim ut corpus rei gravantis pondere premitur, ſic ſemper & animus: qui contra potius rebus ex ſe ipſo onus imponit & gravat, quæ per ſe alioqui tolerabilia erant. Durus quidem natura eſt lapis, cryſtallus itidem frigida... exſilium vero, ignominia, & honorum amiſsio... non ſua natura, ſed noſtro ipſorum judicio affligendi vel delectandi modum habent: unuſquiſque autem hæc ſibi levia vel
* gravia, tolerabilia vel dura toleratu efficit.... Nam & ex cibariis multa amarulenta ſunt & acria, ſenſumque mordentia: quibus tamen ſi mitium quid aut dulcium admiſceas, omnem illam ſaporis inſuavitatem tollas. Sunt præterea & colores, quorum moleſtiam viſus ferre nequeat, ſed eorum du-

(a) *Tit. Pietas in patriam.*

duritie & vi ... confundi, & perſtringi lumina contingat. Si igitur ejus incommodi medicamen eſt umbræ admixtio, vel ad viridia mitiaque oculorum deflectio; cur non idem in adverſis caſibus facere liceat, hiſque admiſcere, quæ nunc tibi utilia benignaque non deſunt? ... Quare, ut in comœdia adhortatus quiſpiam amicum infelicem, ut bono animo eſſet malamque fortunam ulciſceretur, quo modo ulciſci poſſet interrogatus, ſapienter ulciſcendam eſſe reſpondit: ſic eam nos quoque ſapientiæ ſtudio digne (ut par eſt) ulciſcamur. Qua enim ratione pluviam nobis boreamve defendimus? nempe ignem, balnea, veſtimenta quærimus, tectaque ſubimus: neque enim dum imbre perfundimur, deſidemus aut ploramus. Tibi quoque igitur eam vitæ partem, quam frigus & rerum inopia tentarit, apud unum aliquem recreare & fovere licet: nec aliis adjumentis indigeas, ſi iis quæ adſunt (ut ratio ipſa dictat) uti velis. *Lib. de Exſilio, paullo poſt initium.*

Medicorum quidem cucurbitulæ exhauſto vitioſo ſanguine, ita reliquum allevant & conſervant. At mœrori & triſtitiæ dediti ac queruli, quæ apud ſe peſsima ſunt ſine ulla intermiſsione colligendo & reputando, doloremque inferentibus ſeſe ipſos atterendo, etiam quæ bona ſunt & utilia, mala efficiunt; eoque id potiſsimum tempore, quo auxilio opus erat. Illa enim duo fatorum dolia, quorum alterum bonis, alterum malis plenum ſcribit Homerus in cælo eſſe, non Juppiter ſedens diſpenſat, ut his mitia & bono aliquo permixta; his vero mera malorum fluenta tranſmittat: ſed ex nobis ipſis, qui mentis ſunt compotes, ex rebus ſecundis, iis quæ adverſa ſunt exhauriunt & infundunt, & potabiliorem jucundioremque ſibi vitam efficiunt. Contra vero multis mortalibus veluti colis quibuſdam, quæ deterrima ſunt, melioribus effuſis, relinquuntur & permanent. Si ergo in quippiam inciderimus quod revera malum ſit, hilaritas aliquid & lætitiæ ſuperinduci debet; & peculiari aliquo bono, & ex iis quæ expertis jam rebus reliqua ſunt, quod alienum & adverſum ſit, leniendum eſt. Quum vero ſuapte natura res ipſa nihil mali habet; ſed id quod affligit ex inani quadam opinione conſiſtit: tunc,

ut

*ut larvas formidantibus pueris in manibus tradimus & invertimus, quo (re perſpecta) vanos terrores contemnere aſſueſcant: ita nos quoque quod fragile ac tragicis fabulis eſt perſimile, diligentiſsima conſideratione quaſi manibus pertractantes, detegere oportet. *Ibidem.*

Conſtantia.

QUid Diogenes? numquid dicendi libertatem non habuit? Qui caſtra Philippi ingreſſus, quo tempore hoſtis Græciam invadebat, quum quaſi ſpeculator ad eum duceretur: nempe, dixit, tuæ avaritiæ & dementiæ ſpeculator veni, qui brevi temporis ſpatio de principatu ſimul & vita veluti ad aleam periclitaturus accedas. *Lib. de Exſilio, penes finem.*

Verum enim vero ut animi conſtantiam in rebus adverſis retineamus, operæ pretium eſt, non tranſmittere illa conniventibus (ut ajunt) oculis, quæ præclare aliquando nobis, atque ex animi ſententia ceſſerint, concinnâque mixturâ cum deterrimo quoque eventu ſecun-
*diores compenſare. Nunc vero, quum oculos prænitentium rerum aſpectu perſtrictos, ad floridos herbaceoſque colores avertere recreandi cauſa ſoleamus; contra, mentem noſtram ad mœſtifica intendimus, vimque ei afferentes, cogimus ad pœnitendarum maxime rerum recordationem incumbere, eamque a prædicabilibus invitam, prope dixerim, renitentemque convellimus. Atqui ſubit nunc mihi, appoſitiſsime huc transferri poſſe id, quod in hominem olim curioſum dictum eſt, aliena ad ſe nihil pertinentia perſcrutantem. Quid, malum, homo malevolentiſsime, aliena vitia milvinis oculis cernis, tua vero tranſmittis noctuinis & conniventibus? Quid mala tua, vir beate, tam accurate perſpicis, præſentariaque ſemper & recentia jugi recordatione facis: a præſentibus autem bonis averſam mentem ha-
*bes? Et quemadmodum cucurbitulæ medicinales deterrimum ſanguinem ex carne eliciunt, ſic tu peſsima quæque tuorum in te congeris ipſum. *Lib. de Tranquil. animi, ante medium.*

Tem-

Temperantia, Intemperantia.

TEmperatus animus undique eſt æqualis & pacatus, † *inferiori animæ noſtræ portione cum ſuperiore conſentiente*; admirabili quiete ornatus & compoſitus, in quem intuens dicas: conciderant venti jam; & tranquillus ſine vento pontus erat: namque ipſe Deus ſedaverat undas vehementes, inſanos rabidoſque motus cupiditatum reſtinguente ratione; & quibus natura indiget, eos ſibi conſentientes obtemperanteſque in actionibus voluntariis parante: ut nec rationem præcurrant, nec terga vertant, nec ordinem turbent, nec dicto non ſint audientes: verum ut omnis motus, quocumque velit ratio ducere, paratus ſequi, ceu lactens pullus cum equa ſimul currat, Xenocratis confirmans ſententiam dicentis, quod vere philoſophantes ſponte agunt quæ ceteri metu legis facere ſolent inviti, tanquam verberibus canes a voluptatibus repulſi formidine ſuppliciorum. *Lib. de Virtute morum, penes medium.*

¶ *Vide etiam hac de re Tit. ſequentes.*

Luxus.

NEmo pauper eſt earum rerum, quæ naturæ ſufficiunt: nec quiſquam unquam (a) fenore mutuum accepit, ut farinam, caſeum, panem, aut oleæ baccas emeret. Sed hunc ſumtuoſa domus æri alieno reddit obnoxium: illum, contiguum ſuis agris olivetum: alios arva frumentaria, ſeu vineta: nonnullos mulæ Galaticæ: alios equi jugiferi vehicula magnifica cum plauſu ducentes, præcipitarunt in barathrum pactorum, uſurarum, pignorum. Deinde fit, ut quemadmodum hi qui non ſitientes bibunt, nec eſurientes edunt, etiam ea quæ ſitientes ac eſurientes ſumſerant, revomunt: ſic hi dum ſupervacanea & inuſitata appetunt, ne neceſſariis quidem potiuntur. *Lib. de Cupid. divit. ſtatim ab init.*

Ab-

† *Quæ diverſo caractere excuſſa damus, aliter habentur in Caroli Valgulii verſione, quam alias Granatenſis amplectitur.* (a) *Tit. Uſura.*

Abſtinentia.

SOcrates admonet cavendos eſſe cibos, qui non eſurientes denuo ad edendum invitent: cavendos eſſe potus, qui non ſitientes ad bibendum illectent. *Lib. de Tuenda bona valetud. haud longe poſt init.*

Sunt nonnulli, quos parſimonia conjuncta cum gulæ vitio adducit, ut quum domi coërceant cupiditatem, apud alios lautitiis fruantur expleantque ſeſe, ampliter ingurgitantes, perinde quaſi rebus bello partis: deinde graviter affecto corpore diſcedunt, poſtero die præmium ingurgitationis referentes, nempe ſtomachi cruditatem. *Ibidem, poſt pauca.*

Cibi viliores appetentiam intra naturæ modum cohibent. Ceterum artes iſtorum, qui obſoniorum ſunt opifices & architecti, & operoſæ iſtæ cupediæ, nec non ingenioſa condimenta, ſemper (ut inquit Comicus) voluptatis fines longius promovent, ac vitiant utilitatem. Atque haud ſcio quo pacto fiat, ut quum uxores (a) quæ philtris ac veneficiis in viros utuntur, abominemur; conducticiis ac ſervis cibos & obſonia noſtra projiciamus, ut ea pæne dixerim veneficiis ac præſtigiis vitient.... Morbi igitur non tam multa negotia, nec tot ſpes, nec tot peregrinationes, nec tam multa exercitia nobis eripiunt ac perdunt, quam multas adimunt voluptates. Unde fit, ut qui maxime ſectantur voluptatem, his minime expediat corporis ſanitatem negligere. Siquidem permulti ſunt, quibus adverſa valetudo nequaquam eſt impedimento, quo minus philoſophiæ dent operam, aut rem etiam exerceant militarem, aut imperium adminiſtrent: at corporis voluptates ejuſmodi ſunt, ut his in morbo frui nullo modo poſsis. *Lib. de Tuenda bona valetud. paullo poſt.*

* Sicuti Demades, Athenienſes qui non in tempore bellum capeſſerent, ajebat nunquam niſi pullatos pacem decernere: ita nobis haud unquam tenuis ac moderata victus ratio venit in mentem, niſi jam febri æſtuantibus & ad-

(a) *Philtrum, id eſt, poculum amatorium.*

admotis pharmacis. *Eodem lib. & loco, poſt pauca.*

Quemadmodum quum Lyſimachus inter † Scythas ſiti ✻ conſtrictus ſeſe pariter atque exercitum hoſtibus dedidiſſet, ac deinde frigidam bibiſſet aquam; dii boni (inquit) quam brevis voluptatis gratiâ magnam depoſui felicitatem! itidem & nobis ipſis in morbo debemus in animum revocare, quod ob frigidam potionem non in tempore ſumtam, aut balneum intempeſtivum, aut compotationem, complures earum rerum delectationes amiſerimus: deinde præclara permulta; poſtremo non paucas exercitationes jucundas perdiderimus. Facit enim hujuſmodi reputatio, ut animum quidem dolor mordeat, vulneranſque memoriam (veluti cicatrix quæpiam remanens) in bona valetudine cautiores ac circumſpectiores nos reddat in obſervanda vitæ ratione. Neque enim tum corpus ſanitati redditum, admodum magnas pariet cupiditates, nec intractabiles, aut inuſitatas & invincibiles: quin magis forti & intrepido animo eſſe oportet adverſus appetentiam erumpentem, & ad fruendum his quæ cupit exſilientem; ut quæ nihil habeat præter leves ac pueriles querimonias ac ploratus: deinde mox conquieſcat ſublatâ mensâ, neque quicquam incuſet aut lædat; ſed contra potius pura atque hilaris, minimeque gravis, minimeque faſtidioſa duret in poſterum diem. Quemadmodum videlicet Timotheus, qui ſuperiore die in Academia apud Platonem cœnaverat tenuem cœnulam, dixit: qui cœnaſſent apud Platonem, eos poſtero quoque die ſuaviter agere. Fertur autem & Alexander dixiſſe, poſtea quam ſolitos obſoniorum artifices abjeciſſet: ſe longe commodiores ſecum poſſe ducere: nempe nocturnam † profectionem ad condiendum prandium; ad cœnam vero prandii tenuitatem.... Proinde cavendum eſt, ne ✻ ſicuti boni naucleri poſtea quam ob aviditatem multum oneris in navim conjecerint, deinde perpetuo labore ſentinam exhauriunt, aquamque marinam ejiciunt: ita nos quoque ſimul atque corpus expleverimus oneraverimuſque, tum rurſum repurgemus, & clyſteribus exoneremus. *Lib. de Tuenda bo-*

† *Cruſerius vertit*: Getas. *Getæ autem populi erant ad Scythiam ſpectantes.*
† *Al.* Refectionem.

bona valetud. longe poſt init. & ante medium.

Præclare dictum eſt illud : veſci citra ſaturitatem , impigrum eſſe ad laborem , vitale ſemen conſervare , res eſſe longe ſaluberrimas. Etenim coïtus immodicus , propterea quod maxime vim eam extrahit qua cibus concoquitur, plurimum ſuperfluitatis & redundantiæ gignit. *Lib. de Tuenda bona valet. penes medium.*

¶ *Vide etiam hac de re Tit. ſequentem.*

Gula.

QUid eſt, quod bovi qui cornu petat , fœnum in cornu apponunt , ut occurrentes caveant ? An quia propter repletionem ac ſatietatem inſoleſcunt & boves , & equi , & aſini , & homines , ut ait Sophocles ? Tu vero ferves quaſi pullus cibi copia. Venter etenim tuus & male inſoleſcit. *In Problem. Rom. poſt medium.*

Vini & carnium plenior uſus corpus quidem validum, athleticâque firmitate facit ; animum vero imbecillum & fragilem. *Lib. de Tranq. animi , paullo poſt medium.*

Si illud Alexidis alios moveat , quo ait ſapientem decere , ut voluptates congerat : proinde tres eſſe , quæ haud dubie in vita utilem vim quamdam pariant habenti; bibere videlicet , edere , & Veneris uſum ; alias vero omnes merito vocari adjectitias : meminiſſe utique oportet, Socratem in contraria eſſe ſententia , dum ait : male moratos ideo vivere , ut edant bibantque ; ſed bonos viros cibum ſumere ac potum , quo poſsint vivere. *Lib. de Audiend. poëtica , longe poſt init. & ante medium.*

Ebrietas.

QUod vulgo dici ſolet : odi memorem compotorem.... quidam ..... præſcribi *hoc loco* legem quamdam putant conviviis , ne ulla dictorum ibi factorumque poſthac habeatur memoria : quando oblivionem & ferulam pa-

patrio inſtituto majores Baccho conſecrarunt, ceu vel parum conveniat, erratorum inter pocula deinceps commiſci; aut ſi qua in parte peccatum ſit, puerilis ac levis reprehenſio ſufficiat. Perſpicuum enim eſt, vere ſapientem eſſe, ex Euripidis ſententia, ineptiarum oblivionem. *Lib. Num philoſophandum inter pocula, in princ.*

Caſtitas, Cœlibatus.

ODium erat bellumque inter Phocenſes ac Theſſalos inexpiabile, quum Phocenſes Theſſalorum magiſtratus ac præfectos omnes, qui in ſuis urbibus erant, ſtatutâ die ad unum interfeciſſent. Qua indignatione commoti Theſſali, † CCL. Phocenſium obſides, quos apud ſe habebant, jugulaverunt. Deinde coacto exercitu adverſus eoſdem profecturi publice decreverunt, ut capta urbe nemini omnino puberi parceretur; mulieres autem puerique omnes venumdarentur. Daiphantus autem † Barilli filius, qui cum duobus collegis ſummæ rei Phocenſium præerat, ſuis civibus perſuaſit, ut ipſi quidem copiis quam poſſent maximis in hoſtes proficiſcerentur: mulieres autem atque omnem puerorum imbellem turbam e tota civitate in unum coactam, in ſecretiorem quamdam civitatis partem deducerent, eodemque loco multum lignorum ſtipulæque congererent, & aliquot apud eas relictis cuſtodibus juberent, ut ſi ſe bello ſuperatos ab hoſtibus audiſſent, tum ſubito incensâ materiâ mulieres omnes pueroſque cremarent. Quum ceteri Daiphanto aſſentirentur, quidam e media concione aſſurgens, placere ſibi conſilium, inquit: attamen æquum eſſe cenſere, mulierum quoque ſuper ea re ſententiam ſciſcitari; atque ita conſilio hujuſmodi utendum, ſi ipſæ quoque decretum illud comprobaſſent: ſin minus, incolumes illas & ſui juris dimittendas, neque ullam omnino vim moriendi afferendam eſſe cenſere. Hac itaque oratione

---

† *In Cruſerii verſione non* CCL. *ſed* quinquaginta *duntaxat interemti memorantur. Nec jugulati illi dicuntur; ſed flagris ad necem uſque verberati.* † *Al.* Bathillii.

ne apud mulieres vulgata, ipſæ prius inter ſe conventu peracto, Daiphanti ſententiam comprobarunt, illius virtutem ac prudentiam laudantes, quod omnium optime, & civitati & earum ſaluti conſuluiſſet. Hoc idem quoque pueros ſeorſum congregantes decreviſſe tradunt. His peractis, Phocenſes apud Cleonas † Hyampolis civitatem Theſſalis congreſsi, illos ingenti pugna ſuperarunt, atque in ejus victoriæ gratiam Dianæ ſacra omnium maxima in hodiernum uſque diem faciunt. *Lib. de Claris mulieribus, paullo poſt initium.*

Quid eſt, quod Veſtales inceſti convictas aliâ pœnâ non afficiunt, ſed vivas tantummodo defodiant? An quod mortuos urunt: quod illis tribuere injuſtum judicarent, quæ non diligenter ac ſancte ignem ſacrum cuſtodiſſent? An quod corpus maximis ac ſanctiſsimis religionibus conſecratum interficere, & mulieri ſacræ manus afferre nefas putaverunt? Rationem igitur inierunt, qua ſubterraneo ſpecu defoſſo obrutæ, ſua ſponte morerentur. Ibi enim & lucerna accenſa inerat, & non nihil panis, exiguum & aquæ ac lactis, inde ſpecum deſuper terra operiebat. *In Problem. Rom. prope finem.*

Rhoxanes amore captus Alexander, eam unam uxorem ſoli ſibi duxit.... Ceteras omnes Perſides tanto modeſtiâ præſtitit, quanto fortitudine Perſas. Invitam nullam vidit: quas vidit autem, magis etiam aſpernatus eſt, quam quas non vidit. Mireque quum ceteris omnibus blandus eſſet, ſolis venuſtis ſuperbum ſe præbebat. Nam de Darii uxore, eleganti in primis forma, † nullum unquam verbum commendandâ ejus venuſtate emiſit: defunctæ vero, regie uſque adeo juſta fecit, miſericorditerque flevit; ut fidem ejus integritas non faceret præ tanta humanitate, ſummaque probitas injuriæ arceſſeretur. Siquidem Darius primum admodum commotus eſt potentiæ ejus ætatiſque licentiâ ſimul ac autem accurate omnia perſcrutatus, id quod erat comperit: non uſque adeo igitur (inquit) res Perſarum comploratæ ſunt; nec prorſus ignavos nos imbecilleſque di-

† *Al.* Hyampolidis. † *Al.* Ne vocem quidem, quæ venuſtatem ejus commendaret, auribus admiſit.

dixerit, qui ab hujuſmodi hoſte ſuperatos audierit. *De fortuna, & virtute Alexand. orat. 2. prope medium.*

Clementia, Manſuetudo.

CÆſar Auguſtus... Alexandria expugnata, victor ingreſſurus urbem, amici cujuſdam civis Alexandrini manum prehendit; atque cum eo, honoris ergo familiariter confabulando, introiit. Timentibus reliquis civibus ne in direptionem militi darentur, proque eo peſtem hujuſmodi ſuppliciter deprecantibus; parcere ſe inquit Auguſtus illis, & omne jus belli libenter condonare: cum urbis magnitudinem miſeratum; tum vero conditoris Alexandri habita ratione; ad extremum (a) in gratiam illius amici familiariſque ſui. *In Politica, paullo poſt medium.*

Placabilitas, & manſuetudo, & humanitas nulli familiarium perinde grata eſt, nulli tam amica nec tam moleſtia carens, quam ipſis quibus hæc adſunt. *Lib. de Cohib. iracund. in fine.*

Manſuetudo. Ira.

CEtera quidem mala (etiam tum quum viget morbi vis) utcumque cedunt, & admittunt orationem opiferam, aliunde venientem in animum: verum ira, non aliter quam illi qui ſeſe una cum ipſis ædibus incendunt, ita tumultu, fumo, caligine cuncta intus replet, ut nec videre poſſis nec audire eos, qui cupiunt ſubvenire. Quapropter navis in mari tempeſtate periclitans ſine nauclero, citius aliunde recipiat gubernatorem, quam orationem alienam admiſſurus ſit homo, quum impetu & ira ceu fluctibus jactatur, niſi paratam habeat domi rationem. Sed quemadmodum qui exſpectant obſidionem, contrahunt, & in promtu collocant quibus eſt opus, nihil ſpei collocantes in his quæ ſunt extra civitatem: ita maxime nos oportet ad- *

(a) *Tit. Amicitia.*

verſus iracundiam auxilia e longinquo petita, nimirum e philoſophia comportare in animum; ne quum tempus advenerit, eorum uſum poſtulans, non facile poſsint aliunde invehi. *Lib. de Cohib. iracundia, haud procul ab initio.*

Iraſcendi aſsiduitas, ac frequenter in iram impingere, habitum perverſum gignit in animo, quem appellant iracundiam: huc tandem deducens hominem, ut facile commoveatur, utque ſit amarulentus ac moroſus. Poſtea quam ani-
* mus redditus eſt ulceroſus, ac leves ob cauſas ægreſcens, ac de quibuslibet movens querimonias, non aliter quam ferrum tenue & invalidum, non fert denuo ſculpentis manum. Ceterum ratio judex, quæ protinus inſtat ac premit iracundiam, non ſolum præſenti medetur malo; verum etiam in reliquum tempus firmum reddit animum, ut non facile morbo tentetur. Mihi quidem igitur (a) poſtea quam ſemel atque iterum iræ reſtitiſſem, accidit id quod Thebanis, qui quum primum repuliſſent Lacedæmonios, tum ut videbantur invincibiles, poſtea nullo in prælio ab iiſdem ſuperati ſunt. Jam enim intelligebam, ratione prudentiaque victoriam eſſe parandam. *Lib. de Cohib. iracundia, paullo poſt.*

* Quemadmodum flammam pilis leporum, aut ſtupis paleiſque ſuccenſam facile eſt cohibere; quod ſi corripuerit ſolida ac ſpiſsitudinem habentia, mox corrumpit ac ſimul perdit ea: ita qui ſtatim initio animadvertit, & animum videt paullatim ex levibus dictis ac ſtupea ſcurrilitate fumum & incendium colligere, non opus habet magno negotio, ſed frequenter ipſo ſilentio, ac negligendo reſtinguit. Nam ut incendium, qui non addit materiam, extinguit: ſic & iram quiſquis non aluit naſcentem, nec eam flatu concitavit, ſe ipſum ſervavit ac ſubtraxit incendio. *Ibidem, poſt pauca.*

Socrates, quoties ſenſit ſeſe acerbius commoveri adverſus amicorum quempiam, velut imminente fluctu maritimam antennam dirigens, præbebat ſeſe dictis ac vultu arridebat, faciemque placidiorem oſtendebat. Itaque alteram in partem deflectendo, atque in diverſum nitendo quam

quo

(a) *Tit. Tentationis ſuperatæ fructus.*

quo vocabat affectus animi, ſervabat ſe ipſum inconcuſſum & invictum. Eſt enim quoddam iræ, ceu tyranni, diſſolvendæ initium, ſi non obtemperes nec auſcultes illi imperanti, ut acriter vocifereris, ut truci ſis aſpectu, ut cædas te ipſum: ſed ſi quieſcas, nec iram ceu morbum ventilatione & clamore reddas vehementiorem.... Hæc enim permittuntur lugentibus, complorare ac lamentari, quæ bonam doloris partem una cum lacrimis educunt. Contra, ira vehementius incitatur his, quæ faciunt aut dicunt qui eâ ſunt occupati. Proinde quieſcere optimum eſt, aut effugere, aut occultari, ſeſeque ad ſilentium velut in portum recipere (quemadmodum ſolent qui ſenſerunt epilepſiam oborientem) ne concidamus, aut potius ne in quemquam irruamus. Nam in amicos & potiſsimum & frequentiſsime irruimus. Nec enim amamus omnes, nec omnibus invidemus, nec omnes metuimus. Ceterum nihil eſt quod non invadat, & in quod non faciat impetum ira: ſed iraſcimur tum inimicis & amicis, tum liberis ac parentibus, ac per Jovem etiam diis, denique beſtiis ac vaſis animâ carentibus. Xerxes vero etiam ipſi mari notas ac plagas incuſsit, ac monti miſit epiſtolas. (a) Atho infelix, ad cælum uſque porrecte, ne meis operibus facias tuos lapides magnos, & ad elaborandum difficiles. Alioquin exciſum te projiciam in mare. *Eod. lib. & loco.*

Multa enim ſunt horrenda quæ deſignat ira, multa rurſum ridicula. Quapropter nullus eſt animi morbus, qui magis vel habeatur odio, vel contemnatur magis. Profuerit autem, utrumque conſideraſſe. Ego igitur neſcio quidem an recte fecerim: attamen quum hinc medendi feciſſem initium, quemadmodum Lacones ſolent in Helotibus (ſic enim illi vocant homines mediæ conditionis inter ſervos & ingenuos) oſtendere quam fœda res eſſet ebrietas; ita in aliis didici qualis eſſet ira. Ac primum quidem (ſicut Hippocrates ait) eum morbum eſſe graviſsimum, qui faciem ægrotantis quam maxime mutet in diverſum: ita conſpiciens alios ob iram maxime ſibi excidere, ac vultum immutantes, colorem, inceſſum, vocem in diver-

 ſum

(a) *Xerxis epiſtola ad Athon montem.*

ſum vertere; hinc velut imaginem ejus mali mihi fingebam, admodum dolens, ſi quando tam formidabilis & commotus viderer amicis, uxori, ac liberis, non tantum aſpectu truci & ad conſuetudinem inamœno, verum etiam vocem emittens immitem & aſperam, quemadmodum in alios familiares incideram, qui neque mores, neque formam, nec ſermonis gratiam, nec affabilitatem, & comitatem in colloquio præ ira ſervare poſſent. Itaque Cajo Graccho, qui fuit orator & moribus acerbis & in dicendo vehementior, fiſtula erat modulata, qua cantores vocem paullatim vel intendunt, vel remittunt, tonos ad id aptos occinentes. Hanc ſervus tenens, dicenti aſtabat a tergo, tonumque accommodabat placidum ac manſuetum, quo clamorem illius revocabat, vociſque contentionem adimebat.... Quod ſi mihi eſſet famulus diligens & elegans, haud moleſte tulerim ſi in ira ſpeculum adferret, quemadmodum nonnullis offerunt, ubi laverint, nulli uſui futurum. Ceterum ſi quis ſe ipſum contempletur præter naturam affectum conturbatumque, non parum habeat momenti ad infamandum iræ morbum. Nam & Minervam, ajunt qui jocoſis fabulis delectantur, quum tibia caneret, a Satyro admonitam:

Non te decet forma iſta; mitte tibias:
Sume arma; buccas (ut decet) componito.

Ceterum ubi figuram oris vidiſſet in amne quodam, offenſam tibias abjeciſſe: quamvis ars deformitatis ſolatium habet, aptam modulationem. *Lib. de Cohib. iracund. ibidem.*

* Mare quidem, quum ventis turbatum algam & fucum rejicit, ajunt purgari. Verum ira, animo exæſtuante & inverſo, ſermones rejicit impudicos, amarulentos, ac ſcurriles, quibus ipſos loquentes conſpurcat oppletque infamia. *Ibidem, poſt pauca.*

Iraſcentium lingua poſtea quam facta eſt aſpera ſordidaque ac diffluens in ſermones abſurdos, emittit ferocem & contumelioſum ſermonem, immedicabilis inimicitiæ parentem ac latentis malevolentiæ proditorem. Neque enim indiluta vini potatio refundit quicquam tam petulans ac moleſtum, quam ira. *Ibidem, paullo poſt.*

Quem-

Quemadmodum tumor accidit ex magna in carne pla- ✻
ga ; ita in molliſsimis animis (ſi quis ſe præbeat dolori) hoc ipſo quo major eſt imbecillitas , hoc majorem elicit iracundiam. Atque hac de cauſa mulieres iracundiores ſunt viris ; ægroti ſanis ; ſenes ætate vigentibus ; & infelices felicibus. Iracundiſsimus enim eſt avarus adverſus diſpenſatorem , lurco adverſus popinatorem , zelotypus adverſus uxorem , glorioſus in maledicos.... Sic ex eo quod maxime dolet & ægrotat in animo , maxime ob imbecillitatem naſcitur ira , nequaquam nervis adſimilis animi , ſicut dixit quidam : ſed eſt intentio contractioque animi ſupra modum intumeſcentis in affectibus ad ultionem provocantibus. *Lib. de Cohibenda iracundia , paullo ante medium.*

Quum omnes animi cupiditates egeant aſſuetudine veluti domitrice , quæ exercitatione ſuperet impetum rationi rebellem & intractabilem ; non alibi majus eſt certamen heris inter famulos , quam adverſus iram. Neque enim adverſus hos oboritur , neque invidia , neque metus ullus, nec ambitio : ſed iræ etiam aſsiduæ , quæ multas pariunt offenſas & errores ob faciendi quod velis licentiam , velut in lubrico loco abripientes animum , nemine obſiſtente aut prohibente. Nec enim fieri poteſt , ut in eo affectu nihil peccans cohibeat rebelles animi motus , niſi quis multam illam quod velit faciendi licentiam , multa lenitate circumſepſerit : ac niſi multas voces toleraverit uxoris & amicorum , incuſantium lenitatem & ſocordiam : quibus potiſsimum exacerbabar & ipſe adverſus famulos , veluti quos corrumperem non caſtigando. Tandem vero cognovi , quod primum quidem præſtaret illos reddere deteriores tolerantiâ , quam ſi quis amarulentiâ & irâ depravet ſe ipſum , dum corrigere vult alios. Deinde , quum viderem multos hoc ipſo quod frequenter non punirentur, pudeſcentes timidos eſſe ; quodque his immutandorum morum initium magis eſſet ignoſcentia , quam ultio : atque adeo per Jovem conſpicerem eos nutu ſine reſponſatione promtiuſque ſervire , quam alii cum plagis ac flagellis : perſuaſus ſum , rationem magis herilem eſſe , & principatui gerendo accommodam , quam iram. Non enim ſicut poëta dixit:

Ubi enim eſt timor, & pudor hic eſt:
ſed contra pudeſcentibus innaſcitur timor ſobrietatem adferens. Ceterum aſsidua verberatio, non admiſsis precibus aut excuſatione, nequaquam hoc efficit in ſervis ut pœniteat peccaſſe; ſed ut proſpiciant, ne ſentiantur peccare.
* Deinde ſemper memor, ac mecum reputans & illud, quod nec is qui nos docuit jaculari, prohibuit ne mitteremus ſagittam, ſed ne aberraremus a ſcopo: ita nec obſtabit quo minus ſumas pœnas, ſi quis doceat id facere tempeſtiviter, moderate, utiliter, & quemadmodum decet. Conor iram ſubducere maxime, non denegans iis qui puniuntur, pro ſe reſpondendi facultatem: ſed audiendo quid adferant. *Ibidem, paullo poſt medium.*

Oportet ergo hominem iræ impulſu ad vindictam properantem, ſibi ipſi ſuggerere: ſi hic hodie peccavit, & cras & perendie verum fuerit eum peccaſſe; neque quicquam erit periculi, ſi paullo ſerius det pœnas: ſed ſi præpropere punitus fuerit, ſemper videbitur non peccaſſe; quod jam frequenter accidit. Quis enim noſtrum uſque adeo moroſus ac ſævus eſt, ut puniat ac flagris cædat ſervum, quod ante quinque aut decem dies aduſſerit obſonium, aut menſam ſubverterit, aut tardius auſcultaverit? Et tamen hæc ſunt, ob quæ protinus ut acciderunt ac recens admiſſa ſunt, turbamur, exacerbamur, & implacabiles ſumus. Quemadmodum enim per nebulam corpora, ita per iram majora videntur commiſſa quam ſunt. Qua propter oportet illico horum, hiſque ſimilium præceptorum reminiſci: deinde, quum liberi ab affectu jam nobis ipſi ſuſpecti eſſe deſierimus, ſi pura ratione ſibique conſtante videbitur admiſſum ſcelus, animadvertere, nec tum diſsimulare, nec ultionem omittere eorum, veluti ſolent quos edendi deſtituit appetentia. Nec enim perinde culpandum eſt, præſente ira punire; quam ubi ſe remiſerit, non punire: ſed remiſſum ac diſſolutum fieri, ut idem accidat nobis, quod ſolet pigris nautis; qui dum eſt tranquillitas commorantur in portu, deinde periclitantur velificantes. Nam nos quoque neglecta rationis manſuetudine ac mollitudine in puniendo, properamus id facere adve-

veniente ira, ceu flatu periculoſo. Ac cibo quidem ſecun- *
dum naturam utitur, qui eſurit: ultione vero tunc recte quis utitur, quum eam nec ſitit nec eſurit, nec jam opus habet ad puniendum, velut obſonio ad edendum. Quin potius quum longiſsime cœperit abeſſe ab appetitu vindictæ, neceſſario rationem ac prudentiam admovens. *Lib. de Cohib. iracundia, longe poſt medium.*

Porro ubi mecum recolo, quibus modis naſcatur ira, videbam alios aliis de cauſis in eam incidere, quibus omnibus probabiliter hæc accidit opinio, ut ſe contemni negligique credant. Quapropter his qui ſe defendunt quaſi jure iraſcantur, ſic oportet ſuccurrere, ut quod admiſſum eſt, quam longiſsime removeamus a ſuſpicione contemtus & confidentiæ, transferentes ad opinionem dementiæ, neceſsitatis, morbi, aut infelicitatis. *Ibid. poſt pauca.*

Perpetuas ac frequentes iras (quæ paullatim in animis colliguntur) potiſsimum gignunt in nobis amor noſtri, moroſitas cum deliciis ac mollitie conjuncta, non aliter quam examen apum aut veſparum. Proinde ad manſuetudinem nullum majus viaticum, quam facilitas ac ſimplicitas morum erga famulos, uxorem, & amicos: videlicet ſi poſſimus rebus præſentibus eſſe contenti, nec egere multis ac ſuperfluis.... Itaque conſuefaciendum eſt corpus, ut per frugalitatem facilitatemque diſcat ſibi ſufficere (etenim qui pauca requirunt, non fruſtrantur multis;) utque nihil tumultus movens cibi gratiâ, ſilentio utatur his quæ forte contigerunt: ut ne multis de cauſis iraſcentes & indignantes, ingurgitemus nos obſonio inſuaviſsimo tum nobis tum amicis, videlicet ira:

Hac cœna haud poſsit contingere triſtior ulla,

dum famuli verberantur, uxor conviciis afficitur, propter cibum aduſtum, aut fumum, aut ſalis defectum, aut panem frigidiorem. Arceſilaus vero quum hoſpites quoſdam una cum amicis exciperet convivio, appoſita eſt cœna: ſed deerat panis, nimirum pueris oblitis emere: quo quidem in caſu quis noſtrum non rupiſſet parietes clamore? At ille ridens: quam (inquit) res eſt apta apparandis conviviis, eſſe ſapientem! Socrates vero quum e palæſtra redeun-

deuntem Euthydemum caſu duxiſſet ad convivium, Xanthippe quum irata ſurrexiſſet dixiſſetque convicia, tandem etiam menſam ſubvertit. Euthydemus autem ſurgens abire cœpit, dolore affectus. Tum Socrates: at domi tuæ nuper, inquit, nonne accidit ut gallina quædam ſubvolans, idem hoc efficeret? Nos tamen non indignabamur. Oportet enim cum comitate, riſu, ac benevolentia amicos accipere, non adducentes ſupercilium, nec horrorem ac tremorem incutientes miniſtris. Conſueſcendum eſt autem, ut faciliter aſſueſcamus & vaſculis quibuslibet, nec hoc magis utamur quam illo.... Proinde qui ad iram propenſus eſt, huic abſtinendum eſt a raris ac inſignibus, velut a poculis, ſigillis, ac lapidibus pretioſis: propterea quod ſi pereant, magis turbantur, quam ob ea quæ paratu facilia ſunt ac vulgaria. *Eodem lib. verſus finem.*

Ceterum facilitas in rebus utendis, etiam erga famulos reddit hominem facilem ac manſuetum. Quod ſi tales reddit erga famulos, haud dubium eſt quin multo magis erga amicos, & erga illos in quos gerimus imperium. Videmus autem & ſervos nuper emtos, de eo a quo emti ſunt percontantes, non an ſit ſuperſtitioſus, non an invidus; verum an iracundus. Atque in univerſum, ſi adſit iracundia, videmus neque viros poſſe ferre uxorum pudicitiam, nec uxores virorum amorem, nec amicos mutuam inter ſe conſuetudinem: adeo ut neque conjugium, neque amicitia tolerari poſsit, ſi adſit iracundia. *Ibidem, paullo poſt.*

Pythagoræ ſymbola ſunt. Quum lecto exſurrexerit, ſtragula turbato. Ollæ veſtigium in cinere confundito. Hirundinem in contubernio ne habeto. Adunca unguibus domi ne nutrito. Stragula turbare, eſt cubilis delicias obliviſci, earumque memoriam deponere. Ollæ veſtigio turbando ſignificatur, ne quam priſtinæ iræ indicem notam in animis noſtris relinquamus: quin quum efferbuit, omnia continuo pacanda abolendaque injuriæ monumenta. Hirundo vero adeo diffidit, ut & manſuefieri non poſsit: & nihil non ſuſpectum pavitet. Monet igitur vitandum eſſe infidum & ingratum convictorem, menſæ, tecti, ac reliqui domeſti-

ci

ci commodi gratia ſubrepentem. *De nota Pythag. Lib.* 8. *quæſt. convival. cap.* 7.

Ceterum nec inter ludendum ac jocos oportet iræ dare locum, propterea quod inimicitiam aſciſcat benevolentiæ: nec in colloquiis ac diſputationibus, eo quod ex cognoſcendi ſtudio gignit contentionem: nec in judicando, nam violentiam addit auctoritati: nec in docendo, deſperationem enim adfert ac ſtudiorum odium: nec in rebus proſperis, eo quod auget invidiam: nec in adverſis, aufert enim miſericordiam, quoties ſe præbent difficiles ac præfractos his qui ſimul dolent. *Lib. de Cohib. iracundia, prope finem.*

Quemadmodum dixit Zeno, ſperma mixturam ac temperantiam eſſe ex omnibus animæ viribus revulſam: ita videtur & ira ſemen quoddam eſſe ex omnibus animi perturbationibus commixtum: ſiquidem & a dolore, & a voluptate, & a ferocia decerpta eſt. Tum ab invidia quidem hoc habet, quod malis gaudet alienis. Ceterum homicidio deterior eſt. Nam illud conatur ira, non, ne quid ipſa patiatur mali; ſed ut male habeat, modo funditus perdat alium.... Itaque quum hæc mecum reputo, ſimul conor etiam aliquid detrahere curioſitati. Nam omnia exacte obſervare ac deprehendere, & quicquid gerit famulus in medium adducere, quicquid agit amicus, quicquid exercet filius, quicquid clanculum garrit uxor, multum adfert irarum & frequentium & quotidianarum: quarum caput eſt morum difficultas ac moroſitas. Deus igitur (quemadmodum dixit Euripides) quæ ſunt immodica tangit: curanda vero parva fortunæ ſinit.... Etenim quemadmodum minutæ litteræ viſum, ita puſilla negotia (quoniam magis reddunt intentos) pungunt & commovent iram, malam hinc conſuetudinem ſibi contrahentem ad majora. Super omnia vero illud Empedoclis magnum quiddam ac divinum exiſtimabam: (a) jejunum eſſe a malitia. Laudabam interim & illas non invenuſtas nec abhorrentes a ſtudio ſapientiæ actas in precibus conſuetudines: (b) annum a re ve-

(a) *Chriſtiano homine digna appendix.* (b) *Tit. Continentiæ ſive mortificationis exercitationes.*

venerea vinoque puros vivere, colentes interim Deum temperantia. Aut rursus: a mentiendo certum tempus abstinere, nos ipsos interim observantes. Deinde hisce rebus instruebam animum meum, ut qui non minus amet pietatem, quam philosophiam: ut primum paucos dies sacros sine irascendo transigerem, velut absque temulentia vinoque, non aliter quam si celebrassem Nephalia, aut Melisponda: in quibus vinum attingere, aut luxui indulgere fas non est. Deinde idem faciebam mensem unum aut duos, paullatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad ulteriorum malorum tolerantiam, diligenter attendens & conservans me ipsum. *Lib. de Cohibenda iracundia, fere in ipso fine.*

* Quemadmodum equis in ipso cursu nemo injicit frena, sed longe ante: ita qui animo sunt in iram præcipiti, & ad res molestas facile irritabiles, rationibus quibusdam diu ante præsumtis in certamen sunt producendi. *Lib. de* ....

Recreatio, sive Relaxatio animi.

* PLantæ quum modicis alantur aquis, quam multis suffocantur. Eodem modo animus quum mediocri vegetetur labore, sub nimio demersus opprimitur. A continuis igitur laboribus (a) danda est quædam pueris respiratio. Reminisci enim oportet, nostram omnem vitam in remissionem ac studium esse divisam. Quo circa non vigiliam modo, verum etiam somnum esse repertum: non bellum solum, sed & pacem: non hiemem, sed & tranquillitatem: non operosos, sed festos etiam dies: & ut generatim eloquar, laboris condimentum est otium: idque non in animantibus modo, sed etiam in his quæ anima carent, fieri conspicies. Arcus enim lyrasque remittimus, ut ten-
* dere possimus. Ac summatim, corpus quidem indigentia & replemento, animus vero remissione ac labore conservatur. *Lib. de Liber. educand. paullo post medium.*

Platonem videas in convivio (ubi rem perpetuis agit dia-

(a) *Tit. Educatio filiorum.*

dialogis, & de ſummo bono differit, & prorſus partes ſuſtinet Theologi) non tamen intendere nervos demonſtrationis; neque ut alibi aſſolet, cauſſam fulcire coloribus; ac robur tale addere, quod evincere nequeas. Quin magis quibuſdam molliuſculis lemmatis, exemplis, & lepidis fabellis homines quo mavult, adigit. In convivio igitur agitari convenit quæſtiones † meliores, problemata familiaria, interrogationes jucundas, non captioſas ac lubricas quibus rudiores illaqueentur, aut quas averſati ſuffugiant ac declinent.... Animos *enim* faciles haud dubie quæſtiones & jucundæ non ſine fructu demulcent, & delinimentis agitant: amarulentæ ac nimium intricatæ, juxta Democritum, quando difficultatem ingerunt imperitis, triſtes auditores reddunt & anxios. Id enim apprime expedit in conviviis, ut ſermonis eadem ſit quæ eſt vini communio: quod omnes citra delectum bibunt, nulla dignitatis habita ratione. *Lib. Num philoſophari conveniat inter pocula, prope finem.*

Cognitio ſui.

HOmerus quidem ubi mortalium animantium genera contemplatus eſſet, horumque vitæ rationem & ſtatum inter ſe contuliſſet, in hanc vocem erupit: omnium quæ in terris & ſpirarent & ſerperent, nihil eſſe calamitoſius homine: principatum haud ſane felicem homini tribuens, ut in malorum expenſione primas teneat, atque excellat. At nos hominem tanquam jam vincentem calamitate, jamque animantium omnium pronuntiatum miſerrimum, ipſum cum ſe ipſo conferimus, ut propriis malis ſecum ipſe certet, eum in corpus atque animum partientes. Quod quidem negotii nequaquam fuerit inutile, ſed vehementer ad rem pertinens: nimirum ut intelligamus, utrum per animum, an per nos ipſos miſerius vivamus. *Lib. Utrum graviores ſint animi morbi quam corporis, in princ.*

Dicamus igitur ipſi nobis, complures quidem (o homo) morbos ac mala corpus tuum & gignit ac prodit ex ſeſe,

† *In Luſcinii verſione, edit. Pariſ.* 1566. *legitur*: mitiores.

ſeſe, & foris incidentes accipit: verum ſi te ipſum intus aperueris, varium quoddam ac multis refertum malis † penum reperies: ac mundum quemdam miſeriarum reconditum (quemadmodum inquit Democritus) non quidem foris incidentium; ſed ipſo in ſolo, ipſaque in terra ſuos habentium fontes, unde ſcaturiant. Hos elicit malitia, co-
* pioſum ac largum fluxum præbens affectibus. Quod ſi corporis morbi pulſibus arteriarum, aut coloris rubore deprehenduntur, hos fervor aut facilis laſsitudo ſolet arguere: contra, animi mala pleroſque ita fallunt, (a) ut non habeantur pro malis: nimirum ob id ipſum periculoſiora ſunt, quod ſui ſenſum adimunt ægrotanti. Siquidem corporis morbos ratio ſana percipit: at animi morbos ipſa ſimul ægrotans non poteſt de ſuis judicare malis, quibus laborat: propterea quod ægrotet ea pars, cujus erat judicare. Proinde (b) inter primos ac maximos animi morbos ponenda eſt dementia: per quam fit, ut pleriſque immedicabilis ac domeſtica ſit, & convivat & commoriatur malitia. Etenim ſanitatis initium eſt, ſi qui laborat, ſentiat ſibi opus eſſe remedio. Rurſum, qui non videt quibus eget, propterea quod non credat ſeſe ægrotum, etiam ſi præſto ſit qui medeatur, tamen recuſat nec admittit curationem. Nam inter corporum morbos pernicioſiores ſunt hi, qui ſui ſenſu vacant: quod genus ſunt lethargus, capitis dolor, morbus comitialis, febres, ac hæ potiſsimum febres, quæ vitioſum humorem vehementer exacerbant, ac ſenſum velut in organo perturbantes, movent chordas non movendas mentium. Quapropter medici concedunt quidem, ut ægrotet homo; at ita ſi qui ægrotet, non ignoret ſe male habere: id quod non in omnibus animi morbis ſolet uſu venire. Nec enim (c) qui deſipiunt, nec qui ſunt temulenti, nec qui faciunt injuriam, ſibi videntur peccare: verum etiam ſunt, qui tum officioſe ſe facere putant. Fe-
* brem enim nemo vocat ſanitatem; nec tabem quiſquam appellat bonam habitudinem; nec podagram, pedum ve-

lo-

† *Al.* Penuarium reperies, theſaurumque, ut Democritus ait. *cet.* (a) *Tit. Peccatum excæcat mentem.* (b) *Tit. Stultitia.* (c) *Tit. Peccatum ut ſupra.*

locitatem ; nec pallorem nominat ruborem : at iracundiæ (a) multi fortitudinis nomen imponunt : amorem , amicitiæ nomine palliant : invidiam , æmulationis : timiditatem, diligentiæ qua res in tuto collocentur. Hinc fit , ut illi quidem medicos arceſſant , quippe qui intelligant quid mor- * bus poſtulet : e diverſo hi fugitent philoſophos , veriti ne non aſſequantur eas res in quibus delinquunt. *Ibidem , penes medium.*

Itaque quemadmodum periculoſior eſt tempeſtas quæ * vetat in portum appellere , quam ea quæ cohibet a navigando : itidem quæ in animo accidunt tempeſtates , graviores erunt , quæ non ſinunt hominem contrahi , nec rationem perturbatam conſiſtere : ſed nullo gubernatore , nullis fulturis in perturbatione atque errore , pernicioſo curſu procul acta , præceps in metuendum aliquod incidit naufragium , ſuamque ipſius vitam illiſa comminuit. Proinde his quoque de cauſis gravius eſt animo quam corpore ægrotare : propterea quod hi tantum patiantur ; illi non ſolum patiantur , verum etiam faciant male. *Eod. lib. fere in fine.*

Abnegatio ſui , vel affectuum cohibitio , ſive continentia.

QUemadmodum Xenophon jubebat , in ſecundis maxime rebus (b) homines deorum meminiſſe , eoſque tum enixius venerari ; videlicet ut quum res tuliſſet , majore eos fiducia quicquid ipſis opus eſſet poſcerent , conciliatos jam & propitios : haud aliter commentationes eas , quæ ſedandis perturbationibus appoſitiſsimæ ſunt , præſumtas reconditaſque eſſe oportet dumtaxat apud mentis compotes , ut multo ante præparatæ , longe ſint utiliſsimæ. Ut enim truculenti canes , & ad omnem vocife- * rationem conſternabiles , ab una tamen voce ſolita & nota ſibi demulcentur : ſic animæ efferatos affectus non parvi eſt negotii componere ac permulcere ; niſi commentationes ſo-

li-

(a) *Vitium ſub virtutis imagine.* (b) *Tit. Proſperitas.*

litæ ac familiares præſto ſint & ad manum, quæ turbulentos eos & percitos protinus conſopiant. *Lib. de Tranquil. animi, paullo poſt initium.*

Quod adverſus omnes affectus conducit, hujus oportet eos qui facile vincuntur inutili pudore (quoties morbo ſuperati, præter animi ſententiam peccant ac ſubvertuntur) firmiter meminiſſe, notaſque morſus ac pœnitentiæ defixas in animo revocare, ſervareque in longiſsimum tempus. (a) * Sicut enim viatores, poſtea quam ſemel in lapidem impegerunt; aut nautæ poſtea quam ad ſcopulum fregerunt navem, ſi meminerint, perpetuo metuunt caventque non illa tantum, verum etiam alia illis ſimilia: ita qui turpitudinem damnaque ex vitioſo pudore accepta aſsidue ingerunt animo pœnitentiâ morſuque vulnerato, in ſimilibus poſtea revocabunt ſe ipſos, nec facile patientur ſeſe a recto curſu deduci. *Lib. de Vitioſa verecundia, in fine.*

Plurimam capies utilitatem, (b) ſi curioſitatem avertas vique coërceas, ut conſueſcat obtemperare rationi. Ab hoc initio proficiens ad acriorem exercitationem, recte feceris, ſi theatrum in quo quid jucundi recitatur, prætereas: ſique amicos ad ſaltationis aut comœdiæ ſpectaculum ſecum abducere conantes repellas: aut ſi clamore in ſtadio circove exorto, non advertas oculos. Quemadmodum enim Socrates monebat, cavendos eſſe cibos qui * non eſurientes invitarent ad edendum; ſimiliter & potum, qui non ſitientes ad bibendum: itidem oportet & nos omnia ſpectacula, omneſque rationes cavere fugereque, quæ nos ad ſe colligunt allectantque, quum illis nihil ſit opus. *Lib. de Curioſit. paullo ante finem.*

Eſt item (c) & ad juſtitiam exercendam utile, nonnunquam & quod juſtum eſt prætermittere: quo conſueſcas procul abeſſe a factis injuſtis. Similiter & ad pudicitiam conducit, nonnunquam a propriis uxoribus abſtinere, ne quando commovearis in alienas. Hanc denique conſuetudinem adducens curioſitati, tenta nonnunquam & eorum quæ ad te pertinent nonnulla diſsimulare, nec in aures ad-

(a) *Syndereſis & conſcientiæ fructus.* (b) *Mira præcepta & exercitationes.* (c) *Præcepta Chriſtiano homine digna.*

admittere : & ſi quis voluerit aliquid earum rerum quæ domi tuæ geſtæ ſunt renuntiare, differas, verbaque quæ de te dicta videntur, repellas ab auribus. *Lib. de Curioſit. poſt pauca.*

Quo modo poſſet fieri, eumdem ſe ipſo meliorem & rurſus pejorem eſſe, aut ſimul vincere ac vinci, ni modo quodam (a) eſſet cujuſque animus naturâ duplex, & aliud bonum, aliud malum in ſe ipſo haberet? Sic igitur, qui deteriore ſic utitur ut obtemperet meliori, continens ſui eſt, atque præſtantior ſe ipſo. Qui vero per negligentiam patitur, ut princeps animus irrationalem effrenatumque ſequatur, & ei ſubminiſtret, is dicitur ſe ipſo inferior, & incontinens ſui, & præter naturam affectus. Nam quum ratio ſit divinitus homini data, conveniens eſt, eam præſtare atque imperare ei, quæ caret ratione: tum quia originem ducit a corpore, tum quia natura ſua completur affectibus, & illorum fit ſimilis, & eos induit, & cum illis commiſcetur.... Quare juvenes (b) vehementes ac temerarii ſunt, & in appetitibus inflammati, & furentes & rabidi, propter ſanguinis copiam & caloris. At in ſenibus (c) concupiſcentiæ fons, qui quidem eſt in jecinore, reſtinguitur, parvuſque fit & imbecillis. Viget autem magis ratio, affectibus una cum corpore tabeſcentibus. Quod autem humanum corpus cum appetitibus affectatis conſentiat unaque moveatur, pallores arguunt, rubores, tremores, cordiſque pavitationes: & contra diffuſiones in ſpe atque exſpectatione voluptatum. Verum quando mens ipſa per ſe ſine affectu movetur, corpus agit quietem, & ſibi conſtat: propterea quod mentis agitationes nihil cum corpore habent commune; ſi verbi gratiâ aliquid e diſciplinis mens attingat, in quibus non eſt irrationali locus. Ex quo etiam patet, duo eſſe, & facultatibus inter ſe differentes. *Lib. de Virtute morum, prope finem.*

Non eſt rationis munus una cum perniciosis excindere ... quæ (d) in affectibus ſunt utilia; verum tanquam ſator bonus & urbanus, agreſtia & luxuriantia reſecare, dein- *

(a) *Duas eſſe animæ noſtræ portiones.* (b) *Tit. Juventus.* (c) *Tit. Senectus.* (d) *Tit. Affectus non eſſe improbandos.*

* de colere & ad utilitatem conſtituere. Nec enim qui te-
mulentiam verentur, vinum effundunt: nec affectum, qui
perturbationes timent, avellunt; ſed ei adhibent modum.
* Bobus quoque & equis ſaltus, & rebelliones, & contuma-
ciam; non motus nec actiones auferunt: affectibuſque do-
mitis & obedientibus ratio utitur; haud enervatâ, nec ſtir-
pitus excisâ ex animo miniſtrandi facultate. Curribus enim
equus, aratro bos: at apro intentanti letum animoſus eſt in-
veniendus canis, inquit Pindarus. Quibus longe ſunt † uti-
liora affectuum jumenta, quum videlicet rationi auxilian-
tur, & concordes ad virtutem diriguntur. Ut ira fortitu-
dini, ſi adſit modus: juſtitiæ, odium improbitatis: indi-
gnatio, in eos qui præter dignitatem ſecundâ utuntur for-
tunâ. *Ibid. paullo poſt.*

Quod ſi qui amorem una cum furioſo amore ejiciunt,
peccant profecto. Nec illi quidem recte faciunt, qui cu-
* piditatem propter avaritiam vituperant: non enim diſcre-
pant ab illis, qui curſum propter lapſus improbant ... &
qui penitus cantus propter diſſonantiam odio habent. Ve-
rum ut in ſonis muſica concentum non extinctione gra-
vis & acuti; & in corporibus medicina ſalutem non in-
ternecione caloris & frigoris, ſed cum ſymmetria & quan-
titate temperationibus ipſorum perficit: ita in anima mores,
quando a ratione, affectuum ... motibus æquitas adhibe-
tur ac moderatio.... Quare in voluptatibus nimia tollenda
eſt cupiditas, & in ultionibus nimium improbitatis odium.
Ita enim alius non ſtupidus, ſed modeſtus: alius juſtus,
non ſævus nec acerbus erit. Quod ſi penitus affectiones
tollerentur, fierique id poſſet; in multis ratio ſegnis, ob-
* tuſa, & languida eſſet: ut gubernator deſtitutus a ventis.
Quam rem intelligentes latores legum, in rebus publicis
cupiditatem gloriæ, & æmulationes inter cives ſerunt. Con-
tra hoſtes autem tubis, aliiſque modis iram excitant, &
amorem augent pugnandi. *Lib. de Virtute morum, fere in
fine.*

Quies,

† *Al.* Perturbationum pecudes conducibiliores.

Quies, ſive tranquillitas animi.

SI *a multis clariſsimorum philoſophorum* quæras, quiſnam *eos* inſectatus *fuerit*, & exſulare coëgerit, invenias neminem: ſed ipſi (a) ſponte quietem ſecuti, cujus participare nequeunt qui domi nominis aliquid vel poteſtatis obtinent. Itaque quum cetera ſuis nos doceant libris, hoc profecto re ipſa etiam docent. Et nunc quoque optimus quiſque & probatiſsimus peregre vivit, non pulſus, ſed ſponte alio tranſgreſſus: nec fugatus, ſed fugiens ipſe moleſtias, occupationes, negotia, quæ patria afferre ſolet. Olimque antiquis illis (ut videre eſt) lucubrationes, quæ pulcherrimæ exſtant maximeque approbantur, adjuvante exſilio, a Muſis peractæ abſolutæque ſunt. *Lib. de Exſilio, paullo ante finem.*

Qui cenſent ad vitam per tranquillitatem agendam, non multa agere oportere nec privatim nec publice, hi primum magno nobis parabilem animi tranquillitatem faciunt, utpote inertia ſegnitiaque venalem.... Deinde etiam falſum eſt, homines minime actuoſos tranquille vitam ducere: alioqui tranquilliorem mulierum vitam, quam virorum eſſe oportuerit: nempe quæ plerumque domi excubare ſeſsitantes ſoleant, ſellulariis in officiis occupatæ.... Nec vero multitudine paucitateque negotiorum, ſecuritatem animi anxietatemque metiri convenit. Honeſta enim omittere, non minus quam turpia agere moleſtum eſt. *Lib. de Tranquil. animi, paullo poſt initium.*

Plato humanam vitam cum alea comparabat, in qua optimus quiſque jactus aleatori maxime expetendus eſt: ſed utcumque tamen ceciderit, adhibenda artificioſa cura eſt, ut eo, quo caſus tulerit, quam rectiſsime utatur. Quorum tamen ipſorum alterum (b) in nobis ſitum non eſſe, aleæ videlicet jactum; alterum ſitum eſſe: ſi ſapientes ſumus, id quod ſors attulerit, ut æquo animo excipiamus (c) & unicuique locum diſtribuamus, quo magis commodet

(a) *Tit. Mundi contemtus. Tit. Renuntiatio.* (b) *Tit. Fortunæ utriuſque moderatio.* (c) *Tit. Patientia.*

id quod bene ceciderit, quoque minus incommodet id quod retroverſum ceſſerit. Verum inertes homines degendæque
* vitæ ignari (inſtar morboſi corporis hominum, qui nec æſtum ferunt nec rigorem) ut in rebus ſecundis exporrectâ fronte perfuſi ſervare modum nequeunt: ita in adverſis obductâ atque caperatâ fœdiſsime contrahuntur. Conturbabuntur igitur ab utriſque, vel in utriſque potius a ſe, nihiloque ſecius in iis quæ bona eſſe creduntur.... Prudentes melius, qui veluti apes ex thymo aridiſsimi aſperrimi-
* que ſucci herbâ mel rem ſuaviſsimam conficiunt; ſic ex rebus ipſi incommodiſsimis ſæpe quippiam ſibi accommodatumque eliciunt. Zenoni Cittieo unica navis reliqua erat: hanc ut audiſſet cum vectoribus, cum mercibus, cum pulviſculo (ut dicitur) periiſſe: præclare, inquit, mecum fortuna agis, quæ me ad pallium illud obſoletum, atque † ad porticum impellis philoſophicam. Quid igitur tandem nobis obſtat, quo minus illos imitemur? A magiſtratu quopiam excidiſti? rurí vitam ages. Circa tua privatim negotia ſatagens, & in principis amicitiam inſinuare te magno ambitu contendens, repulſam tuliſti? tuto, nulloque undecumque tibi exhibito negotio vives. Rurſus negotiis multis curiſque implicaris? ne aqua quidem calida uſque adeo mollia membra fovet, quod ait Pindarus; ut honores & gloria cum poteſtate juncta ſuavem laborem faciunt, & facile exſudabilem. At enim quædam te angit offenſio ex delectatione, aut invidia, aut atroci ignominia? ſecundus hic flatus eſt, ad Muſas & in academiam ferens: id quod Platoni accidit, quum in Dionyſii amicitia quaſi ſæva tempeſtate deprehenſus eſſet. *Ibid. poſt pauca.*

Age jam pleroſque non modo amicorum ac propinquorum vitia, ſed etiam (ſi diis placet) inimicorum exacuunt.... Si igitur iis utens, manſuetudinem moderationemque præ te ubique pro re nata tuleris, profecto non magis alienâ petulantiâ atque improbitate offendere, quam
* tuæ affectionis conſcientiâ lætabere. Nam eos ita agere non abs re arbitraberis, non magis quam canes quum oblatrant indigne naturâ ſua facere. Alioqui ſi huic imbecil-

† *Al.* Ad Stoam redegiſti.

litati atque puſillanimitati indulgens, alienis te etiam malis degravari contemſeris, fallent te miſerum ac in dies ægreſcentem moleſta multa, velut in locum quemdam depreſſum ſubſidentemque influentia. *Ibid. poſt pauca.*

Enimvero conſtantem illum tranquillumque ſtatum animi (a) mirum in modum frangit altioribus ſpiritibus ad aſſequendum quippiam quam pro viribus niti, quaſique grandioribus velis proportione vehi: quippe immodica nobis atque immenſa, affulgente utcumque ſpe, temere pollicentes; deinde non reſpondente ſucceſſu, fortunam ſtatim iniquitatis, geniumque noſtrum poſtulamus: quum temeritatis potius nos met ipſos damnare deberemus. Ceu vero fortunæ ſuccenſendum ſit, quod vel aratro ſagittam ejaculari nequeas, aut bove incitato venari lepuſculum: quaſique iniquus quiſpiam Deus iis adverſetur, qui everriculis cervos irrito conatu venantur, & non veſaniâ potius atque improbitate ſuâ impoſsibilia etiam perficere aggrediantur. Hujus vero erroris cauſa eſt perditus amor ſui. Homines enim nimium de ſe meriti, dum primas ubique partes ſibi magna contentione tribuunt, pervicacia provecti, nihil intentatum relinquunt.... Quum vero nemo noſtrum vitem ficus ferre dignum cenſeat, nec oleam uvas; nos tamen ipſi criminamur aſsidue, ingrataque inexplebilitate premimus, noſque adeo noſtri pœnitet, niſi primas partes inter divites ſimul & diſertos, domi & militiæ, inter philoſophos & milites, denique inter aſſentatores & eos qui fidenti ingenuaque ſimplicitate veraces eſſe noſcuntur, poſtremo inter præparcos profuſoſque feramus.... Oportet igitur unumquemque noſtrum quod appoſitiſsimum ſibi eſſe intellexit, id ſumere; totoque opere incumbentem ad illud, de poſſeſsione eorum decedere, quæ ad alios pertinere ſenſerit. *Lib. de Tranquil. animi, penes medium.*

Invictos animi, præſidentes nobis, futurorum ſecuros eſſe decet: idque ad fortunam dicere, quod Socrates ad Anytum & Melitum criminatores ſuos ſimulans ſe dicere, re vera dicebat ad judices: Anytus & Melitus interficere me poſſunt; incommodo aut detrimento afficere non poſ-

 ſunt.

(a) *Non erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes, &c.*

ſunt. Ut enim fortuna morbis variis obruere, opes intervertere, ad tyrannum aut populum criminari potuerit: non potuit certe malum, aut ſocordem, aut demiſſum degeneremque animi, aut etiam malevolum facere dumtaxat virum bonum, virilitate ac magnitudine animi prædítum; & (ut ſemel dicam) non potuit rectam animi conſtitutionem adimere: quæ multo plus certe homini confert ad vitam tranſigendam, quam ars gubernatoria ad emetienda maria. * Nec enim gubernator, quantumvis peritus, æſtuantem undam componere, nec impetum ſævientis flatus retundere quoquo modo poteſt: non magis quam portum ubi vis naſci, quoties ei ex alto revehi libitum ſit. Sed ne illud quidem ars ei præſtiterit, ut tempeſtate deprehenſus, conſtanter ac intrepide neceſsitate defungatur: hactenuſque ipſa juvat, ut tantiſper dum locum arti eſſe non deſperat, expanſa vela deducens, utcumque cum tempeſtate decidat: ob hoc jam ignavus compreſsis manibus ſedet; ac interim dum malus exſiſtit ventorum vi demerſus, vibrante pavore contremiſcit. At in homine prudente (a) compoſitus animus, cum corpori ſerenitatem affert, continentiâ videlicet & victu laboreque temperatis morborum cauſas materiamque abſtergentibus; tum ſi quod extrinſecus forte argumentum perturbationis exſiſtat, in quod animus hominis quaſi in ſaxoſum vadum incurrerit, expeditâ (inquit Aſclepiades) ſuſpensâque antennâ tranſilit. *Lib. de Tranquil. animi, paullo ante finem.*

Enimvero (b) ſi quis naturam animæ noſtræ vel quoquo modo ſubodoratus ſit, ſecumque reputaverit tranſitum ex hac vitæ conditione ad aliam, meliorem fieri per mortem, aut certe non deteriorem; profecto is non modicum jam viaticum habet, quo ſe ad ſecuritatem animi ac tranquillitatem conferat, mortis ſcilicet contemtum. *Ibid. poſt pauca.*

Quiſquis vero (c) ille eſt, qui celebratum illud protulit: anteverti tibi fortuna, teque occupavi, atque omnes tuos aditus quamlibet arctos intercepi; is nimirum non peſſulis, non clavibus, non ſtructuris animaſſe ſeſe erexiſſe-

(a) *Tit. Prudentia.* (b) *Tit. Spes immortalitatis.* (c) *Tit. Præmeditatio malorum ad patientiam.*

ſeque videtur; ſed decretis potius philoſophicis, elogiiſque ſapientum: quæ tamen ipſa in medio poſita ſunt, obviaque omnibus, atque adeo in manibus dumtaxat ſumere volentibus. *Eodem loco, paullo poſt.*

Qui per philoſophiam (a) omnia refert ad virtutem, ipſum ſecum concordem ſibique conſentientem, ac talem ut ipſe de ſe nihil queratur, pacis & gaudii plenum, ſemper ſibi ipſi amicum ac benevolentem reddit hominem. Non hic ſeditio, non improbum bellum in membris, non affectus parum dicto audiens rationi, non cupiditas cum cupiditate pugnans, non concurſus cogitationis cum cogitatione, non velut in confinio cupientis ac pœnitentis aſpetione, non velut in confinio cupientis ac pœnitentis aſperitas, ac turbulentia cum delectatione conjuncta: ſed amica pacataque omnia. *Lib. Cum principe philoſophandum, paullo ante medium.*

Inquietudo animi, Curæ, Diſtractio.

ENimvero quemadmodum meticuloſi & inter navigandum nauſeantes, in prægrande ſubinde navigium ex navicula tranſiliunt, atque illhinc rurſus in triremem, melius jam jamque ſibi fore ſperantes, quoad ſeſe tandem nihil promovere, & (ut ita dicam) incaſſum laborare ſenſerint, ut qui bilem quoquo gentium ſecum ignaviamque circumferant: ſic vitæ genus aliud atque aliud idemtidem capeſſere, a moleſtiis perturbationibuſque animum eximere nequit. Cujuſmodi ſunt imperitia rerum, inconſiderata temeritas, nec ſcire nec poſſe recte pro re nata præſentibus uti. Hæc opulentos juxta inopeſque exercent: hæc & maritos & cœlibes mœrore afficiunt. Non aliam ob cauſam quidam a foro publiciſque negotiis ſe ſubtrahentes, vitam rurſus umbratilem non perferunt. Propter hæc eadem in aulas ſeſe regum nonnullos omni ope inſinuantes, incœpti rurſus piget. Implacidiſsima res eſt morbus, ut inquit Ion: ægrotans enim uxorem faſtidit, medicum incuſat, lectulo ſuccenſet; denique amicus inviſens moleſtus eſt,

(a) *Tit. Virtus placidum & pacatum ſibi hominem efficit.*

eſt, abienſque rurſus offendit. Poſtmodum vero remittente morbo temperamentoque reddito, ſenſim venit ſanitas, jucunda jam omnia faciens & placida: adeo ut qui ova pridie, amylum, & primarium panem faſtidioſe exſpuerat, cibarium poſtridie panem avidiſsime cum naſturtio comedat. Tantum eſt (a) in ratiocinatione momentum, ad vitam feliciter traducendam. Alexander, quum audiret Anaxarchum mundos eſſe infinitos differentem, illacrimaſſe dicitur: percontantibuſque amicis, ecquid lacrimis dignum ei contigiſſet? An indignum eſt, inquit, nos flere, ſi quum infiniti mundi eſſe dicantur, haud dum unius domini facti ſimus? Crates contra, manticam ſordidumque palliolum geſtans, per luſus & riſum vitam quaſi dies feſtos ad uſque
* extremum egit.... Porro quemadmodum calceus ad vari pedis figuram obtorqueri etiam ſolet; pes vero non item ad obtorti calcei: hunc in modum mentis habitudines quamlibet oblatam vivendi rationem, ſimilem ſibi reddiderint atque conſentaneam. Nec vero iis qui optimam vitam elegerunt, ſuavem quoque vitam conſuetudo efficit (ut quidam voluerunt); ſed prudentia potius vitam optimam, eamdem ſuaviſsimamque facit. *Lib. de Tranquil. animi, paullo poſt initium.*

Modeſtia.

EQuidem commemini (b) juvenem me, quodam adhibito altero ſocio, legatum ad Proconſulem decreto publico inſtitutum; ſocium vero caſu quodam reſtitiſſe, nec legationis munus ad exitum uſque proſecutum: me functum officio, & quæ publico nomine curanda ſuſceperam, ex ſententia confeciſſe: domum regreſſo, ac legationis jam abſolutæ rationem publice relaturo mihi patrem ſecreto juſsiſſe ne dicerem; acceſsi, dixi, feci: ſed comprehenſo collega; acceſsimus, diximus, fecimus: haud ſecus atque ſi rebus omnibus ipſe quoque interfuiſſet, & operam mecum præſens conficiendis negotiis impendiſſet: hac

(a) *Tit. Prudentia.* (b) *Præclara viri civilis deſcriptio.*

hac enim ratione nihil non modeſte atque humaniter fieri, nec modo non invidioſe rem totam tractari, verum etiam nihil de exiſtimatione inde ac gloria detrahi. *In Politica, longe poſt medium, & ante finem.*

Frugi namque (a) moderatuſque vir, non inſolens, non nimium ſui amans, nemini in civitate oneri eſſe poteſt, nulli acerbus & gravis, nulli viſu infeſtior. Nam & ſalutabilis eſt, & natura communis, atque adire & affari volentibus facilis: cujus domus non obſerata, non occluſa; ſed patens eſt omnibus, quo ſe quiſque velut a tempeſtate & fluctibus in portum tuto recipere poſsit. Nec humanitatem dumtaxat his rebus affert, quibus curandis ope ſimul & opera opus eſt: verum etiam (b) vota proſpere aſſequentibus lætum ſe & hilarem exhibet; rurſus offenſis & adverſitate ulla affectis dolentem & mœſtum. Nuſquam ulli moleſtus occurrit, nemini per importunitatem impedimento eſt, non longo ſervorum & comitum agmine inſolens, non in balneis & theatris occupatione locorum curioſus, non deliciis & nimio ſumtu inſignis, & propterea inviſus & gravis: ſed æquus, & lenis; moribus, veſte, victu, educatione liberorum, uxoris atque familiæ cultu, ſimul modeſtia & humanitate, rebuſque omnibus talis, ut facile agnoſcere poſsis popularem hominem, qui ſe unum de cœtu haberi civium ex animo ſtudeat; qui benevolum ſe & fidelem conſiliarium dubitatione æſtuantibus præbeat; afflictis patronum ſine mercede; connubiis amicitiiſque committendis facilem aptumque conciliatorem. *In Politica, prope finem.*

Linguæ moderatio.

NOn ſolum vincere (c) ſed etiam vinci ſcire ſpecioſum eſt, in iis præſertim rebus, in quibus victoria detrimentum parit. *Lib. de Liber. educand. longe poſt med. & ante finem.*

De

(a) *Civilis & modeſti viri deſcriptio.* (b) *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* (c) *Adverſus contentioſos.*

De continenda lingua, ut propoſui, explicare reſtat. Si quis hoc parvum aut contemtibile ſuſpicatur, a veritate vehementer errat. Magnæ enim ſapientiæ tempeſtivum eſt ſilentium, & omni certe ſermone præſtantius.... Quod *enim* ſilentio retentum eſt, efferetur perfacile: quod autem edideris, nullo modo revocari poteſt. Scio innumerabiles ob linguæ intemperantiam in maximas incidiſſe calamitates. *Eodem lib. poſt pauca.*

* Qui equos probe educant, verſatiles quidem eos efficiunt & parentes freno: at qui inſtituunt pueros, docent eos idoneos ſe præſtare auditores; multa videlicet audire, & pauca loqui. Sic Spintharus Epaminondam laudibus vehens: quamquam plura (inquit) ſciret, & pauciora loqueretur; utrumque tamen æque illi ac facile in promtu erat. Hinc naturam tradunt cuilibet geminas præbuiſſe aures, & linguam unicam; quod plura expediat hominem audire quam loqui. *Lib. de Officio auditoris, paullo poſt initium.*

Ornatus veſtium.

QUid eſt quod in luctu mulieres albis veſtibus induuntur? ... An tenuitas his in rebus ac ſimplicitas maxime decet; infectæ autem veſtes tum ſuperfluitatem præ ſe ferunt, tum elegantiam ac ſumtum? Non enim minus adverſus nigrum, quam purpureum colorem illa dici poſſunt: doloſæ veſtes, doloſi etiam colores. Quod autem ſua ſponte, non arte nigrum eſt, naturâ tinctum eſt, & opaco admixtum vincitur. Solum igitur album (a) ſincerum & purum, ac minime inquinatum eſt. Quare mortuis aptiſsimum. *In Problem. Rom. haud longe ab initio.*

Verecundia, Pudor.

* EX his quæ terra producit, quædam ſunt non modo ſuapte natura ſilveſtria infrugiferaque; verum etiam mi-

(a) *Angeli ergo in albis apparentes ſimplicitatem & ſinceritatem commendant.*

mitibus frugiferiſque ſeminibus ac plantis ſuo incremento officientia: attamen hæc agricolæ judicant argumenta ſoli nequaquam mali, ſed pinguis ac feracis. Itidem ſunt (a) & affectiones animi, per ſe quidem bonæ; ſed tamen ceu germina quædam ac flores bonæ indolis, quæque ſe met ipſam rationi colendam commode poſsit exhibere. In his numero & eam, quam Græci vocant dyſopian: hanc dicere poſsis vitioſum pudorem, aut ſtupidam verecundiam: quæ ſignum quidem eſt haud quaquam malum, quum ſit cauſa mali. Etenim qui pudeſcunt, frequenter eadem peccant, quæ ſolent impudentes: niſi quod illi quum peccant, dolore moleſtiaque afficiuntur; non autem delectantur quemadmodum iſti. Quiſquis enim pudore vacat, non ſentit dolorem ex turpiter factis. Contra qui facile pudeſcit, cito commovetur, non ſolum objectis his quæ vere turpia ſunt; verum etiam quæ ſpeciem habent turpitudinis.... Itaque Cato dicebat, ſibi magis placere adoleſcentes qui rubeſcerent, quam qui palleſcerent: recte conſuefaciens illos docenſque, probrum eſſe magis metuendum, quam reprehenſionem. *Lib. de Vitioſa verecund. in princ.*

Eſt profecto & difficilis pudoris vitioſi curatio, nec abſque periculo fit ab exceſsibus hujuſmodi revocatio. Sicut enim agricola quum evellit ſilveſtre germen & infrugife- *
rum, ibi valide impacto ligone ſubvertit radicem, aut admoto igne incendit; ceterum quum vitem aggreditur putandam, aut mali arborem, aut oleaſtrum tractat, circumſpecte manum admovet, metuens ne quid ex his quæ ſana ſunt reſecet: itidem philoſophus, quum ex adoleſcentis animo eximit invidiæ infrugiferum germen, quodque non facile manſueſcit, aut intempeſtivum pecuniæ ſtudium; aut quum libidinis intemperantiam exſecat, cruentat premitque, atque ſectionem & cicatricem profundam facit. Ceterum quoties ad delicatam teneramque animi partem ſermonem adhibet avocantem a vitio, qualis eſt ea quæ immodico pudore commovetur ac turbatur, cavet ne imprudens ſimul reſecet ingenuum pudorem. Nutrices enim dum * frequenter preſsius extergunt ſordes ab infantibus, nonnunquam

(a) *Tit. Affectus.*

quam & carnem una cum ſordibus abſtrahunt lædunt-que. Proinde non eſt committendum, ut dum modis omnibus ab adoleſcentibus, ad vivum uſque, pudorem immodicum extundimus, incogitantes eos reddamus, ac præter modum *improbos. Quin potius quemadmodum ii qui demoliuntur ædes ſacris ædificiis contiguas, quæ proxima ſunt & continentia manere ſinunt ac fulciunt: ita dum immodici pudoris vitium attingimus, cavendum eſt, ne ſimul & illa detrahamus quæ contigua ſunt pudori, modeſtiæ, ac manſuetudini.... Hanc ob cauſam Stoici his de rebus diſſerturi, protinus ipſo etiam nomine diſtinxerunt erubeſcentiam ac vitioſum pudorem a verecundia: ne ſi commune vocabulum reliquiſſent, vitio darent occaſionem lædendi. Verum nobis concedant nominibus citra calumniam uti, vel potius largiantur nobis Homerico more loqui. Siquidem ille dixit:

Valde pudor mortale genus læditve juvatve.

Et haud male quidem lædendi verbum priore loco poſuit. Fit enim pudor utilis ratione, quæ & detrahit quod redundabat, & quod erat moderatum relinquit. Illud igitur in primis perſuadendum eſt ei qui immodico pudori obnoxius eſt, quod affectu noxio teneatur. Nil autem eſt noxium, quod idem ſit honeſtum. *Ibid. poſt pauca.*

Pudor immodicus mollibus & effeminatis imminens, nec valens ad ullam petitionem renuere aut contradicere, & judices avertit a juſtitia, & in conſultatione ſedentibus obturat os, multaque cogit tum dicere, tum facere inconſulte. Ceterum qui improbiſsimus eſt, ſemper hujus affectus dominus ac ſuperior eſt: ſic excutiens pudoris affectum, ut nunquam pudefiat. Itaque pudor immodicus, dum nullam interpellationem poteſt repellere nec ſubmovere, perinde ut ager (a) ſupinus ac (b) mollis, turpiſsimis factis ac cupiditatibus pervius eſt. Nam hujuſmodi pudor malus cuſtos eſt teneræ ætatis, quemadmodum dixit Brutus, ſibi non videri eum ætatis florem recte collocaſſe, qui nihil negaret. Rurſus malus eſt thalami & feminei con-cla-

(a) *Supinus, id eſt, montoſus, vel in aſcenſu montis ſitus.* (b) *Mollis, id eſt, aditu & acceſſu facilis.*

clavis curator.... Itaque pudor immodicus poſtea quam intemperantiam ad turpia proclivem magis etiam non obſiſtendo corrupit, omnia præbet invadentibus immunita, patentia, proclivia. Obſequendi vero facilitate & immodico pudore corrumpunt etiam verecunda. Non interim commemoro detrimenta rerum utilium quæ parit immodicus pudor, dum mutuum dant quibus diffidunt: dum ſponſores fiunt, pro quibus nolunt: dum laudant quidem illud: ſponde, ſed præſto eſt noxa: ceterum eo in rebus gerendis uti non poſſunt. *Ibid. paullo poſt.*

Conandum eſt igitur ut hic morbus, multorum cauſa malorum, propellatur: primum, per exercitationem (a) facto initio (more eorum qui aliis in rebus quippiam meditantur) a puſillis, & ubi non difficile ſit, contra oculos tollere: veluti ſi quis tibi propinet in cœna quum ſatis biberis, ne te moveat pudor inutilis, nec tibi ipſe vim facias; ſed deponito poculum. Rurſum aliquis provocat ad talos inter pocula, ne pudeſcas nec metuas ſi petaris dicterio; ſed imitare † Xenophontem Lagi: quem quum Hermoneus meticuloſum vocaret quod nollet cum ipſo talis ludere, confeſſus eſt ſe non modo timidum, ſed vehementer etiam timidum & meticuloſum eſſe adverſus inhoneſta. Rurſus incidiſti in hominem inepte loquacem qui te apprehendit, & inhærens complexu retinet: ne ſis hic immodice pudens, ſed interruptum ſermonem urge & abſolve. Nam hujuſmodi recuſationes ac diſcuſsiones, quoniam in minoribus malis præparant exercentque ad excutiendum inutilem pudorem, conſuefaciunt nos ad majora.... Jam vero adverſus laudes adulantium, non inutilis fuerit in rebus levioribus meditatio exercitatioque ad expellendum vitioſum pudorem. Quod genus ſit, in amici convivio citharœdus inſcite canit; aut comœdus magno emtus inſcitâ actione perdit Menandrum, pleriſque plaudentibus & admirantibus. Non fuerit opinor moleſtum aut difficile cum ſilentio audire, nec illiberaliter laudare ſupra

(a) *Exercitationis genus ad frenandos animi affectus, quod quidam mortificationem vocant. Tit. Mortificatio.* † *Al.* Xenophanem, quem quum Laſus Hermionenſis, *cet.*

pra quam tibi videatur. Quod ſi in his tibi non temperas, quid facies amico recitante malum carmen, aut ſcriptam orationem oſtendente? Nimirum illiberaliter ridiculeque laudabis, ſimulque cum ceteris adulantibus applaudens, augebis tumultum. Quo modo igitur reprehendes in negotio ſerio delinquentem? Quo modo in gerendo principatu, aut in nuptiis, aut in adminiſtranda Repub. non recte ſe gerentem admonebis? *Eod. lib. paullo ante medium.*

Itidem oportet & pecuniam mutuam flagitantibus obſiſtere, conſuetudine multo ante paratâ in rebus nec magni momenti, neque recuſatu difficilibus. Archelaus Macedonum rex, quum ab ipſo poculum aureum poſtularet quidam inter cœnam, qui nihil ducebat honeſtum præter quam accipere, juſsit miniſtro ut id Euripidi daret: & hominem illum intuitus: tu quidem (inquit) dignus es qui poſcas nec accipias; hic vero dignus eſt qui etiam non poſtulans accipiat: pulchre declarans, non ex pudoris arbitrio, ſed ex judicii delectu donationem ac largitionem eſſe faciendam. Nos vero ſæpe numero modeſtis hominibus ac familiaribus (quum egent) contemtis, aliis inſtanter improbeque flagitantibus damus: non quod dare velimus, ſed quod negare non valeamus.... Ad hæc, vitioſus pudor non modo malus & imprudens diſpenſator eſt pecuniarum; verum etiam majoribus in rebus non admittit utiliter conſulentem rationem. Etenim ægrotantes non arceſsimus medicum peritum, veriti familiarem offendere: ac liberis præceptores eligimus eos potius qui nos huc ambitu ſuo provocant, quam idoneos. Quin & in litibus frequenter non patimur eum patronum dicere, qui cauſæ utilis eſt & rei forenſis peritus; ſed amici cujuſpiam aut cognati filio gratificantes, tradimus apud populum agendam cauſam.... Age igitur & ad hæc multo ante in rebus vulgaribus ac puſillis nos met ipſos exerceamus, aſſueſcentes nec tonſore, nec † pictore per immodicum pudorem uti, nec in ſordido diverſorio manere ſi copia ſit melioris, eo quod † caupo frequenter ſalutarit nos: ſed in conſuetudinem ducamus, etiam in minimis eligere quod melius eſt.... Ac de exerci-

† *Al.* Scriba. *Al.* Fullone. † *Al.* Stabularius.

citatione quidem hæc ſufficiunt. *Ibidem, penes meum.*

Ceterum rationum ad hæc conducibilium illa prima eſt, quæ nos docet & commonefacit, quod omnes affectus ac morbos ea ſequuntur quæ per illos videmur nobis effugere: velut ignominiam, gloriæ ſtudium; dolores, voluptatum amorem; labores, mollitiem; & ambitionem vincendi ſequitur vinci & condemnari. Ceterum illud palam accidit immodico pudori, ut dum fumum vitat, in ignominiæ ignem ſe conjiciat.... Quin permultos vitioſus pudor, poſtea quam eos inutili promiſſo de nuptiis, aut de filia, ſororeve conſtrinxit, rurſum in diverſum mutatâ ſententiâ mentiri cogit. *Lib. de vitioſ. verecund. penes medium.*

Perſæus, quum cuidam mutuam daret pecuniam, apud forum ac menſam fecit cautionem, memor videlicet illius Heſiodi dicti:

Et fratri teſtem ridens adhibere memento.

Verum quum ille admirans dixiſſet: adeone Perſæe legaliter? Scilicet (inquit) ut amanter recipiam, nec legaliter repoſcam. Multi ſiquidem ob immodicum pudorem initio non caventes ne fallantur, poſt cum amicitiæ detrimento coguntur legibus experiri. Contra Plato, quum Heliconi Cyziceno daret ad Dionyſium litteras, commendavit illum ut humanum ac modeſtum. Deinde in calce litterarum aſcripſit: hæc autem tibi ſcribo de homine animante naturâ mutabili. Xenocrates tametſi moribus alioqui eſſet auſteris, tamen pudore victus, litteris commendavit † Polyperchontem, hominem minime probum, ut res indicavit. Hunc ubi complexus eſſet Macedo, rogaretque num qua re opus haberet, popoſcit talentum; atque ille quidem dedit: ceterum Xenocratem per litteras admonuit, ut poſthac diligentius circumſpiceret quos commendaret. At Xenocrates ignorabat quem commendabat. Nos vero quos comperimus (idque frequenter) improbos, in hos non modo litteras commendatitias profundimus; verum etiam pecunias, ipſi nobis noxam arceſſentes. Porro ſicubi alias, certe adverſus eos qui nos pudore gravant, dicere licet illud:

Intelligo quæ ſim patraturus mala,

ſi

† *Al.* Polyperchonti hominem, *cet. Minus tamen recte, ut arbitror.*

ſi falſum præbuero teſtimonium, aut ſi præter æquum judicavero, aut ſi ſuffragium tulero negotio inutili, aut ſi mutuum dedero non reddituro. Quapropter habet hoc peculiare pudor vitioſus, quod quum ceteras cupiditates ſequatur pœnitentia; hic non ſequitur, ſed protinus in ipſis factis adeſt. Nam & quum damus, diſcruciamur: & teſtimonium ferentes, pudeſcimus: & auxiliantes, infamiam contrahimus. Quoniam enim imbecilliores ſumus quam ut poſsimus poſtulantibus recuſare, etiam illa pollicemur iis qui nos urgent, quæ præſtare nequaquam poſſumus, veluti commendationes in principum aulas, & interceſsiones apud præſides; dum nec volumus, nec audemus dicere: non novit nos rex; ſed alios potius reſpicit. *Ibidem; paullo poſt medium.*

In noxiis vero & inhoneſtis convenit illud Zenonis ſemper habere in promtu, qui quum incidiſſet in adoleſcentem quemdam ipſi familiarem, juxta mœnia furtim ambulantem; audiſſetque quod fugeret amicum, a quo poſtulabatur ad ferendum falſum teſtimonium: quid ais (inquit) ignave? ille auſus eſt te malo injuriâque afficere, neque erubeſcit; & tu illi pro juſtitia non audes obſiſtere? Proinde quiſquis improbitatem illorum qui impudenter ac fronte perfrictâ obſtrepunt, pari impudentia retundit, nec turpia concedit, verens facere inverecunda; recte jureque facit id, quod faciunt quicumque ſapiunt. *Lib. de Vitioſa verecund. longe ante finem.*

Interpellat te rhetor in judicio ſedentem, aut concionator in † conſilio verſantem: promittito, ſi ille ſoloeciſmum committat in dicendo proœmio, aut barbariſmum faciat in narratione. Non enim id volet: propterea quod turpe non tam ſit, quam videatur. Adeo ut nonnullos videamus in dicendo, ne vocalis quidem cum vocali concurſum ferre. Rurſus ubi moleſtus eſt nobilis quiſpiam & in pretio habitus, jubeto, ut ſaltans forum, aut diſtorto vultu tranſeat. Quod ſi recuſet, tum tibi loqui tempeſtivum erit ac percontari, utrum ſit turpius ſoloeciſmum admittere aut diſtorquere vultum, an violare legem, tranſgredi

† *Al.* Curia.

di jusjurandum, ac præter jus & æquum, malo bonum poſt habere?... Ceterum in vulgaribus id videndum ac diſpiciendum, an avarum huc pudore poſsis adigere, ut abſque cautione credat talentum: aut honoris avido perſuadere valeas, ut locum honoratiorem alteri cedat: aut ei qui gaudet gerere magiſtratum, quum jam imminet gloriæ, ut temperet ab imperando. Profecto merito videatur abſurdum, ſi quum illi in cupiditatibus ſuis ac vitioſis affectibus inflexibiles, rigidique & immobiles perſeverent, nos qui non ſolum eſſe volumus, verum etiam nos profitemur ſtudioſos honeſti & amantes æqui, non temperemus nobis, ſed ſubvertamus abjiciamuſque virtutem. *Ibid. fere in fine.*

Veneramini, inquit *Timotheus*, pudorem virtuti bellicæ ſuppetias afferentem. *Lib. de Audienda poëtica, verſus finem.*

Philoſophia.

CEtera quidem bona, humana quædam ſunt puſillaque, & indigna quæ tantis inſectemur ſtudiis. Pulchra quidem medius fidius eſt nobilitas: ſed majorum illud noſtrorum bonum exſiſtit. Pretioſæ quidem divitiæ: verum ea eſt fortunæ poſſeſsio; quum eas & habentibus (ut uſu evenit) auferat, & minime ſperantibus afferat.... Gloria, venuſta quidem res eſt: ſed inconſtans minimeque ſtabilis. Forma, præcipuum quoddam, & pro qua vindicanda magnopere decertetur: at caduca, parvo durans tempore. Pretioſa quoque ſanitas: verum permutationi prorſus obnoxia. Concupitæ ſane vires, & in partem beatitudinis collocandæ: ſed facile aut ægritudine, aut ſenectute contabeſcunt. Si quis omnino corporis robore glorietur, ſententia falli ſe diſcat. Humana ſiquidem vis præ ceteris pars quota exſtat animantibus? Elephantos (inquam) tauros, ac leones? Noſtris autem in rebus ſola, & immortalis, & divina eſt eruditio. Ex univerſis (a) duo humanæ naturæ perquam peculiaria bona ſunt, intellectus, & ratio. Et intellectus quidem imperat, ratio autem obſequitur. Hunc

(a) *Tit. Intellectus.*

nullus fortunæ tollet incurſus, nulla calumnia diſtrahet: non ægritudo corrumpet, nec ſenectus ullis affliget nocumentis. Solus intellectus eſt, qui vetuſtate confectus repubeſcat: & quum reliqua omnia tempore diminuantur, ſcientia ſenectute augeſcit. Bellum ſingula torrentis inſtar trahens & omnia ferens, ſolam doctrinam nequit eripere. *Lib. de Liber. educ. longe poſt init. & ante medium.*

Ingenuis igitur adoleſcentibus nihil vel auditu vel ſpectatu debet omitti, immo nec is qui orbis diſciplinarum appellatur. Verum hæc perinde ac guſtus gratiâ, vel in tranſcurſu perdiſcenda ſunt: fieri autem nequit, ut in cunctis perfectionem aſſequantur. Antiquiorem autem primariamque philoſophiam eſſe ducant. Qua in re, mea coram
* ex ſimilitudine quadam conſtituenda ſententia. Nam ſicut complures navigando urbes obire, perpulchrum eſt: ita in præſtantiſsima domicilium habere, commodiſsimum ac pretioſiſsimum. Urbane profecto † Biantem philoſophum dice-
* re ſolitum accepimus. Quemadmodum quum proci Penelopes congreſſum habere nequirent, ejus ſe ancillis immiſcebant: ita & qui philoſophiam conſequi non valent, per ceteras nullius ſane exiſtimationis diſciplinas aridi ſemper & tenues intabeſcunt. Quam ob rem aliarum artium & ſcientiarum veluti principem conſtituere philoſophiam oportebit. Ad corporis quidem curam, duplicem ſcientiam humana excogitavit induſtria: medicinam dico, atque gymnaſticam: quarum altera ſanitatem, altera bonam importat habitudinem. Animarum autem ægritudines atque languores, ſola eſt quæ curet ac medeatur philoſophia. Per hanc enim & cum hac ſcire licet, quid honeſtum, quid turpe; quid juſtum, quid injuſtum; & ſummatim, quid deligendum, quid fugiendum; quo modo parentibus, quo modo natu grandioribus, quo modo peregrinis, magiſtratibus, amicis, uxoribus, ac ſervis utendum ſit: utque deos veneremur, parentes honoremus, ſeniores vereamur, legibus obtemperemus, magiſtratibus cedendum ſit, amicos diligere oporteat, in mulieres ſervare modeſtiam, caros habere liberos, minime ſævire cum ſervis. Et quod maximum

† *Alii, & fortaſſe caſtigatius*, Bionem *legunt*.

imum eſt, in proſperis fortunæ ſucceſsibus lætitiâ non effundi, nec in adverſis caſibus triſtitiâ deprimi, nec omnino voluptatibus eſſe deditos, nec ita per iracundiam affici, ut belluarum animos induamus: quæ ex omnibus philoſophiæ bonis antiquiſsima judico. Generoſi enim viri officium eſt, ſecundam ferre fortunam: ſine invidia vero, hominis bene inſtituti: voluptates ratione ſuperare, ſapientis: iracundiam vincere, non vilis profecto aut abjecti viri munus eſt. Ceterum eos perfectos opinor eſſe homines, qui civiles cum philoſophiâ poteſtates queant immiſcere. Hos ſibi gemina vindicare bona reor, ut ſcilicet eorum vita & ad communem omnium utilitatem in Republica ducerētur; & ſumma cum tranquillitate, nullis objectâ fluctibus, per ſapientiæ ſtudia verſaretur. *Lib. de Liber. educ. penes med.*

Poëtice.

Numquam mihi inſignis ille Lycurgus viſus eſt ſapere, * qui ob multorum vinolentiam & ebrietatem, vites circum ambulans, illas amputaverit; quum licuiſſet illi propius admovere fontes, & inſanientem Deum Bacchum (id quod ait Plato) altero Deo ſobrio compeſcere, & ad moderationem perducere. Aufert enim a vino aquæ commixtio id quod eſt noxium, non perimens interim quod eſt utile. Itaque poëtica, muſarum quædam portio, haudquaquam exſcindenda nobis eſt & prorſus rejicienda: ſed fabuloſum hoc & theatrale quod habet (ſicubi deprehenderimus intemperie quadam voluptatis temere in expugnanda veri opinione omnia audere, ac prorſus inſanire) cohibendum utique eſt illud, & protinus reprimendum. Porro ubi muſam conjungit gratiæ, amœnitas illa ſermonis ductu ſuo non modo non inanis, ſed etiam plurimum frugifera eſt: ac tum maxime locus poſtulat, ut illhic philoſophiam inveſtigemus atque introducamus. Ut enim mandragora prope vites naſcens, virtutem miniſtrans vino, leniorem efficit illius vim inebriandi: ita poëtica ex philoſophia certas accipiens rationes, & fabuloſæ narrationi *

commiſcens, faciliorem nimirum effecerit & amabiliorem illius cognitionem. *Lib. de Audienda poëtica, ſtatim ab initio.*

Primum igitur afferamus in medium quod paſsim eſt obvium, & in poëticen ingenioſe excogitatum: quoniam multa mentiuntur poëtæ; & ex illis ſua ſponte quædam, nonnulla vero neceſsitate coacti. Sponte, quia non admodum ſuavem auditu plerique arbitrantur veritatem: quæ ratio poëtas urget, ut majore ſtudio voluptatem & gratiam in nugis ſectentur. Nam res geſta, ſi finem habeat inamœnum, nihil commovet animos. Ceterum † afflictio in verbis, mirum dictu, quam facile a rebus triſtioribus ad hilaritatem auditores commoverit, atque vi ſua traduxerit: quod nec verſus ipſe, nec figura, nec acumen dicendi, aut tempeſtiva metaphora, concinnitas, aut ſtructura tantum afferat ſecum illecebrarum, quantum ineſt fabulæ (a) ſuis affectibus recte ſibi conſtanti. Et quemadmodum in picturis vehementius movet color quam linea, ad hoc ut humana effigies reddatur conſpicua, & fallantur ſpectatores: ſic in carminibus veri ſimilitudo admixta nugis, attonitos quodam modo reddit ac decipit eos qui audiunt, magis quam diligens ille apparatus verſibus ac dictionis elegantiæ adhibitus. *Ibidem, paullo poſt.*

Quiſquis *in poëtis* admiratur omnia, illiſque ſe exhibet familiarem, dum judicium ſubjicit opinioni heroicis iſtis
* ac præclaris nominibus infectæ, ſimilis erit quibuſdam inſignium auctorum diſcipulis; qui dum præclara referre non poſſent, exprimebant turpia: veluti Platonici quidam, præceptoris incurvos humeros, & Ariſtotelici balbutiem ma-
* giſtri æmulabantur. Oportet autem, non veluti meticuloſi ex ſuperſtitione in templo omnia exhorrent & reverentur, ita in poëtis quoque verſari: ſed ſumtâ audaciâ ita conſuefcere, ut de eo quod decet ac rectum eſt libere pronuntiet. *Eodem lib. penes medium.*

* Quemadmodum apem videmus naturæ inſtinctu ex amariſsimis floribus, aſperrimiſque ſpinis dulciſsimum mel ac leniſsimum colligere: ita pueri bene inſtituti in poëtica, no-

† *Al.* Affictio, & (*ut reor*) *verius.* (a) *Affectus commode admixti narrationi.*

norunt ex vilibus abſurdiſque argumentis, quæ ſuſpecta etiam aliquo modo videntur, undecumque dulce quippiam ac frugiferum eruere. *Ibidem, longe ante finem.*

Ad hunc igitur modum poëticam uſurpare præceptiſque inſiſtere ſalubribus, vindicat illam a fabulamentis, & detrahit ei perſonam; additque ſtudium illis rebus, quæ magno cum fructu ibi dicuntur; aditum parans juveni ad rationes philoſophicas, dum animum eo inclinat. Venit enim cum quibuſdam præguſtamentis non omnino rudis, ſed ceu candidatus quidam rerum philoſophicarum. Quando jam exoleverunt illa, quæ audivit perpetuo a matre, a nutrice, & per Jovem, a patre & a pædagogo, divites ſolos beatos prædicantibus ſummoque honore illos afficientibus: exhorrentibus præterea mortem & laborem; virtutemque capeſſere operæ pretium non exiſtimantibus, atque adeo nihil præter opes & honorem: his (inquam) opinionibus dum repugnare audiunt philoſophos, ſtupor quidam illos ab initio retinet, ac metus pavorque: ita ut progredi non liceat, nec ferre queant inſolita. Non aliter atque ii (a) qui e magna caligine prodeuntes ſolem contueri nequeunt, niſi antea paullatim fuerint aſſueti. In poëtica igitur, ceu in adulterino quodam lumine ubi vera falſis ſunt permixta, ſplendor eſt tenuis quem facile feras, poteſque citra moleſtiam reſpicere: tantum abeſt ut in fugam te agat præcipitem. Audierunt enim prius in poëtis, & plane perſuaſa habent hæc ſequentia: *

Mortalibus flenda eſt cuique ſua calamitas:
Et mortuus, cunctis liber laboribus,
Domo efferendus eſt multo præconio.

Et:
Quando duobus vita eget mortalium
Tantum, cibo panis, aquæ dein potu.

Et:
Vale † tyrannis, barbarorum amicitia:
Et hominum miſerorum felicitas.

Hæc enim (inquam) minima ſunt quæ gravia eſſe poſſunt, minuſque conturbant & offendunt ex his quæ manant a

(a) *Tit. Virtus initio difficilis. Ratio proficiendi a minoribus ad majora.*
† *Al.* Tyrannis, barbaris gratiſsima.

philoſophis. Dum videlicet audiunt, mortem nihil ad nos pertinere: naturæ opes circumſcriptas ſuo tempore: quodque felicitatem & beatitudinem non liceat præſcribere opulentiâ, aut rerum maximâ ubertate: immo nec principatu aut magna potentiâ, ſed ſolâ indolentiâ ac affectuum tumultuantium ſedatione; cupidine animi intra ſuos naturales terminos circumſepta. *Lib. de Aud. poëtica, in fine.*

Ceterum (a) citra veritatem poëticâ plerumque varietate utimur, & morum plurimâ commutatione: eo quod ex hujuſmodi affectuum diverſitate, quæ ex inſperato improviſoque accidit, quando animus ad ea obſtupeſcit, gratia quædam conciliatur, quam fabularum illa commutatio ſecum affert. Atqui ſi oratio eſt ſimplex & ab his figuris aliena, ea profecto & affectibus item careat neceſſe eſt. Nam hac potiſsimum ratione non ſemper eoſdem poëtæ victores inducunt, non ſemper eoſdem felicitate fortunæ florentes, aut in rebus per virtutem gerendis ſtrenuos. Nec deos, ſicubi in negotia humana inciderint, expertes proferunt affectuum, culpaque omni vacantes: ne videlicet hoc quod concitat mentem & facit obſtupeſcere, a poëſi prorſus exſulet, dum ſedata eſt, nihilque periculi aut motus præ ſe ferre videtur. *Lib. de Aud. poëtica, penes medium.*

Curioſitas improbanda.

CUr (b) o homo invidentiſsime, in alienis malis perſpicaces habes oculos, in tuis cæcutis? Inverte cognoſcendi ſtudium, & iſtam curioſitatem ab externis transfer ad ea quæ ſunt intra te. Si cordi eſt aggredi malorum hiſtoriam, habes affatim domi quid agas. Tantam reperies multitudinem erratorum in vita tua, malarumque cupiditatum in animo, nec minus negligentiæ in his quæ fuerat officii præſtare.... Hæc recenſeto, hæc recognoſcito: feneſtras, unde proſpectus pateat in vicinos, adituſque curioſitatis obturato. Ceterum alias aperito vias, quæ ducunt in virorum conclave quod tibi domi eſt, in loca in quibus

(a) *Affectuum varietas ad oblectandum neceſſaria.* (b) *Tit. Cognitio ſui.*

bus verſantur famuli. Illhic habet iſtud percontandi ſtudium & curioſitas negotium nec inutile, nec improbum, verum utile ac ſalutiferum: quum ſibi quiſque ſic loquitur. Quo lapſus? quid feci? quod mihi munus omiſſum eſt? Nunc vero, ſicut fabulæ narrant, Lamiam domi quidem canere cæcam, oculos habentem in vaſculo quodam repoſitos; verum ubi prodit foras, reponere, ac tum oculatam eſſe: ita quiſque noſtrum foris, & in rebus aliorum ob malevolentiam, ſibi curioſitatem velut oculum imponit. In noſtris autem ipſorum erratis ac malis frequenter labimur præ ignorantia, ad hæc nec oculos habentes nec lucem. Quapropter homo curioſus hoſtibus utilior eſt, quam ſibi. Siquidem illorum mala coarguit profertque, commonſtrans illis quid ſit cavendum, quidve corrigendum. Porro pleraque quæ domi geruntur non animadvertit, videlicet attonitus ſtudio negotiorum alienorum. Itaque mire ſecuri, ignarique eorum (a) quæ ad nos ipſos pertinent, aliorum genus inquirimus: videlicet quod avus vicini fuerit Syrus, avia vero Threſſa. Ille vero debet talenta tria, nec uſuram perſolvit. Quin & hujuſmodi diſquirimus, unde illius uxor rediit domum? Quid hic & ille ſoli in angulo collocuti ſunt? *Lib. de Curioſitate, fere in princip.*

Atqui nonnulli propriam vitam velut inamœniſsimum ſpectaculum non ſuſtinent intueri, nec rationem veluti lucem ad ſeſe reflectere & circumducere. Verum animus (b) omni genere malorum ſcatens, horrens ac metuens quæ ſunt intus, exſilit foras, vagaturque circa aliena, nutriens ac ſaginans animi vitium. Etenim quemadmodum gallina in ædibus frequenter, quum cibus ſit appoſitus, ſubit angulum, ibique ſcalpens terram,

Sicubi, ut in ſimo, vel granum appareat unum:

itidem qui curioſitatis vitio laborant, prætermiſsis interim ſermonibus inſtitutis, ac narrationibus, aliiſque quæ nullus vetat percontari nec quiſquam moleſte fert ſi quis interroget, occulta ſecretaque mala totius domus efferunt.... Et ſane in alienas ædes non eſt mos ingredi quemquam, niſi prius pulſarit fores.... Curioſus autem ad hæc ipſa clam

(a) *Tit. Detractio, ſive oblocutio.* (b) *Tit. Ignoratio ſui unde.*

ſubit: pudicæ domus rectèque conſtitutæ nequaquam libenter ſpectator futurus, etiam ſi quis vocet. Ea vero (a) quorum causâ clavis, repagulum, ac veſtibulum adhibentur, * retegit & effert in vulgus. Atqui ventorum hi nobis ſunt moleſtiſsimi, ſicut ait Ariſto, qui nobis revellunt pallia. Curioſus autem non pallia vicinorum nec tunicas; ſed parietes detegit, fores reſerat, & ad teneram uſque virginem non aliter quam ventus penetrat, irrepitque.... Simul eſt in ædibus divitum, in caſis pauperum, in aulis regum, in thalamis nuper nuptarum, ſcrutans omnia omnium negotia, tum hoſpitum, tum præſidum: atque id quidem * haud citra periculum; ſed perinde ac ſi quis guſtet aconitum, curioſitatis vitio ſcire cupiens quale ſit, prius quam ſentiat, tollitur e medio: ſic qui potentiorum inquirunt mala, prius abſumunt ſe ipſos, quam intelligant. *Ibidem, paullo poſt.*

Si quis de conjugio quopiam loquatur, aut de ſacrificio, aut de deductione, indiligenter & oſcitanter audit curioſus; aitque ſibi pleraque jam ante audita eſſe; jubetque narrantem conferre ſermonem in pauca, aut prætercurrere. Quod ſi quis aſsidens referre cœperit vitiatam virginem, aut adulteram uxorem, aut inſtitutam litem, aut diſsidium fratrum, hic nec dormitat, nec cauſatur deeſſe * otium.... Quemadmodum enim cucurbitulæ, quod in carne deterrimum eſt, ad ſe trahunt: ſic curioſorum aures de- * terrimos quoſque ſermones attrahunt. Et ut melius dicam: ſicuti civitates habent portas quaſdam nefaſtas ſiniſtrique ominis, per quas educunt ſupplicio capitis deſtinatos, ſordeſque atque purgamenta ejiciunt; nihil autem purum aut ſacrum per eas vel ingreditur, vel egreditur: ita per curioſorum aures nihil probum aut venuſtum tranſit; ſed ſermones de cædibus aditum inveniunt, atque ibi verſantur, impuras & impias fabulas ſecum deferentes.... Siquidem curioſitas (b) eſt libido audiendi ſecreta retruſaque. Nullus autem occulit, ſi quid habet boni: quandoquidem hic ſimulantur adeſſe bona, etiam quæ non adſunt. Proinde curioſus (c) qui appetit cognoſcere mala, obnoxius eſt

(a) *T. Contra maledicos.* (b) *Curioſitas quid.* (c) *Curioſitas invidiæ proxima.*

eſt morbo gaudendi de malis aliorum, livoris & invidiæ fratri. *Lib. de Curioſitate, paullo ante medium.*

Curioſi perdunt ac projiciunt ſua ipſorum negotia, dum intenti ſunt alienis. Nec frequenter eunt rus: eo quod non ferant quietem ac ſilentium agrorum.... Fugiunt ruſticationem, uti rem quampiam inanem, frigidam, nec quicquam habentem tragœdiæ: ad tribunalia, fora, & portus ſe recipiunt. Nihilne novi? Nam mane non eras in foro. Quid igitur? Num tribus horis exiſtimas immutatam eſſe civitatem? Et tamen ſi quis habeat tale quippiam quod narret, deſcendit ex equo, datâque dexterâ & exoſculatus hominem, conſiſtit auſcultans. Quod ſi quis forte obvius dicat nihil eſſe novi, tanquam offenſus, quid ais, inquit? Non fuiſti in foro? Non præteriiſti ſtationem, nec incidiſti in eos qui venerunt ex Italia? Itaque laudanda Locrenſium lex, quæ ſi quis peregre reverſus rogaſſet, num quid novi? eum mulcta afficiebat. Quemadmodum enim coqui * optant uberem pecudum proventum; piſcatores, piſcium: ſic curioſi optant annonam malorum, ac negotiorum multitudinem, novitateſque & rerum mutationes; quo ſemper habeant quod venentur, mactentque. Quin & Thurienſium legibus recte cautum eſt, quæ vetant in comœdiis taxari cives, præter quam adulteros & curioſos. Siquidem videtur & adulterium eſſe curioſitas alienæ voluptatis, inquiſitioque ac perſcrutatio rerum, quæ ſic aſſervantur ut pleroſque lateant. Ipſa vero curioſitas, paralyſis eſt ac tabes, renudatioque rerum non efferendarum. Itaque fere fit, ut multa cognoſcendi ſtudium comitetur garrulitatis vitium. Quapropter & Pythagoras ſolitus eſt juvenibus indicere ſilentium quinquenne: quod ille vocabat echemythiam, a continendo ſermone. Ceterum (a) fieri non poteſt, ut curioſitatem non comitetur maledicentia. Etenim quæ libenter audiunt, ea libenter effutiunt: & quæ ab aliis ſtudioſe colligunt, apud alios cum voluptate efferunt. *Lib. de Curioſitate, penes medium.*

Igitur ad hujus morbi depulſionem plurimum profuerit, ſi conſueſcamus exercere nos met ipſos, initio e longinquo fa-

(a) *Tit. Maledicentia curioſitati proxima.*

facto, atque hoc pacto discamus in hoc affectu temperare nobis. Quoniam enim ex assuetudine natum est incrementum morbi paullatim in pejus proficientis, eodem modo sumus pariter & de exercitatione temperantiæ disputaturi. Proinde sumamus initium ab his, quæ & celerrime fieri possunt, & maxime vulgaria sunt.... Et quemadmodum venatores non sinunt canem aberrare, & quemlibet odorem persequi; sed loris retrahunt revocantque, olfactum ejus servantes purum & integrum officio peculiari, ut acrius inhæreat vestigiis,

Naribus inquirens vestigia summa ferarum:

sic oportet & curiositatem ad quidvis spectandum audiendumve excurrentem atque oberrantem cohibere atque retrahere, quo servetur ad utilia. Etenim sicuti leones & aquilæ (a) dum ambulant, ungues vertunt introrsum ne aciem illorum & cuspidem deterant: sic existimantes curiositatem ad multarum cognitionem aciem quamdam & acumen habere, ne consumamus illud, nec hebetemus in rebus deterrimis. Secundo vero loco consuescamus, si quando præterimus fores alienas, non introspicere, nec in ea quæ sunt intus oculis irrumpamus, curiositate manus utente vice: sed illud Xenocratis in promtu sit, qui negavit quicquam referre, utrum pedes an oculos inferas in ædes alienas. Nec enim justum, nec honestum, ac ne jucundum quidem spectaculum est,

Hospes videre, turpe si quid intus est.

Lib. de Curiositate, paullo post medium.

Dulcis quædam est amaritudo, nec cohiberi potest curiositatis titillatio, velut ulcus se met ipsum cruentans dum fugitur. Ceterum qui sit hoc morbo liberatus, naturâque placidus, nec gnarus ullius mali, dicturus est:

O diva, quam sapis, malorum oblivio!

Quapropter & adversus hæc est consuetudo ducenda, ne redditam epistolam mox ac protinus solvamus, quemadmodum faciunt plerique: qui, si manus sint tardiores, dentibus epistolæ vincula dilacerant. Tum sicunde veniat nuntius, ne accurramus: nec surgamus loco, si quis amicus dixe-

(a) *Tit. Opificium Dei.*

xerit, habeo nonnihil novæ rei quod tibi dicam: immo potius ſi quid habes quod utilitatem ac fructum adferat. Quum ego quondam Romæ diſſererem, Ruſticus ille, quem poſt occidit Domitianus gloriæ illius invidens, me loquentem audiebat; atque interim ſatelles accedens Cæſaris epiſtolam illi reddidit. Atque orto ſilentio, meque ſermonem interrumpente quo poſſet epiſtolam legere, noluit: nec prius reſignavit, quam ego finiſſem orationem ac dimiſiſſem auditorium. Qua quidem in re, omnes viri gravitatem admirati ſunt. *Lib. de Curioſitate, prope finem.*

Ambitio, contraque honoris contemtus.

AMbitio, etſi ſpecioſior videri poteſt avaritiâ, & lucrifaciendi cupiditate, nihilo tamen minus mihi videtur pernicioſa reipublicæ: quippe cui major ineſt audacia, & quæ non dejectis neque ignavis innaſcitur animis: ſed novis, vigentibus, & juvenilibus. Accedit plerumque obſecundatio quædam, & favor populi: quo fit, ut extollantur magis & intumeſcant; nec contineri proinde poſſint, nec facile a quovis ſe tractari permittant. *In Politica, longe ante finem.*

Paucis vero interjectis, Plutarchus eos commendat, qui moderatis honoribus contenti fuerunt, his verbis. Cato referta jam urbe Roma ſignis & ſtatuis, ſuam ipſius ſiſti uſpiam non permiſit: malle (inquiens) cauſam cur ſibi non ſteterit ſtatua, quam cur ſtet requiri.... Honos vero Pittaco habitus, civile aliquid præ ſe fert. Juſſus enim quantum vellet ex eo agro ſibi acciperet, quem ipſe civibus vindicarat; quantum jaculum quod ipſe jaculatus erat pertranſiit, tantundem accepit. Publius vero Romanus tantundem agri ſibi quæſitum voluit, quantum ipſe qui claudus erat, uno die peragraſſet arando. Honos enim non rei præclare geſtæ merces eſſe debet, ſed ſignum permanendæ rei ad multum tempus, ut illi ſuperius memorati honores diu manſerunt. Ex tercentis autem ſtatuis Demetrio Phalereo honoris cauſa erectis, nullam ærugo attigit, nul-

nullam ſqualor ſordidavit, nullam vetuſtas attrivit: quippe quæ adhuc illo vivente, ſubverſæ omnes ſublatæque ſunt. Demadis item ſtatuas dejectas & obrutas, ac inde ad vaſcula quædam per contumeliam conflatas accepimus. Plerique alii hujuſcemodi honores in contumeliam verſi, moleſti odioſique habiti ſunt: nec per improbitatem tantum eorum quibus decreti fuerant; verum etiam vaſtitas & amplitudo immoderata, cur antiquarentur, cauſa exſtitit. Proinde fortiſsimus atque firmiſsimus honoribus cuſtos, modeſtia adhibenda eſt. Prægrandes enim honores, utpote ſuperbi & tumidi, æque ut corpora vaſtæ & immoderatæ proceritatis cito ſimul & facile corruunt. *Ibidem, paullo poſt.*

Alexander ſuo more (a) dum videret nuntium ſumma lætitia geſtientem, dexterâque protensâ accurrere: quid mihi (inquit) vir bone nuntiabis aliud, quam Homerum revixiſſe? Nihil videlicet ſibi deeſſe iis verbis conteſtatus, quam famam inſignem apud poſteros. *Lib. de Profectu morum, fere in fine.*

Honor.

VIrtutis elementa ſunt ſpes honoris, & formido pœnæ. Illa enim ad egregia honeſtatis opera promtiores efficit: hæc ad perpetranda viliſsima ſegniores reddit. *Lib. de Liber. educandis, prope finem.*

Hypocriſis.

EXtrema eſt perverſitas (ut ait Plato) quum prorſus juſtitia vaces; ad id tamen niti, ut vir bonus eſſe videaris. *Lib. Num philoſoph. inter pocula, paullo poſt medium.*

Elo-

(a) *Ambitio Alexandri.*

Eloquentia.

NOn rhetoricam ſuadendi opificem, ſed adjutricem eſſe debemus exiſtimare. Qua ratione illud eſt corrigendum Menandri : mores dicentis ſunt qui perſuadent ; non oratio. Re enim vera utrumque eſt quod rem efficit, mores nimirum atque oratio : niſi quiſquam dicere velit, navem a gubernatore dumtaxat dirigi, non a clavo quoque : & equitem eſſe qui equum in giros verſet, non etiam frenum : item civitatem quoque oratorum vita & moribus regi, non & oratione : nempe qua veluti gubernaculis ac freno utantur, quibus maxime verſatile animal (ut Plato inquit) tanquam e puppi regatur atque verſetur.... Homo certe privatus de veſte atque habitu populari civitatem regere, voluntatem populi prævalere, multitudinis moribus modum facere nunquam poterit, ni oratione & eloquentia præditus ſit, qua una ſuadeat, afficiat, flectat, ducatque multitudinem.... Lupum quidem ajunt auribus teneri non poſſe : populum autem inde maxime duci oportet. *In Politica, haud longe ab initio.*

Phocionis in dicendo brevitatem omnes admirabantur: quippe Polyeuctus Demoſthenem ajebat eſſe oratorem ampliſsimum ; Phocionem vero perſuadendo graviſsimum : breviſsima enim ejus dictione uberrimas ſententias contineri. Quam ob rem Demoſthenes ipſe ceteros non magni faciens, ſolitus dicere traditur, ut Phocionem ſurgere conſpexiſſet : verborum meorum gladius jam ſurgit. Maxime itaque adnitendum eſt, ut oratione non intervacua meditatus caute ad populum utare : quando etiam Pericles ille, prius quam orſus eſſet orationem, precari & vota facere conſueverat, ne verbum quidem ullum ſibi in mentem veniret, quod a rebus ipſis videri poſſet paullo alienius. *In Politica, paullo poſt.*

Ad hæc, ne pueri dicant extempore cavendum erit. Quod enim inconſulto ac temere dictum factumve ſit, id pulchrum eſſe nequit ; utque in proverbio eſt : difficilia, quæ honeſta ſunt. Impræmeditati quoque ſermones plurimâ le-

levitate incuriâque referti, neque unde ſumendum exordium, nec ubi terminandum facile conſpicantur. Præter alia delicta, quibus extemporarie dicendum eſt, hi ad immoderatam quamdam incidunt multiloquentiam. Conſiderata vero meditatio orationem e congruâ vagari menſurâ non ſinit. Periclem (ut accepimus) ad perorandum convocatum multoties a populo nequaquam audiviſſe conſtat, quod imparatum ſe eſſe diceret. Eodem modo & ejus in Repub. æmulator Demoſthenes, quum ad conſulendum arceſſeretur a populo, reſtitit. Non enim inſtructus ſum, ait.... At quum eloquendi vires radicem egerint, tunc ubi tempus advocaverit, orandi ubertatem impartire conveniet. Sicut enim qui longo tempore in vincula conjecti fuerint, ſi poſterius ſolvantur, ob diuturnam vinculorum conſuetudinem ambulare nequeunt, quin immo claudis incedunt pedibus: ita & qui ſermonem diutius aſtrinxerint, ſi quando loquendum extemplo fuerit, nihilo minus eumdem ſtilum interpretis obſervant. At ſi quis pueros extempore dicere ſinat, extremæ cauſam garrulitatis inſtituit. Miſer quidam pictor, quum ſuam Apelli oſtenderet imaginem, hanc modo pinxi, dixit. Cui Apelles: & ſi taceas, inquit, hanc ſubito depictam eſſe intelligo: demiror autem quonam pacto non plures hujuſmodi depinxeris. Et ut ad priorem materiam referatur oratio, ſicuti theatralem ac tragicam, ita & depreſſam & humilem dicendi orationem evitandam fugiendamque prorſus admoneo. Tumidum namque orationis genus, civile nequaquam eſt: tenue vero nuſquam movet. Quemadmodum enim corpus non ſolum incolume, verum etiam bonæ habitudinis eſſe oportet: ita & orationem non modo non ægram, ſed etiam robuſtam eſſe convenit. Nam quicquid tutum eſt, id ſolummodo collaudatur. Quod vero cum periculo fit, id etiam admiratione proſequimur. *Lib. de Liber. educand. paullo ante medium.*

Non ſolum vulgatum illud receptum eſſe videri debet, quod videlicet poëtica ſit pictura loquens, pictura vero poëtica tacens: ſed id quoque aſtruendum, quod pictam alicubi lacertam, ſimiam, aut Therſitæ faciem intuentes, voluptate capimur & admiratione; non quia appareant hæc eſ-

esse pulchra, sed quia recte expressa & similia. Nam ita res habet, ut non possit videri speciosum quod naturâ est fœdum: quamquam non minus interea imitatio laudatur, quæ rei similitudinem artificiose assequitur, sive illa sit pulchra, sive deformis. At contra nihil præstitisse videtur, qui corpori inepto & turpi imaginem formosam dederit; quod hoc sit aberrare a decoro & lineamentis. *Lib. de Audienda poëtica, haud longe ab initio.*

Studium scientiæ, discendi ardor.

CORporis labor (a) perinde ac in cella quadam reservandus est, ne fragiles leviterque cedentes, ad doctrinæ studia fatigati succumbamus. Hostes enim disciplinarum (ut a Platone dictum est) labores, atque somni. *Lib. de Liber. educand. paullo post medium.*

Super omnia, puerorum memoria exercenda consuescendaque: ea enim disciplinæ quasi quædam cella penaria est. Quam ob rem memoriam esse matrem musarum, traditur in fabulis. Quasi vero insinuent atque demonstrent, nullam a natura rem tantum gignere ac nutrire, quantum memoriam posse. *Ibid. haud longe post medium.*

Qua viâ ea quæ legimus, in multiplicem usum traducamus, Chrysippus apte ostendit. Oportet enim (ait) quod est ex usu, ex iis quæ confinia sunt & similem habent speciem, colligere. Veluti dum ait Hesiodus: bos equidem non amittitur, nisi quis improbum habeat vicinum: id sane de asello, cane, & omni eo quod ad hunc modum potest amitti, intelligas licebit.... Ergo quemadmodum idem pharmacum ad unum morbum fugandum efficax, dum vim illius discunt medici, ad omnes finitimos illud transferunt & accommodant: sic sententia communis, quæ vim suam in plura potest extendere, non est despicienda; sed dum uni negotio proprie congruit, ad similia nihilo minus traducenda est & proxime cognata. Estque in hac occupatione exercenda juventus, ut consuescat pro ingenii sui acri-

---

(a) *Tit. Labor immodicus.*

acrimonia, id quod eſt commune ex proprio traducere, idque compluribus experiri exemplis; ita ut in promtu illi fiat, celerrime hujus exercitii præſtare documenta: ut quum Menander ait:

Beatus eſt, opibus jungens induſtriam:

hoc exiſtiment non modo de divitiis dictum, ſed etiam de honore, principatu, & eloquentia. Stupendam præterea admirationem Ulyſsis, qua tangebatur dum Achillem inter puellarum gregem in Scyro eſſet conſpicatus:

Tuque o! generis extinguis clara lumina,
Dum penſa, natus optimi patris, trahis:

licebit in prodigum quoque retorquere, ſordida lucra captantem, deſidem, & negligentem diſciplinarum oſorem. Rurſus dum ait:

Ne dixeris: miror præclarum opum Deum,
Quarum facile vim magnam poſsidet malus.

Itaque nec gloriam dices, formam corporis inſignem, veſtem magnatum, aut ſacram etiam coronam: quod hæc omnia videamus etiam vaniſsimis contingere nebulonibus. Et quod ait:

Fœdos metus de ſe producit filios:

per Jovem ſic & petulantia, ſuperſtitio, invidia, & reliquæ item omnes hominum id genus peſtes. *Lib. de Audienda poëtica, prope finem.*

Excluſa omni dejectione animi & elatione, toti in hoc incumbamus (a) ut utilia dicta diſcere poſsimus, & animo complecti: veſtigia eorum, qui nos ingenioſe ceu tardiuſculos ridere ſolent, affectando: quemadmodum Cleanthem & Xenocratem factitaſſe legimus, qui condiſcipulis primo lentiores viſi, ſtudio non intermiſſo, laboreque irrequieto, tandem alios longo intervallo poſt ſe reliquerunt, imitati in ea re vaſa anguſti oris, & tabellas æreas; quæ ut liquorem & litteras difficilius accipiunt, ita fidelius ſervant & tenacius. *Lib. de Officio auditoris, prope finem.*

Sermo auditus ſeminis vice nobis ſit, unde in procli-vi ſit fetum concipere, qui brevi coaleſcat & prodeat in lucem. Neque enim ingenia deſiderant repletionem, veluti va-

(a) *Tit. Labor.*

vaſa : ſed accendi volunt ceu materia , quo vis inveniendi ſimul cum appetentia veritatis incitetur. Denique quemadmodum in civile eſt , ad vicinum proficiſci ignis accipiendi gratiâ, ibique invento luculentiſsimo foco deſidere , ædibus propriis neglectis : ita prorſus indecens eſt , ab alio ſermonem doctum audire , minimeque curare , ut domeſticus ignis , nempe vis ingenii accendatur. Quid vero prodeſt ſermonibus alienis animum oblectari , ſi nihilo te fias melior ? *Lib. de Officio auditoris , fere in fine.*

Veritas.

QUid eſt quod Saturno capite aperto immolant , *quum ceteris diis operto immoletur* ? ... An quia veritas occuli , obſcurarive non poteſt : veritatis autem parentem ac Deum Romani Saturnum habent ? Sed quid eſt quod Saturnum veritatis parentem ducunt ? An quod , ut plerique Philoſophi cenſent , Saturnum , tempus eſſe exiſtimant : veritas autem tempore invenitur ? *In Problem. Rom. haud longe ab initio.*

Conſuetudo.

MUliere improbâ facile careat quiſpiam , & in libertatem ſeſe vindicet, modo vir ſit , & non vile mancipium. Porro adverſus ſua ipſius mala nemo ſcribit repudii libellum. Neque enim fieri poteſt , ut dimittas atque ſedes ea mala , quæ occuparunt viſcera & intimas medullas , jamque ſimul a teneris coaluerunt & noctes & dies. Inflammant enim miſerum occultis viribus , effetæque tradunt ſenectuti. *Lib. de Virtute , & vitio , paullo poſt initium.*

Tempus.

QUid eſt, quod Romani Januarium principium anni faciunt? Antiquis enim temporibus Martius primus omnium numerabatur, quod cum multis ſignis perſpici poteſt, tum eo maxime quod quintum a Martio, & ſextum, & reliquos deinceps uſque ad extremum a Martio numerant.... Quidam dicunt, Martium a Romulo primum omnium fuiſſe numeratum: quod homo acer atque bellicoſus, atque adeo bellandi amore inſanus, Marte ſatum ſe exiſtimans, parentis ſui cognomen ceteris menſibus præponendum eſſe cenſuit. Numa Pompilius deinde, vir pacatus, & pacis atque otii ſtudioſus, quum civium animos a bello ad agriculturam traducere contendiſſet, Januario inter menſes principatum dedit; & Janum, quaſi civilem & agriculturæ magis quam rei belli ſtudioſum, ad ſummos honores cultumque provexit. Sed vide ne Numa Pompilius magis conſentaneum naturæ, quantum ad nos attinet, principium anni ſumſerit. Omnino enim eorum quæ in circulo circumferuntur, nihil eſt quod naturâ aut extremum ſit aut primum; ſed lege factum, ut alii aliud ſtatuant anni principium: optime vero, qui poſt hibernum tropicum, annum inchoant; quum ſol finem ulterius progrediendi faciat, rurſuſque ad nos ſe recipiat. Fit enim naturale quodam modo hujuſmodi principium, quo & lucis tempus nobis augetur, tenebrarum vero & noctis diminuitur: princeps denique & ſubſtantiæ fluxæ auctor propius accedit. *In Problem. Rom. haud longe poſt initium.*

Vita.

TYdide magnanime, *inquit Homerus*, quid genus percontaris? Cujuſmodi eſt foliorum genus, hujuſmodi & hominum. Foliorum alia quidem ventus decutit, alia pullulans fert ſilva, verno autem naſcuntur tempore: ſic virorum genus, hoc quidem naſcitur, hoc vero deſinit.

In

In oratione conſolatoria ad Apollon. paullo poſt initium.

Heſiodus Homero & exiſtimatione & tempore poſterior... Pandoram indicat dolium aperientem, per omnem terram ac mare malorum copiam diſperſiſſe, ſic dicens: at mulier manibus magnum auferens operculum ... hominibus curas ſuo conſilio præbuit pernicioſas: ſola vero Spes in ædibus infrangibilibus intra dolium ſub labris permanſit, nec foras evolavit: dolio enim prius oppoſuit operculum. Aſt alia innumera in homines exſilierunt mala: plena enim malis tellus, refertum mare; morbi autem hominibus quotidiani. Hi noctu ſponte accedunt, mala mortalibus tacite afferentes, quandoquidem vocem abſtulit conſultor Juppiter. *In eadem Oratione, poſt pauca.*

Mors.

QUid mirum ſi fiſsile fiſſum eſt? ſi quod liqueſcere poteſt, delicuit? ſi quod exuri poteſt, combuſtum eſt? ſi corruptibile, corruptum? Quando enim in nobis ipſis non eſt mors? Et (ut inquit Heraclitus) idem vivens & mortuus, vigilans & dormiens, novum & vetus: quæ enim cecidere, illa ſunt: & illa rurſus quæ cecidere, hæc. Nam ut ex eodem luto poteſt quiſpiam animalia fingens confundere: & rurſus fingere ac confundere; atque hoc viciſsim inceſſanter facere: ſic & natura ex eadem materiâ jam diu quidem noſtros edidit avos, & continuo poſt eos genuit parentes; mox nos, deinde alios ad alios circulari quodam modo producet: & hic naſcendi fluvius perpetuo fluens, nunquam quieſcet; & rurſus qui huic opponitur, moriendi; ſive Acheron a poëtis, ſive Cocytus appellatus.... Quo circa noſtrum hoc vivere, fatale quoddam debitum eſſe dicitur, utpote reddendum, a proavis noſtris mutuo acceptum, quod facile ac citra gemitum reſtituendum eſt, quum a quo accepimus exigitur. Hoc enim pacto videri gratiſsimi poterimus. Exiſtimo autem naturam ipſam, quum tantam vitæ brevitatem nullo ordine vidiſſet, ut mortis terminus lateret voluiſſe. Hoc

enim fuit melius. Nam ſi prævidiſſemus, nonnulli mœroribus contabuiſſent, & ante mortem deceſsiſſent. Adverte autem vitam ipſam, cum doloribus refertam, tum multis ſollicitudinibus exhauſtam, quas ſi recenſere vellemus, vehementer ipſam condemnaremus: & quæ apud quoſdam obtinuit, veram opinionem redderemus, quod ſcilicet longe ſit melius mori quam vivere. Itaque Simonides, hominum (inquit) modicæ quidem vires, inanes vero curæ: vitæque brevi labor ſupra laborem, & mors crudelis atque inevitabilis imminet. Illius enim æqualem ſortiti ſunt portionem, & boni & quicumque eſt malus. *In ead. Orat. conſ. paullo poſt.*

Socrates ſimilem eſſe mortem dicebat aut profundiſsimo ſomno, aut peregrinationi longæ ac diuturnæ, aut cuidam corporis atque animi interitui: proptereaque nihil mali eſſe in morte. Singula ſic percurrens oſtendebat. Si enim ſomnus eſt aliquis mors, & dormientibus nullum eſt malum, conſtat ne mortuis quidem ullum eſſe malum. Atque quod ſuaviſsimus ſit ſomnus profundiſsimus, quid opus eſt dicere? cunctis enim hoc exploratum eſt. Teſtatur & Homerus de ipſo ſomno dicens: profundus, dulciſsimus; morti aſsimilatus. Multis autem in locis & hæc dicit: ibi ſomno occurrerunt, mortis fratri: ſomno & morti gemellis, facie atque aſpectu, eorum ſimilitudinem indicans. Gemella enim maxime ſimilitudinem oſtendunt.... Oppido autem quam ſapienter Cynicus Diogenes ſomno deditus vitamque relicturus, excitanti ipſum medico, & num moleſtiæ quicquam ipſi ineſſet percontanti; nihil moleſtiæ mihi ineſt, reſpondit: fratrem enim frater prævenit, ſomnus videlicet mortem. Quod ſi peregrinationi aſſimiletur mors, ne ſic quidem malum eſt. Numquid autem e contrario bonum? nam corpori inſervire (a) atque ipſius affectibus degere, ex quibus avulſa mens mortalibus adimpletur nugis, felix ne quid, ac beatum? Immenſa namque nobis, inquit Plato, ob neceſſarium alimentum præbet negotia corpus... neque enim quicquam aliud præter bella & ſeditiones, pugnaſque corpus continet, & quæ

ab

(a) *Tit. Vita miſera.*

ab ipſo proveniunt cupiditates. Nam propter pecuniarum poſſeſsionem omnia excitantur bella: pecunias autem corporis cauſa cogimur comparare, hujus obſequiis inſervientes; & ex hoc nullum ob hæc omnia philoſophiæ otium datur. *Ibidem poſt pauca.*

Scitum eſt illud Archelai: hoc (inquit) quod malum dicitur mors, ſolum ex iis quæ putantur mala, præſens quidem neminem unquam dolore affecit; abſens vero atque exſpectatum, mœrorem affert. Nam proculdubio nonnulli propter imbecillitatem, & eam quæ morti infertur calumniam, ne moriantur, obeunt. Pulchre igitur Epicharmus: concretus (inquit) eſt ac diſcretus; & rurſus abiit unde venerat, terra quidem in terram, ſpiritus ad ſupera: quid horum grave, ac difficile? nihil. *Eod. loco paullo poſt.*

Inferorum regio.

AIt qui apud Platonem eſt Socrates: audi jam valde bonam orationem, quam tu quidem (ut puto) fabulam exiſtimabis; ego vero orationem. Vera namque tibi, quæ locuturus ſum, enarrabo. Partiti fuerant imperium Juppiter, Neptunus, & Pluto, poſt quam id a patre acceperunt. Erat igitur hæc de hominibus inter deos lex, & regnante Saturno ſemper, & adhuc eſt, ut hominum quicumque juſte ac ſancte vitam egiſſet, poſt mortem beatorum adiret inſulas: ibique procul a malis in omni habitaret felicitate. Qui vero inique atque impie, judicii ac ſupplicii carcerem, quem Tartarum appellant, peteret. Horum autem judices ſub Saturno, & nuper Jove imperium obtinente, viventes erant viventium, ea die judicantes qua erant morituri. Poſtea cauſæ quodam modo non recte judicabantur. Itaque Pluto, & qui ex beatis inſulis hæc curabant, ad Jovem profecti dicebant, indignos ad ſe homines utrobique accedere. Quibus Juppiter. Ego igitur, inquit, ne hoc fiat prohibebo. Nunc enim cauſæ (a) inique judicantur.... Multi autem (inquit ille)

(a) *Tit. Judex.*

ſceleſtas animas habentes, induti ſunt corpore pulchro, genereque, atque divitiis: & quum aderit judicium, accedunt ad eos quamplurimi, quod juſte vixerint teſtificaturi. Judices igitur ab his perterrefiunt, ſimul & ipſi induti judicant ſuas ipſorum animas, oculis & auribus ac toto adoperti corpore. Hæc itaque omnia ipſis obices ſunt, ſua ſcilicet ipſorum, & eorum qui judicantur indumenta. Primum autem cavendum eſt, ne ipſi proſpiciant mortem: nunc enim prænorunt: ſed Prometheo jam dictum eſt, ut hoc prohibeat. Poſtea hi omnes nudi judicandi. Defunctos enim opus eſt judicari; ipſumque judicem nudum eſſe decet: defunctum anima ipſa, animam ipſam (quum primum quis deceſſerit) contemplantem, omnibus cognatis deſtitutam, omneque illud ornamentum relinquentem, ut æquum ſit judicium. Ego igitur quum hæc prius quam vos cognoviſſem, filios meos judices creavi: duos quidem ex Aſia, Minoën & Rhadamanthum; unum vero Æacum ex Europa. Hi autem ut primum deceſſerint, in prato ad trivium judicabunt, ex quo viarum altera ad beatorum inſulas; altera ad Tartarum ducit. *In eadem Orat. fere in fine.*

Beatarum mentium regio.

SI veterum poëtarum ac philoſophorum (ut par eſt) verus eſt ſermo, eſſe videlicet piis Manibus honorem aliquem, ac præſeſsionem locumque illis deſtinatum in quo verſentur, non eſt tibi deſperandum, quin beatus filius tuus inter eos recenſeatur. Dicuntur autem hæc a ſuaviſſimo Pindaro de piis, qui ad inferos ſunt. Quibus utique, dum nocturnum hic eſt tempus, ſolis jubar ſplendet; roſariiſque puniceis conſita prata ipſorum ſunt ſuburbium, turiferis arboribus adumbratum aureiſque fructibus onuſtum; atque equeſtribus gymnaſiis hi, alii teſſeris, nonnulli tibiis oblectabuntur. Apud ipſos autem omnis florum pullulat opulentia, optabiliumque odor perpetuo per locum diffunditur, varias imponentium longe ſplendenti igni primitias in deorum aris. *In orat. conſol. ad Apollon. paullo ante fin.*

Ajunt

Ajunt philoſophi nonnulli, gloriæ eſſentiæque locum ſedem eſſe piorum, quibus ſplendet ſolis vigor: deinde noctem inferne in pratis roſeo colore purpurantibus, quibus intonſa vernant omnia, & procerarum arborum floribus amœnus conveſtitur campus; tum amnes quidam, fletus ignari ac lenes eum perfluunt. Ipſi tranſigunt jucunde tempus colloquiis, & commemoratione rerum præteritarum ac præſentium, arceſſentes ſeſe mutuo, & inter ſe conſuetudinem vitæ agitantes. Porro tertia via eorum eſt (a) qui impie vixerunt & injuſte, animas in obſcurum locum & barathrum quoddam præcipitans, unde immenſas ructant tenebras languida noctis obſcuræ flumina, quæ recipiunt & ignoratione atque oblivione tegunt eos qui puniuntur. Nec enim vultures ſemper arrodunt hepar ſontium in terra jacentium. Nam aut exuſtum eſt, aut computruit. Neque gravium quorumdam onerum geſtatio affligit, confícitque corpus eorum qui puniuntur. Neque enim jam carnes aut oſſa cohærent nervis. Nullæ ſunt corporis reliquiæ corporum vita defunctis, cruciatuum eorum capaces qui ſpeciem ſibi reſpondentem requirunt. Sed una profecto ratio puniendi eos qui male vixerunt: nempe obſcuritas & ignoratio, & modis omnibus abolitio, tollens in triſtem amnem, éque lethe, id eſt, oblivione præcipitans in abyſſum ac vaſtum pelagus; videlicet ignaviam & otium, quod ſuo fluctu ignorationem & obſcuritatem ſecum trahit. *Lib. An bene lateat vivens, in fine.*

Felicitas vera & falſa.

PLeriſque noſtrûm accidit illud Telemachi. Nam ille per imperitiam, vel potius ob ruſticitatem, quum Neſtoris domum videret inſtructam lectis, menſis, veſtibus, ſtragulis, vino ſuavi, non admiratus eſt eum rebus neceſſariis & utilibus abundantem: ceterum apud Menelaum conſpicatus ebur, aurum, & electrum, obſtupuit dixitque:

Talis adeſt aula hæc, qualis Jovis altitonantis:

(a) *Tit. Inferorum regio.*

Plurima dictu mira ſtupor me habet aſpicientem.

Porro Socrates, aut Diogenes dixiſſet: quam multa hic miſera, inuſitata, ſtulta! riſus me capit aſpicientem. Quid ais vir muliere deterior? quum debueris ſubmovere purpuram ac cultum, ut illa deſineret deliciarum rerumque peregrinarum amore laborare; tu contra exornas ædes, perinde quaſi theatrum aut ſcenam ingredientibus? Hujuſmodi felicitatem adferunt divitiæ, quæ ſit ſpectatorum ac teſtium, aut certe nulla. At temperatum eſſe, philoſophum eſſe, de diis ſcire quæ ſcitu ſunt neceſſaria, id ſemper idem eſt, etiam ſi univerſi neſciant mortales; ſed proprium jubar magnamque lucem habet in animo, & gaudium domeſticum parit, ipſo ſui ipſius fruente bono, ſive videat aliquis, ſive lateat omnes & deos & homines. Hujuſmodi quidem res eſt virtus, veritas Geometriæ & Aſtrologiæ: an convenit huic phaleras iſtas divitiarum, monilia, puellariaque conferre oſtentacula? Si nemo videat nec aſpi-
* ciat, vere cæcæ ſunt, & orbæ luce ſunt divitiæ. Siquidem dives, quum ſolus cœnat cum uxore ſeu familiaribus, non faceſsit negotium menſis convivalibus; neque poculis aureis, ſed utitur quibuslibet ac plebejis: adeſt uxor, nullo auro, nullâ purpurâ inſignis, ſed ſimplici cultu. Verum ubi jam cœna, hoc eſt pompa & ſpectaculum adornatur, fabulaque divitiarum inducitur; tum e navibus effert lebeteſque tripodeſque, ordine diſponuntur lucernæ, contrahuntur calices, mutant pocillatores, reveſtiunt omnia, omnia movent, argentum gemmis additum, palam ſe divites eſſe confitentes: ceterum abeſt alacritas, abeſt temperantia. *Lib. de Cupiditate divitiarum, in fine.*

* Veſtes confovere quidem videntur hominem; at *nihil* habent in ſe caloris, neque illum poſſunt corpori miniſtrare: quando ſuapte naturâ gratiſsima quæque veſtis mire friget, veluti experientia docet febri æſtuantes, dum ſubinde mutatis veſtibus quærunt refrigeria. Verum qua ratione ab amictu calefiamus, paucis accipe. Calor ipſe ex humano corpore effuſus, a veſte ſuperinjecta excipitur ac retinetur: mox in omnes diviſus partes, inque corpus quodam modo adactus, diſpergi & perire non ſinitur. Hæc

quum

quum ita ſe habeant in rebus humanis, falluntur longe qui magnas & ſumtuoſas ſibi circumdant domos, mancipiorum turbam, opeſque inexhauſtas congregant, hac ſola ſpe freti, ut vivant jucundius: quando dulcedo vitæ atque hilaritas haud quaquam in rebus externis ſita ſit; ſed potius ex domeſticis & ſuis, id eſt, ex propria animi virtute homo, veluti ex fonte, voluptatem ſibi comparat & gratiam, dicente poëta:

Eſt honorata domus magis hæc, ubi flamma relucet.

Opes enim plus habent voluptatis, gloria multo eſt illuſtrior & potentia item, ſi in animo ſolidum poſsideas gaudium: unde inopiam, exſilium, & ſenectam quoque ipſam leviter & placide ad patientiam morumque lenitatem traducere poſsis. Et quemadmodum aromata tritas etiam lacernas ſuavi replent odore: ... ſic cum virtute, victus omnis totaque vivendi ratio amœna eſt & perjucunda. Vitium vero etiam quæ ſplendida apparent & pretioſa, multumque honeſta contaminat, moleſta illa reddens, horrida, & abjecta ſuis poſſeſſoribus, adeo ut recte dictum ſit:

Quem vulgus in foro beatum prædicat,
Domum petens, eſt omnium miſerrimus.

Lib. de Virtute & vitio, in principio.

Jam abi & corrade aurum, comporta argentum, ambulacra conſtruito, ſervis domum, urbem debitoribus impleto: ſi non ſedaveris in animo turbatos affectus, & immodicum habendi amorem, téque metu inani curiſque exemeris; ita habeto: te febri laborantem vino fovere, bilioſo adhibere mel, cibos & obſonia præparare inteſtinorum difficultatem aut alvi fluxum patientibus: non modo nihil gratificans morbo affectis, aut ſanitati conſulens; ſed inſuper etiam præſentem afferens perniciem. Videas autem languentes odiſſe cibos, etiam ſelectos & pretioſos, dum offeruntur ipſis atque etiam ad ſumendum eoſdem urgentur: reſpuunt enim eos conſtanter & averſantur. Porro ubi primum reddita fuerit temperata habitudo, concitatus ſpiritus & anhelus ſedatur, ſanguis acidum mutat ſaporem, & calor naturalis ſuo conſiſtit loco. Tunc ſurgunt e lecto, & panem etiam cibarium ſimul cum caſeo

&

& naſturtio edentes, ſummopere exhilarantur. Talem profecto concinnitatem efficit in animo ipſa ratio, ubi didiceris, quid vere ſit bonum quidve honeſtum: mirum enim quam facile evaſeris frugalis, tuâque contentus ſorte. Jam fallor ſi paupertatem non ſis habiturus in deliciis, ibique regnum tuum conſtituas, vitam illam popularem nullius opibus invidentem, minuſque curioſam pluris etiam faciens principum imperiis. Itaque ſapientiæ incumbens ſtudio, vitam vives multo omnium dulciſsimam, etiam atque etiam te ipſo in dies evadens melior atque hilarior. Nunc dulcedine ſua te capient opes, quo in multos poſsis eſſe beneficus: modo paupertas erit jucunda, vitam tribuens curis ſolutam, planeque liberam. Eſt, quando gloria titillabit animum, ut perſpectum habeas, virtuti ſua non deeſſe præmia. Quod ſi honor meritis (veluti fere fit in tanta rerum confuſione) non contingat, maximo carebis malo, quippe invidiâ. *Lib. de Virtute, & vitio, in fine.*

Mixtus ex diverſis ſententiis locus.

GEneratim autem liberos noſtros flagitioſorum hominum conſortio ſegregare decebit: eorum enim malignitatem reportant. Hæc & Pythagoras obſcuris quibuſdam præcepit ſermonibus, quos hoc in loco poſitos explanabo, quoniam ad conquirendam virtutem non minimum videntur afferre momentum: quale illud: quæ nigrantes habent caudas, guſtari non oportere; hoc eſt, cum hominibus conſuetudinem non eſſe habendam, quos morum depravatio ipſa denigrat. Jugum, ſtateramque non tranſcendere: id eſt, plurimi facere juſtitiam oportere, nec eam ullo modo tranſcendere. Nec in otio inſidere: hoc eſt, fugiendum eſſe otium, providendumque ut neceſſariam præparemus alimoniam. Haud injiciendam unicuique dexteram: id eſt, non promte aut inconſulto conciliari oportere. Anguſtum ne geſtabis annulum: quoniam ita vitam, ut eam non vinculo diſtringas, exercere debebis. Ignem ferro cædi minime debere: hoc eſt, irritandum

non

non esse furentem : haud enim convenit ; quin potius quum intumescit , iræ cedendum. Cor neque manducabis : quid aliud insinuat , quam ne animum offendas sollicitudinibus, eumve curis conficias ? Abstinendum a fabis : quod videlicet in re civili versari non oporteat. Fabis enim priscorum suffragia ferebantur : quæ finem principatus attulerunt. Cibos in scaphio non esse ponendos : significat autem, in improbum animum urbanos immitti non oportere sermones , aut ulla virtutis studia. Cogitationis namque cibus est cum ratione studium , ac sermo frugi : quem impurum ac sordidum humana reddit improbitas. Haud retro verti ad contermina proficiscentes : id est , quibus moriendum est, quum proximum vitæ terminum intueantur , facile ferant , nec mœrore deprimantur. *De liberis educandis , prope finem.*

EXPLICIT SECUNDUS TOMUS.

TER-

TERTIUS TOMUS

COLLECTANEORUM MORALIS PHILOSOPHIÆ,

QUI SELECTISSIMA APOPHTHEGMATA AD RECTAM VITÆ INSTITUTIONEM CONDUCENTIA CONTINET,

EX CLARISSIMIS AUCTORIBUS QUI HAC DE RE SCRIPSERUNT COLLECTA,

ET IN LOCOS COMMUNES DIGESTA.

PRIMA CLASSIS

quæ a Deo optimo maximo incipiens, diverſorum ſtatuum perſonas complectitur.

DEUS.

Imonides interrogatus olim ab Hierone tyranno, quidnam eſſet Deus? deliberandi ſibi unum diem poſtulavit. Quumque idem ex eo poſtridie quæreretur, biduum petiit. Ac quum ita ſæpius quærenti duplicaret numerum, admiratuſque Hiero tyrannus qui rogaverat, efflagitaret cur ita faceret? quia (inquit) quanto diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior. *Cicer. lib.* 1. *de Nat. deorum.*

Socrates dicebat, deos omnium optimos ac feliciſsimos. Ad horum ſimilitudinem quo quiſque propius accederet, hoc & meliorem eſſe & beatiorem. Si corrigas unius vocis numerum, nihil dici poteſt Chriſtianius. *Rot. lib.* 3. *Apoph.*

Eu-

Euclides (a) a quodam interrogatus, quales eſſent dii? cetera quidem ignoro, reſpondit: at curioſos illi odio eſſe certo ſcio. *Max. ſerm.* 21.

Evagrius quum longa orationis ſerie audiviſſet de Deo atque Trinitate diſputantes, divinitatem nequaquam eſſe definiendam reſpondit. Omnes enim alias propoſitiones habere genus quod prædicetur, aut ſpeciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compoſitam orationem: ſed nihil in ſancta Trinitate horum quæ dicta ſunt, poſſe comprehendi. Ideoque quod ineffabile eſt, ſilentii tantum oratione eſſe adorandum. *Socrates lib. Tripart. hiſt. cap.* 21.

Attalus inſignis Chriſti martyr, a tyranno per contemtum interrogatus, quod nomen Deus haberet? qui plures ſunt (reſpondit) nominibus diſcernuntur: qui autem unus eſt, non indiget nomine. *Euſebius lib. 6. Eccleſ. hiſt. cap.* 3.

Thales Mileſius interrogatus olim, quidnam in tota rerum natura eſſet vetuſtiſsimum? reſpondit: Deus. Cur ita? quia nunquam eſſe cœpit. *Eraſ. lib.* 7. *Apoph.*

Quum Pompejo res infeliciter cederent, & ad Cæſarem inclinaret victoria, Cato dicebat: (b) in rebus divinis multum eſſe caliginis; quod Pompejo præter jus agenti fuiſſent omnia proſpera; cauſam Reipub. tuenti nihil ſuccederet. *Plut. in Catone.*

Dei providentia.

LIbanis ſophiſta, ſummus Juliani apoſtatæ fautor, quum interrogaſſet Antiochiæ ludi magiſtrum quemdam, virum bonum atque pium; quid nunc fabri filius (Chriſtum per contumeliam intelligens) ageret? reſpondit: non otiatur (o ſophiſta) quem fabri filium appellas; parat enim Juliano loculum. Intellexit autem vir optimus, Julianum ob inſignem impietatem & crudelitatem, non diu ſuperſtitem fore, & divinam ultionem præ foribus eſſe: paucos

(a) *Tit. Curioſitas.* (b) *Tit. Judicia Dei.*

cos enim poſt dies Julianus eſt interfectus. *Tripart. hiſt. lib. 6. cap.* 44.

Philoſophus quidam interrogatus, reſpondit: quod eſt in triremi gubernator, in curru rector, præcantator in choris, dux in urbe, imperator in exercitu, hoc eſt in mundo Deus. *Apulejus de Mundo.*

Thales Mileſius, qui ſapientiſsimus inter ſeptem fuit, dicebat: homines exiſtimare oportere, deos omnia cernere, deorumque omnia eſſe plena; & ita fore omnes caſtiores, ſi Deo teſte & ſpectatore ſe omnia agere crederent. Omnem virtutis philoſophiam hoc uno verbo vir ſapiens complexus eſt. *Cicer. lib.* 3. *de Legibus.*

Idem rogatus, num lateret deos homo injuſte agens, reſpondit: ne cogitans quidem. Significans Deo nihil omnino eſſe occultum. At vulgus putat, quæ corde volvunt, latere Deum. *Laërt. lib.* 1.

Athenodorus philoſophus dicere prudenter ſolebat: ita cum hominibus homines vivere debere, ac ſi Deus retributor bonorum, malorumque ultor, omni loco ac tempore actiones noſtras intueretur, conſpiceretur que humanis noſtris oculis. *Fulgoſ. lib. 7. cap.* 2.

Philo cum aliis Judæis apud C. Caligulam accuſatus ab Appione, quod Cæſari divinos honores non tribueret, ejectus ex aula, ſociis Judæis reſpondit: bono animo nos eſſe oportet (a) quibus iratus eſt Cajus: quia neceſſe eſt adeſſe divinum ubi humanum ceſſat auxilium. *Euſ. lib.* 2. *Eccleſ. hiſt. cap.* 5.

Opificium Dei.

ANtonius juſtus cognomento, profeſsione monachus, a philoſopho interrogatus, qua ratione in vita monaſtica perdurare poſſet, quum ea conſolatione quæ ex libris percipitur careret, reſpondit: liber meus, o philoſophe, natura rerum creatarum eſt. In eis enim, quum mihi viſum eſt, oracula Dei ſubinde contemplor. *Niceph. Calliſt lib.* 11. *cap.* 43. *Eccleſ. hiſt.*

Tha-

(a) *Tit. Adverſitas.*

Thales Mileſius olim interrogatus, quid omnium eſſet pulcherrimum? reſpondit: Mundus. Eſt enim opus Dei, quo nihil pulchrius eſt. *Ex Laërt. lib.* 1.

Chriſtus.

EX his qui cum Phocione erant morituri, quidam indignans complorabat ſortem ſuam. Quem ita conſolatus eſt Phocion: non tibi (inquit) Euhippe, ſatis eſt cum Phocione mori? Phocion non tantum innocens, verum etiam præclare de Rep. meritus, ducebatur ad mortem. Magnum itaque ſolatium oportebat eſſe, cum Phocione innocente mori innocentem. *Plut. in Græcor. apoph.*

„ Quod ſi magnum eſſe mortis ſolatium putatur cum „ Phocione mori, quid ergo cum Chriſto pati, & con- „ tumeliis affici? & paupertatem ceteraque hujus vitæ in- „ commoda perpeti, quæ innocentiſsimus ille agnus, atque „ adeo rerum omnium dominus, noſtri cauſa perpeſſus eſt? „

Sanctus.

DIogenes Cynicus taxabat hominum vulgus, quod bonos viros hoc nomine laudarent, quia pecunias contemnerent: nec interim imitarentur quos laudibus vehementer extollerent: ſed pecunioſos magis ſequerentur, quos vituperabant. *Diogenes Laërt. lib. 6.*

„ Hoc in eos quadrat, qui quum ſanctorum virtutes „ miris laudibus efferant, vitia tamen perditorum homi- „ num ſectantur. „

Alphonſus Aragonum rex potentiſsimus, in expugnatione Cajetæ, quum aliquando defeciſſent ad tormenta ænea portentoſæ amplitudinis ſaxa, nec aliunde habere facilius poſſent, quam ex villâ quæ ab incolis inveteratâ opinione adhuc aſſeritur Ciceronis fuiſſe; ut aliunde diſquirerent iſtiuſmodi ſaxa rex juſsit: Ciceronis vero (cujus admiraretur in dicendo lacteam eloquentiam) villam, ſi ſaperent,

rent, inviolatam ſervarent. Malle enim ſe tormenta & machinas amittere, quam injuriâ afficere ſaxa tanti illius viri, qui tot tantoſque homines ab injuriâ & capitis periculo vindicaſſet ſuo patrocinio. *Panorm. lib.* 1. *de reb. geſt. Alph.*

„ Hoc exemplum ad venerationem ſanctorum & reli-
„ quiarum ipſorum accommodari maxime poteſt. Si enim
„ poſt tam longa annorum ſpatia, tanti fecit rex ſapien-
„ tiſsimus rudia villæ illius ſaxa, quæ Ciceronem educa-
„ verant in dicendo clariſsimum: quid illi merebuntur,
„ qui non tam linguâ, quam vitâ clariſsimi fuerunt, &
„ modo in æternum regnant cum Chriſto? „

Homo.

INterrogatus olim Solon Salaminius, quid eſſet homo? reſpondit: putredo eſt in exortu, bulla in omni vita, eſca vermium in morte. *Guido Bituri.*

Diogenes quoties conſiderabat in hominum vitâ civitatum gubernatores, medicos, aut philoſophos; nullum animal dicebat eſſe homine ſapientius. Idem contemplans ſomniorum interpretes, conjectores, divinos, & hujus generis ceteros, aut qui gloriæ divitiiſque ſervirent, ajebat: ſibi nihil homine videri ſtultius. Indicans hominis ingenium ad res optimas accommodum, ſi exerceatur: ſin ad vitia degeneret, longe eſſe infra multas pecudes. *Laërt. lib. 6.*

Diogenes (a) quodam tempore lucernam accenſam geſtans obambulabat in foro, clariſsima luce, quærenti ſimilis. Rogatus quid ageret? hominem, inquit, quæro. Notans publicos civitatis mores vix homine dignos. *Ibidem.*

Idem (b) eos qui in coquos, adulatores, & ſcorta facultates ſuas profunderent, ſimiles dicebat arboribus per præcipitia naſcentibus: quarum fructus nullus hominum guſtaret, ſed a corvis & vulturibus ederentur. Quo dictu innuit eos nequaquam eſſe homines, qui ventri & gulæ ſerviunt. *Laërt. lib. 6.*

So-

(a) *Tit. Vulgus.* (b) *Tit. Luxus.*

Socrates interrogatus, quo modo quis ſine moleſtiâ vitam ageret? negavit ullo modo id fieri poſſe. Non enim licet, inquit, cum hominibus converſanti. Ab homine quippe homini (ut ait Seneca) quotidianum periculum eſt. Unde non temere a veteribus dictum eſt: homo homini dæmon. *Stob. ſerm. 97.*

Idem dicebat ſe putare, quod dii ſemper rideant vanas hominum curas, & ſtudia, & inexplebilem undique congerendi cupiditatem; perinde atque ſe perpetuo victuros putarent: quum tamen mox hinc nobis migrandum ſit, omnibus relictis. *Stob. ſerm. 96.*

Ariſtoteles interrogatus, quidnam eſſet homo? reſpondit: imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina: reliquum vero pituita, & bilis. *Stob. ſerm. 96.*

Alexander dum in obſidione cujuſdam urbis, infirmiſſima mœnium quærit, ſagittâ graviter ictus eſt; nec tamen ab inſtituto deſtitit. Sed mox quum repreſſo ſanguine ſicci vulneris dolor creſceret, & crus equo ſuſpenſum paullatim obtorpuiſſet, coactus quod cœperat omittere, ac chirurgum arceſſere: omnes (inquit) me prædicant Jovis eſſe filium; ſed vulnus hoc hominem me eſſe clamat. *Plut. in vita ejuſdem.*

Silenus ſenex, a Mida captus, rogatus eſt, quid eſſet homini optimum? diu ſilentium tenuit. Tandem adactus dicere, reſpondit: optimum eſſe nunquam naſci: proximum, quam ociſsime aboleri, atque hoc pretio dimiſſus eſt. Hujus dicti præter alios meminit *Ovid. lib.* 11. *Metamorph.*

Architas dicebat: quemadmodum ſi ſummam diligentiam adhibeas, tamen piſcem ſine ſpinis non invenies: ſic nec hominem inveniri poſſe, qui non doloſum ſpinoſumque quiddam habeat admixtum. *Ælian. lib.* 10. *de varia hiſtor.*

Solon legum Atticarum conditor, dicere ſolebat: urbes atque oppida nihil aliud eſſe, quam humanarum ærumnarum domicilia, quibus luctus, mœrores, triſtitiæ mortalium, quaſi ſeptis includuntur. *Beroald. de terræ motu.*

Mulier.

PHiloxenus poëta interrogatus, quam ob cauſam in tragœdiis induceret mulieres malas, quum Sophocles eas induceret bonas? argutiſsime reſpondit: quoniam ille (inquit) tales inducit, quales eſſe deberent; ego vero, quales ſunt. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Secundus ille ſapiens interrogatus, quid eſſet mulier? reſpondit: viri naufragium, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumtuoſum bellum, bellua conviva, ſollicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum neceſſarium. *Maxim. ſerm.* 39.

Antipater conſtitutus ab Alexandro Macedoniæ præfectus, quum ad Alexandrum ſcripſiſſet Olympiadis matris ineptias, atque importunitates; commotus Alexander ait: gravem penſionem pro decem menſibus, quibus in utero ejus fuiſſet, matrem a ſe exigere. *Bruſo. lib.* 4. *cap.* 1.

Cato objurgans aliquando mulierum impotentiam: omnes (inquit) homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores. Hoc modo colligens, mulieres rerum omnium eſſe dominas. *Plut. in Rom. Apoph.*

Ariſtippus mulierem parvam, ſed pulchram conſpicatus: parvum (inquit) pulchrum; magnum autem malum. *Anton. in Meliſ. part.* 2. *ſerm.* 33.

Quum Democritum quidam percontaretur, cur quum magnus eſſet, parvam duxiſſet uxorem? ego (inquit) in malo eligendo, quod minimum erat elegi. *Idem ibid.*

Anima.

ALphonſus Aragonum rex, maximum argumentum immortalitatis ſibi videri dicebat, quod corpus in hac vita decreſcere, ac omnia membra ſuos quaſi fines & terminos habere videret: animos vero, quanto ad annos ac-

accederent, tanto magis intelligentiâ, virtute, & ſapientia creſcere. *Panorm. lib. 4. de Alphon. reb. geſt.*

In Auſtria quum obiiſſet unus ex primoribus, annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebraſque nullâ unquam valetudine offenſam duxiſſet; ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœſtitia fuiſſet, idque Friderico Cæſari narraretur: & hinc (inquit ille) immortales animas cenſere licet. Namque ſi Deus eſt, qui hunc mundum gubernat (ut Philoſophi & Theologi docent) eumque juſtum eſſe nemo negat: profecto alia loca ſunt, ad quæ poſt mortem animæ migrant; ibique pro factis mercedem, aut pœnam accipiunt. Nam hic nec bonis ſua præmia, nec malis ſua ſupplicia reddi videmus. *Æneas Sylv.*

Alexandro mortuo, quum Anaxarchus tempeſtate eſſet delatus in Cyprum, Nicocreon memor contumeliæ, philoſophum arreptum in mortarium conjecit, ac ferreis piſtillis contundi juſsit. Hic illam vulgo celebratam vocem emiſit: tunde Anaxarchi manticam; nam Anaxarchum non percutis. *Laërt. lib. 9. cap.* 10.

„ Qua quidem voce præcipuam hominis dignitatem in „ anima poſuit; corpori vix aliud, quam quod operimen- „ tum ac veluti receptaculum eſſet, tribuens. Quæ quidem „ ſententia eos vehementer coarguit, qui animæ curâ prorſus „ neglectâ, omne ſtudium ſuum ad corporis commoditatem „ & voluptatem transferunt. Quemadmodum enim quidam „ ita vivunt, ut nullum numen eſſe credant: ſic nonnulli „ ita ſeſe gerunt, ut vel ſe animas non habere, vel eas „ cum corporibus ſimul interire arbitrentur: adeo ſeſe to- „ tos curandis corporibus addixerunt. „

Cyrus major moriens apud Xenophontem, ita ait: nolite arbitrari, o mihi cariſsimi filii, me quum a vobis diſceſſero, nuſquam aut nullum fore. Nec enim dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex iis rebus quas gerebam, intelligebatis. Eumdem eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. *Cato Major, apud Cicer.*

Liberum arbitrium.

DEmocritus Mileſius dicere ſolebat: ſi corpus animum in jus vocaret, haud quaquam futurum, ut ille muneris male adminiſtrati crimen effugeret. Animus in corpore velut in præſidio collocatus eſt: & tamen pleraque mala corpori ab animo veniunt, quæ is tamen arbitrii poteſtate vitare poſſet.

Affectus.

QUalis cujuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem Socrates differebat. Qualis autem homo ipſe eſſet, talem eſſe ejus orationem. Orationi autem facta ſimillima: factis vitam. *Cicer. 5. Tuſcul.*

Pueritia, & adoleſcentia.

SOcrates percontatus, quænam eſſet potiſsima juvenum virtus? ut (inquit) ne quid nimium tentent. Calor enim ætatis vix ſinit illos ſervare modum. *Laërt. in vita Socratis, lib. 2. cap. 4.*

Senectus.

LAcon quidam ſenex percontatus, cur barbam geſtaret tam prolixam? ut (inquit) eam intuens, virum me eſſe ſciam: & canos intuens capillos, nihil committam illis indignum. *Plut. in Laconicis.*

Solon, quum quidam ex eo quæreret, quid ſenectutem eſſe putaret? reſpondit: vitæ hiemem. *Stob.*

Diogenes percontanti, quid eſſet in vita miſerrimum? ſenex, inquit, egenus. Siquidem ubi naturæ præſidia deſtituunt hominem, extraneis rebus fulcienda eſt ætatis imbecillitas. *Bruſ. lib. 6. cap. 7.*

Ca-

Cato ſenior, quum ſenectuti adſint multa probra, dicebat: non eſſe addendum malitiæ dedecus: ſentiens ſenectutem multis nominibus vulgo male audire; veluti quum audit deformis, edentula, luſcioſa, imbecillis, oblivioſa, indocilis. Hæc ferre ſatis eſt: ut non accedat crimen improbæ vitæ, quod omnibus quidem fœdum; ſed ſeni fœdiſsimum eſt. *Plut. in Roman. Apoph.*

Cæſare conſulatum aſſecuto, adjuvantibus Pompejo & Craſſo, quum omnia pro libidine gererentur, ac pauci ſenatores in curiam conveniſſent; Conſidius quidam natu prægrandis, idcirco non veniſſe ſenatores dicebat, quoniam illius arma militeſque pertimeſcerent. Cui Cæſar: quin tu (inquit) hoc quoque reformidans, domi te non contines? At Conſidius: ſenectus (inquit) me facit intrepidum. Quum enim vitæ pauxillum ſuperſit, non eſt cur magnopere ſim ſollicitus. *Bruſ. lib. 2. cap. 1.*

Diogenes interrogatus, quid eſſet ſenecta? reſpondit: vita brumalis, tempeſtatibus obnoxia. *Stobæus.*

Alexis poëta, cuidam videnti ipſum jam ſenio feſſum ægre lenteque incedere, ac roganti quid ageret? paullatim, inquit, morior. Significans ſenes non vivere; ſed lente mori. *Eraſ. lib. 9. Apoph.*

Senex in Olympiis cupidus erat ſpectandi certaminis, quod agebatur. Sed quum nulla vacaret ſedes, ad varia loca ſeſe conferens ludibrio erat, ac ſcommatis petebatur, quod nullus eum exciperet. Ut vero pervenit ad Lacedæmonios, ibi (a) non ſolum pueri omnes aſſurrexerunt, verum etiam viri multi ceſſerunt illi locum. Id factum quum ceteri Græci, quotquot aderant, plauſu comprobaſſent, patriumque morem ſupra modum collaudaſſent; ſenex

Concutiens canaſque genas, & tempora cana,

ac fuſis lacrimis: heu miſeriam! inquit: omnes Græci norunt quid ſit honeſtum; ſed eo ſoli utuntur Lacedæmonii. *Eraſ. ex Plut. in Lacon.*

Lacon (b) quum in peregrinatione vidiſſet homines in ſellis curulibus ſedentes: abſit (inquit) ut in talibus ſedeam ſellis, unde non liceat aſſurgere ſeniori. In his enim

(a) *Tit. Obſervantia.* (b) *Tit. Obſervantia.*

ſedebant delicati, porrectis cruribus, ac cælum imminens capiti prohibebat exſurgere. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Piſiſtrato tyranno a Solone quærenti, qua tandem ſpe fretus, ſibi tam audacter reſiſteret? reſpondit: ſenectute. *Cicer. in Catone Majore.*

Vir & Uxor.

PYttacus Mitylenæus interrogatus a quodam, qualem uxorem ducere deberet? reſpondit: æqualem tibi ducito: ipſe enim quum domi haberet opulentiorem, habebat etiam moroſam & imperioſam. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 5.

Chilonis dicterium eſt: uxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro conjuge dominam arceſſas domum. Sat enim dotata venit puella, quæ pudicitiam & honeſtos mores ſecum adfert. Proinde hoc erat unicum ex Laconicis inſtitutis, ut virgines ſine dote nuptum irent. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 4.

Democritus interrogatus (a) cur homo proceræ ſtaturæ tam parvam duxiſſet uxorem? ego, inquit, in malo eligendo, quod minimum erat elegi. *Anton. in Meliſ. part.* 2. *ſerm.* 34.

Idem dicebat, eum qui bonum generum nactus ſit, inveniſſe filium: qui vero malum, ſimul & filiam perdidiſſe. *Stob. ſerm.* 68.

Aureolus philoſophus rogatus, pauper ne an dives uxor ducenda eſſet? pauperem, ait, alere difficile eſt: divitem vero ferre, tormentum. *Bruſ. lib.* 7. *cap.* 22.

Lycurgus cuidam percontanti, quam ob cauſam lege caviſſet, ut ſine dote virgines elocarentur? ut (inquit) nec propter inopiam illæ relinquerentur innuptæ, nec ob divitias expeterentur: ſed ut juvenum quiſque ad puellæ mores reſpiciens, ex virtute faceret electionem. *Plut. in Apoph. Lac.*

Themiſtoclem unicæ filiæ pater conſulebat, utrum eam pauperi ſed ornato, an locupleti ſed parum probato collocaret? Malo (inquit Themiſtocles) virum pecuniâ, quam pe-

(a) *Tit. Mulier.*

pecuniam viro indigentem. *Valer. Max. lib. 7. cap. 2.*

Olympias quum accepiſſet, adoleſcentem quemdam aulicum duxiſſe uxorem eleganti quidem forma, ſed famæ parum ſecundæ: ille (inquit) non ſapit, qui uxorem oculis, non etiam auribus duxerit. Forma cernitur oculis, fama auribus deprehenditur. Quidam autem nec auribus, nec oculis, ſed digitis ducunt; ſolam ſpectantes dotem. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Aurelia Joviani Pontani filia natu major, amiſſo Paullo marito, quum a patre ad ſecundas nuptias hortaretur: quin tu (inquit) pater nuptias ſecundas non inis? (erat enim is etiam viduus) Quia (reſpondit) nullam matri tuæ ſimilem me reperturum confido. Eadem cura (reſpondit illa) me quoque verſat pater, quod mihi placiturum Paullo æque ſimilem ſperem neminem. *Hadrianus Barlandus.*

Metellus Numidicus dicebat: ſi ſine uxoribus poſſemus eſſe, omnes eâ moleſtiâ careremus: ſed quoniam ita natura tradit, ut nec cum his ſatis commode, nec ſine his ullo modo vivi poſsit; ſaluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati conſulendum eſt. *Bruſ. lib. 7. cap. 22.*

Socrates ſe conſulentibus de ratione matrimonii contrahendi, dixit: quemadmodum piſces, o adoleſcentuli, qui nondum intra naſſas ſunt, volunt intrare; qui autem jam intus ſunt, volunt exire: ſic & vos, ne idem vobis accidat, videte. *Anton. in Meliſ. part. 2. ſerm. 34.*

Solon quum ad Thaletem Miletum veniſſet, admiratus dicitur, quod nuptias, filiorumque procreationem contemſiſſet; Thaletem vero tacuiſſe. Interjectis autem diebus aliquot peregrinum ſubornaſſe, qui decimo poſt diſceſſum die Athenis veniſſe fateretur. Hic rogatus a Solone, num quid novi Athenis eſſet? edoctus ille a Thalete: nihil aliud (inquit) præter quam quod adoleſcentis cujuſdam eferebatur funus, civitate omni ſubſequente, quod ejus pater virtute & admiratione inter cives primas obtineret, quem tum abeſſe dixiſſent. O illum miſerum! Solon ait. Sciſcitanti vero de nomine, reſpondit, excidiſſe memoria: ſed ob juſtitiam illius in omnium ore verſatum. His Solon in metum conjectus eſt. Poſtremo nomen peregrino ſubje-

cit , ab eøque contendit , num illi Soloni nomen eſſet ? Annuente homine , Solon caput cædere cœpit , filium ſuum obiiſſe ratus. Tum Thales ridens ait : hæc me , Solon , a nuptiis & procreandis liberis dehortantur , quæ te hominem fortiſsimum infringunt : & tunc rem fictam eſſe oſtendit. *Bruſ. lib.* 7. *cap.* 22.

Phoroneus legumlator , moriens fratri dixiſſe fertur : ad ſummam felicitatem nihil mihi defuiſſet , ſi uxor defuiſſet. *Bruſ. lib.* 7. *cap.* 22.

Socrates percontanti , cur Xantippem moribus incompoſitis fœminam haberet domi , dicebat : ſic habendam conſuetudinem cum moroſis uxoribus , (a) quemadmodum qui ſe ad ſtudium equeſtre exercent : parant enim equos ingenii ferocioris , quos ſi ſubegerint ac perpeti poſsint , ceteris utuntur commodius. Ita qui moroſæ conjugis mores ferre didicerit , multo facilius cum quibuslibet habebit conſuetudinem. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 5.

Alphonſus Aragonum rex dicere ſolebat , ita demum matrimonium tranquille , citraque querimonias exigi poſſe , ſi maritus ſurdus fiat , uxor cæca : innuens opinor , femineum genus obnoxium eſſe zelotypiæ : atque hinc oriri rixas & querimonias. Rurſum maritis permoleſtam eſſe uxorum garrulitatem : qua moleſtia cariturus eſt , ſi fiat ſurdus. Nec ulla vexabitur adulterii ſuſpicione , ſi careat oculis. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Annia , quum ab amicis adhortaretur , ut poſt defunctum priorem maritum alteri nuberet , quum ætas eſſet & integra , & forma præſtantiſsima adhuc (quorum alterum præberet ſpem prolis , alterum promitteret amorem mutuum) : nullo (inquit) pacto hoc factura ſum : ſi enim bono viro nupſero , nolo poſthac timere ne amittam ; ſin vero malo , quæ me caperet dementia , ut poſt optimum , talem admitterem ? *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Livia Auguſti Cæſaris uxor interrogata , quibus rationibus Auguſtum ſibi ſubjeciſſet ? reſpondit : multâ modeſtiâ : quod ea , quæ placerent Auguſto , faceret libenter : quodque ſe ſcire diſsimularet , quibus ille rebus venereis domi frueretur. *Dionyſ. in Tiberio.*

Quum

(a) *Tit. Conſuetudo , ſive Exercitatio.*

Quum adoleſcens quidam Socratem interrogaret, an ducere uxorem nec ne deberet? breviter reſpondit: utrumvis feceris, pœnitebit: ſentiens, & in matrimonio, & in cœlibatu ſua eſſe incommoda, quæ ad pœnitendum inducant.

Canna † Synorito Galatæ nupſerat. Eam Synorix juvenis præpotens adamabat: & clam interfecto Synorito, de nuptiis Cannam ſollicitare cœpit. Illa quo conjugis mortem ulciſceretur, diſſimulavit dolorem, & conjugii ſpem præbuit. Tandem Synorigem ad ſe venire jubet in templum Dianæ cui erat dicata, quaſi vellet hanc eſſe conjugii teſtem: & aſtans altari ceu deæ libatura, e poculo bibit toxicum; moxque tradidit Synorigi. Qui ſimul atque reliquum ebibiſſet, venerata deam: te (inquit) dearum præſtantiſsima teſtor, me hujus tantum diei gratiâ hactenus Synorito fuiſſe ſuperſtitem. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Quum Collatinus cum paucis familiaribus ad Lucretiam veniſſet a Sexto Tarquinio vi ſtupratam, quærenti viro ex more: ſatin ſalvæ? Minime, inquit Lucretia: (a) quid enim ſalvi eſt mulieri amiſsâ pudicitiâ? Veſtigia alieni viri, Collatine, in lecto ſunt tuo. Sed corpus tantum violatum eſt: animus inſons eſt: mors teſtis erit. *Eraſ. in Apoph.*

„ Quamvis autem facinus hoc Chriſtiana fides merito „ damnet, quæ manus ſibi quemquam afferre vetat; vox ta- „ men illa memoranda eſt. Quid ſalvi eſſe mulieri amiſsâ „ pudicitiâ poteſt? Habent homines multa, propter quæ lau- „ dari merito poſsint. In aliis enim eloquentia, in aliis do- „ ctrina, in aliis juris civilis, in aliis rei militaris ſcientia, „ in aliis bellica fortitudo, variarumque artium peritia lau- „ datur. In muliere vero magna pudicitiæ laus eſt: quâ amiſ- „ sâ, quid eſt quod in ea jure laudari poſsit? Unde in Ec- „ cleſiaſtico legimus: mulier fornicaria, quaſi ſtercus in „ via, ab omnibus prætereuntibus conculcatur. „

Armenia a Cyri convivio domum rediens, Cyri pulchritudinem omnibus laudantibus, interrogata a viro, quid de Cyri dignitate ſentiret, ait: a te (mi vir) oculos nunquam

† *Plutarchus de claris mulieribus, præclaram hanc feminam* Cammam *vocat, ejuſque virum* Sinatum. (a) *Tit. Caſtitas.*

quam deflexi. Itaque qualis alieni viri forma ſit, prorſus ignoro. *Ex lib.* 4. *Fran. Senen. de inſt. reip.*

Theſea Dionyſii ſoror, nupta Polyxeno, poſtea quam maritus metu tyranni profugerat; & rex ſororem accuſaret, quod conſcia fugæ mariti, non indicaſſet: adeo ne (inquit) Dionyſi, me vilem abjectique animi feminam judicas, ut ſi ſenſiſſem illum moliri fugam, non me illi navigationis, & omnium aliarum fortunarum comitem additura fuerim? *Eraſ. lib.* 5. *Apoph.*

Bruti uxor Porcia, Catonis filia, poſtea quam ſenſit conſpiratum de Cæſare interficiendo, eâ nocte quæ præceſsit diem in quo Cæſar occiſus eſt, egreſſo cubiculum Bruto, cultellum tonſorium velut unguium reſecandorum gratiâ popoſcit: eóque quaſi forte de manibus elapſo, ſe ipſam graviter vulneravit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum revocatus, objurgare eam cœpit, quod tonſoris præripuiſſet officium? Hic illa clam marito: non hoc (inquit) temere feci: nam experiri volui, ſi quod conſtitutum eſt, parum ceſſerit ex ſententiâ, quam æquo animo me ferro ſim peremtura. *Plut.*

Pater, Filius. Filiorum educatio.

PUer quidam (a) apud Platonem educatus, quum ad patrem ex intervallo rediſſet, eumque vidiſſet effuſius ridentem, admiratus dixit: ſe tale nihil unquam apud Platonem vidiſſe. Tanta res eſt jam inde a teneris annis virtuti aſſueſcere. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Maxima, inquit Satyricus, debetur puero reverentia. *Laërt. lib.* 4. *cap.* 2.

Socrates dicebat, optime natis ingenuiſque potiſsimum adhibendam rectam inſtitutionem. Idem enim in his uſu venire, quod in equis: in quibus, qui feroces ſunt ac generoſæ indolis, ſi ſtatim a primis annis recte inſtituantur, egregii & ad omnem uſum accommodi evadunt: ſin minus, efferati intractabiles, & ad nihil utiles ſunt. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Apud

(a) *Tit. Moderatio.*

Apud Lacedæmonios quum duo fratres inter ſe diſsidium haberent, Lacedæmonii mulctam dixere patri, quod filiorum diſcordiam diſsimularet: juvenibus ignoſcendum putarunt: ſed quidquid illi per calorem ætatis peccaſſent, parenti imputabant, cujus auctoritas providere debuerat, ne quid inter filios oriretur ſimultatis. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus is qui Lacedæmoniis leges condidit, quum conaretur cives ſuos a moribus præſentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere, eoſque virtutis & honeſti ſtudioſos reddere (nam erant corrupti deliciis), duos educavit catulos eodem patre eademque matre progenitos: quorum alterum paſſus eſt domi lautioribus veſci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Dein quum ambos produxiſſet in forum apud multitudinem, poſuit illhic ſpinas ſimul & eſcas aliquas delicatiores, mox emiſit leporem: quum uterque raperetur ad aſſueta, alter ad eſcas, alter leporem invaderet: an non videtis (inquit) cives, duos catulos quum ejuſdem ſint generis, tamen ob diverſam educationem admodum diſsimiles inter ſeſe evaſiſſe, pluſque ad honeſtatem momenti habere educationem, quam naturam? Proinde nihil nobis (o cives) nobilitas, quam miratur vulgus hominum, ductumque ab Hercule genus profuerit, niſi ea geſſerimus, per quæ ille mortalium omnium clariſsimus ac generoſiſsimus exſtitit: ac per omnem vitam, quæ honeſta ſunt, & diſcamus, & exerceamus. Reperit vir ingenioſus viam, qua multitudini philoſophicis rationibus non ſatis idoneæ, virtutis imaginem ob oculos poneret. Res quidem efficax eſt natura: ſed potentior eſt inſtitutio, quæ malam naturam corrigit ac vertit in bonam. Quales naſcantur liberi, nulli in manu eſt: at, ut recta inſtitutione evadant boni, noſtræ poteſtatis eſt. *Eraſ. lib.* 1. *Apoph.*

Idem Lycurgus objicientibus, quod eloquentiæ præceptoribus daret mercedem: ſi quis (inquit) profiteatur ſe filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas, ſed omnium facultatum dimidium effunderem. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Ælianus adoleſcens Eretriam poſt longam peregrinatio-

tionem reverſus, rogatus a patre, quid diſciplinæ tanto temporis interſtitio aſſecutus eſſet? ſe brevi oſtenſurum eſſe pollicetur. Verberibus igitur paullo poſt cæſus propter delictum admiſſum, patri nequaquam inobediens fuit, & ait: hoc edoctum, ut parenti caſtiganti obediret, ejuſque indignationes atque pœnas æquo animo ferret. *Bruſ. lib.* 4. *cap.* 30.

Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenariam, ipſe natus annos ſexaginta, ſæpe gloriatus eſt, quod nunquam cum matre in gratiam rediiſſet, nunquam cum ſorore fuiſſet in ſimultate; quam prope æqualem habuit. Hanc vocem ſe ab ipſo audiſſe ſcripſit Cornelius Nepos. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Damatria (a) quum accepiſſet, filium ita ſe gerere in bello, ut tali matre videretur indignus, domum redeuntem interemit. Maluit filium habere mortuum, quam bello inutilem. Qua de re hoc fertur epigramma:

Tranſgreſſum leges mater Damatria natum
Ipſa Lacæna necat, non Lacedæmonium.

Ex Plutarcho in Lacænarum Apoph.

Manlius Torquatus, (b) quum e Macedonia veniſſent legati, graves querelas deferentes de filio ejus Decio Syllano, qui eam provinciam obtinuerat; a ſenatu petiit, ne quid ea de re ſtatuerent, prius quam ipſe cauſam cognoviſſet. Quum ſenatus illi cognitionem detuliſſet, domi ſedit, ſoluſque utrique parti per totum biduum vacavit: tertio die pronuntiavit in hanc formam. Quum Syllanum filium pecunias a ſociis accepiſſe probatum ſit, & Republica eum, & domo mea indignum judico, protinuſque e conſpectu meo exire jubeo. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Aulus Fulvius (c) filium ingenio, litteris, & forma florentem, quoniam in Catilinæ caſtra properabat, ex itinere retractum occidit, dicens: ego te non Catilinæ adverſus patriam; ſed patriæ adverſus Catilinam genui. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Diogenes (d) quum puerum conſpiceret indecore ſe ge-

(a) *Tit. Fortitudo.* (b) *Tit. Judex.* (c) *Tit. Pietas in patriam.* (d) *Tit. Pædagogus.*

gerentem, pædagogum illius baculo percuſsit, dicens: cur ſic inſtituis? Indicans primæ ætatis formatoribus potiſsimum imputandum eſſe, ſi adoleſcentes evadant male morati, aut ſecus. *Aphthonius, ac Priſcianus.*

Philippus Macedo (a) quum accepiſſet genitum ſibi filium Alexandrum, ad Ariſtotelem ſcripſit, ſe diis gratias habere, non tam quod filius ſibi natus eſſet, quam quod eum naſci contigit Ariſtotelis tempore, a quo quidem ſperabat eum ita doctum iri, ut ſe dignus evaderet, & ſucceſsione rerum ſuarum. Atque quum primum fari cœpit, nutu Ariſtotelis eum nutriri juſsit: cui deinde adultum in diſciplinam tradidit. Et deinde quum propter adverſam valetudinem eum in caſtra ſequi nequiret, Calliſtheni diſcipulo obeundas ſuas vices tradidit, ut regi adeſſet, eumque philoſophiæ ſtudiis adjuvaſſet. *Ex Franciſ. Sen. lib. 2. de Inſt. Reip.*

Dominus. Servus.

MEmoria noſtra ſervus exſtitit ingenii peſsimi, animique truculenti. Huic ſæviſsimus herus fuit, qui in eum verberibus ſævire non deſinebat. Iratus autem ſervus, quum dominum ulciſci nequiret, duos quos habebat infantes, anniculum unum, alterum bimulum corripuit: turrimque editam conſcendit, dominumque vocavit, monuitque ut infantes ſuos gremio exciperet: quos quamprimum illiſos parieti dejecit, ſeſeque præcipitavit, ne vivus in poteſtatem domini veniret. *Ex Franciſ. Sen. lib.* 4. *de Inſt. Reip.*

„ Hoc animadvertant, qui omnia ſibi in ſervos licere
„ arbitrantur: quorum nunquam tam deſtituta fortuna eſt,
„ ut non interim vehementer nocere dominis poſsint. „

Magi-

(a) *Tit. Scientia.*

Magiſter. Diſcipulus.

ALexander interrogatus, utri magis foret affectus, Philippo parenti, an Ariſtoteli præceptori, reſpondit: ille mihi, ut eſſem, cauſa fuit: hic vero, ut bonus eſſem. *Stob.*

Diogenes Athenas profectus, ad Antiſthenem ſe contulit: a quo ſæpe repulſus (nullum enim diſcipulum recipiebat Antiſthenes), non deſtitit tamen hærere: adeo, ut quum aliquando baculum intentaret Antiſthenes, ultro baculo caput ſubjecerit, dicens: cæde, ſi vis: (a) at nullum invenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris. Inſigne exemplum adamatæ ſapientiæ. *Laërt. lib. 6. cap.* 2.

Metrocles dicebat, res alienas emi pecuniâ, ut domum, veſtem, & alia: (b) diſciplinas autem liberales emi tempore. Requirunt enim diuturnum ſtudium, & indefeſſam diligentiam. *Laërt. lib. 6. cap. 6.*

Demoſthenes ſummus ille orator (c) tantâ diligentiâ verſatus eſt in oratoriâ, ut nullam aliam ob cauſam magis ſe dolere dixerit, quam ſi quando opificum antelucanâ victus eſſet induſtriâ. *Cic. lib. 4. Tuſcul. quæſt.*

Antiſthenes, quum adoleſcens quidam, Ponticus genere, ſe in numerum diſcipulorum illius recipi cuperet, patri quærenti, quibus rebus eſſet opus? libro (inquit) novo, ſtilo novo, novâque tabella. Significans animum a vitiis vacuum, ſtudium vigens, & memoriam fidelem. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Doctor & auditor.

DIogenes eos qui de virtute loquerentur, nec recte viverent, cytharæ dicebat ſimiles, quæ ſono prodeſſet aliis, ipſa nihil ſentiret, nec audiret quicquam. *Laërt. lib. 6.*

„ Hoc dictum non multum abludit ab illo Paulli, qui „ ait:

(a) *Tit. Philoſophia.* (b) *Tit. Tempus. Tit. Studium.* (c) *Tit. Studium pertinax.*

„ ait : ſi linguis hominum loquar & Angelorum, carita-
„ tem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut
„ cymbalum tinniens. „

Ariſtoteles rogatus, quam ob rem quum alios doceret loqui, ipſe taceret? reſpondit: cos quidem ipſa non ſcindit, cultros autem acuit. *Anton. in Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 73.

Diogenes Cynicus, quum aliquando de re ſeriâ diſſerens nullum haberet auſcultatorem attendentem, cœpit ineptam cantionem canere, veluti ſaltaturis. Ubi jam plurimi concurriſſent, objurgavit illos, quod ad ſtulta & inepta frequentes & alacres accurrerent; ad ſeria vero & ad bene vivendum utilia, nec alacriter convenirent, nec diligenter auſcultarent. *Laërt. lib.* 6.

Demoſthenes quodam tempore, quum populus obſtreperet dicenti, ait: ſe breve quiddam velle illis narrare. Facto multitudinis ſilentio: adoleſcens (inquit) quidam æſtivo tempore aſinum conduxerat ab Athenis Megaram uſque. Sole vero circa meridiem vehementer æſtuante, uterque volebat ſubire umbram aſini, ſed uterque alterum prohibebat. Hic dicebat, aſinum conductum, non umbram: alter contendebat, per conductionem, & aſini & umbræ jus eſſe factum. Atque hæc locutus Demoſthenes, abiit e ſuggeſtu. Populo vero retinenti, ac narrationis finem flagitanti: de aſini (inquit) umbrâ audire cupitis; de rebus ſeriis loquentem audire non vultis. *Eraſ. de Aſini umbrâ.*

Antimachum clarum poëtam ferunt, qui quum convocatis auditoribus legeret eis volumen ſuum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquiſſent: legam (inquit) nihilo minus: Plato enim mihi unus inſtar eſt omnium. *Cicer. de Claris Orat.*

De Prælatis & eorum reſidentia.

ANtigonus quum pugnaturus eſſet adverſus Ptolemæi milites, gubernatorque admoneret plures eſſe naves hoſtium: pro quot (inquit) navibus ſupputas, quod ego hic præſto ſum? Sentiens ad victoriam plurimum habere momen-

menti, ſi ſtrenuus imperator præſens regat exercitum. *Plut. in Reg. & Imper. apoph.*

„ Hoc exemplo quantum Prælatorum in Eccleſiis ſuis „ præſentia valeat, facile poterit judicari. „

Quum quidam corpulentus ac nitidus, equum haberet macilentum ac ſtrigoſum, rogatus, quid eſſet in cauſa? reſpondit: mirum non debere videri, ſi equo ſuo eſſet habitior; quando quidem ipſe ſe paſceret, equum autem curaret ſervus. *Gellius, & Eraſ. in Proverb.*

„ Hoc etiam apophthegma ſatis declarat, quantum gre„ gi conferat Prælatorum cura & præſentia. „

Alexander Severus aſſeſſoribus deſignavit ſua ſalaria: quamquam dicebat, illos potiſsimum promovendos, qui per ſe Remp. gerere poſſent, non per aſſeſſores. Unumquemque enim hoc agere debere, quod noſſet. Prudentiſſimus juvenis ſenſit, hoc eſſe præcipuum ulcus omnium Rerumpub. quod omnia munera per vicarios adminiſtrantur, interdum alteros, ac tertios. Præfectus urbis habet vicarium: & is vicarius rurſum alterum vicarium, & hic rurſus alium. Atque frequenter, qui & honore & ſalario fruitur, minime omnium idoneus eſt ad functionem obeundam. *Æl. Lampr.*

Vetus multorum imperatorum dictum eſt: magis eſſe timendum cervorum exercitum duce leone, quam leonum duce cervo: adeo magnum eſt in quovis negotio, gubernatorem ac paſtorem eſſe præſtantiſsimum. Hinc majoribus natu incuſantibus † Saguntinos, quod poſt adventum Scipionis Romanos milites in congreſſu fugiſſent, quos ſæpe antea fugare ſoliti eſſent, reſponderunt: grex quidem eſt idem, ſed alius paſtor. *Plutarch. in Rom. Apoph.*

Rex.

AGeſilaus Lacedæmoniorum rex (a) illud ſibi cum primis gloriæ ducere ſolebat, quod rex quum eſſet, ceteriſ-

† *Lege*: Numantinos, *ut eſt apud Plutarchum. Non enim Saguntinis cum Romanis fœdere junctis, ſed Numantinis bellum intulit Scipio. Notiſsima res eſt: nec in dubium ab ullo uſquam revocata.* (a) *T. Victoria ſui.*

risque consilio prospiceret, nihilo secius in laboribus obeundis nemini cederet: quodque sibi imperaret, sibique (ut ita loquar) rex esset. Id pulchrius esse judicabat, quam quod regnum obtineret in alios. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Idem interrogatus, quas res imperatorem habere oporteat, dixit: adversus hostes audaciam, erga subditos benevolentiam, in opportunitate vero rationem & consilium. *Stob. serm.* 52.

Idem illud assidue in ore habuisse fertur, principis esse, non mollitie deliciisve, sed temperantiâ ac fortitudine privatis hominibus antecellere. *Plut.*

Idem, si quid esset (a) quod per milites celeriter confici vellet, primus ipse sub oculis omnium operas aggrediebatur, quo, vel pudore ad industriam exstimularentur. Efficacissimum exhortationis genus, principem hoc facere, quod ab aliis fieri velit. *Plut.*

Cyrus abstinebat a conspectu Pantheæ; & Araspo dicenti, (b) mulierem esse insigni formâ, dignam regis oculis: ob isthuc ipsum (inquit) magis est ab ipsa abstinendum. Etenim si nunc tuo obtemperans consilio, illam adiero quum vacat, fortasis illa mihi persuasura est, ut ad ipsam frequenter commeem etiam quum non vacabit, eique assideam neglectis seriis. *Erasm. lib.* 5. *Apoph.*

Philippus Macedonum rex (c) quum audisset filium suum quodam in loco scite ceciniſſe, objurgavit dicens: non te tui pudet, qui noris tam bene canere? *Plut. in Reg. & Imp. Apoph.*

Anus paupercula quum dignum esse putaret, se a Philippo Alexandri patre judicari, & sæpe numero importuna essset: otium sibi non esse dixit. Vetula vero clamans: ergo ne rex quidem sis, inquit. Sed ipse dictum admiratus, non illam modo, verum alios quoque e vestigio audivit. *Plut. in Apoph.*

Alexander (d) regium esse affirmavit, a quibus male audias, in eos & sæpe & multum conferre. Quo innuere voluit, liberalitatem aliquando etiam erga indignos exercendam esse. *Pont. cap.* 3. *de Liberalitate.*

(a) *Tit. Exemplum.* (b) *Tit. Occasiones peccatorum.* (c) *Tit. Indecorum.* (d) *Tit. Liberalitas.*

Idem, quum benevolentiam civium ſibi conciliare cuperet, largitionibus eos corrupit. Verum quum hoc audiret pater Philippus: quæ te malum (inquit) ratio in iſtam ſpem induxit, fili, ut eos putes tibi fore fideles, quos coëmeris pecuniâ? *Plut. in Apoph. Reg. & Imp.*

Idem (a) quum ab amicis reprehenderetur, quod immemor majeſtatis imperatoriæ, non pretioſo veſtitu, auro, gemmiſque corpus ornaret, reſpondit: principatum atque imperium in virtute eſſe, non in corporis decore. Itaque plebejus habitus & cultus nihil obſtitit, quo minus totius orientis imperium Macedoniæ regno adderet. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 13.

Antigonus Macedoniæ rex, amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, validis eas præſidiis communiret ne quando deficerent, reſpondit: ſe ſemper in ea fuiſſe opinione ut crederet, nullum eſſe regni præſidium firmius, quam civium benevolentiam. *Eraſ. lib.* 4. *Apoph.*

Idem (b) conſpiciens filium ſuum, eos in quos habebat imperium ferocius tractantem ac inſolentius: an ignoras (inquit) fili, regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſervitutem? Nihil dici potuit cordatius. Nam princeps non minus obſervire cogitur populo, quam populus principi, niſi quod princeps id facit cum dignitate: alioqui re verâ mutua ſervitus eſt. *Plutarchus.*

Auguſtus Cæſar quum nulli fere ad convivium invitanti ſuum denegaret officium, exceptus a quodam cœnâ perparcâ ac pæne quotidiana, quum a convivatore demitteretur, hoc illi tantum inſuſurravit: non putabam me tibi tam familiarem eſſe. *Plut. in Rom. Apoph.*

Idem quum apud Liviam uxorem ſolus conquereretur de hominum inſidiis, quæ hinc inde etiam vigilantiſsimo inſtruerentur: mirum non eſt (reſpondit Livia) quod tibi parentur inſidiæ: partim quod id non ſit alienum a naturâ; partim quod in tam magno imperio multa facias, ex quibus par eſt pleroſque moleſtiam capere. Princeps enim non poteſt omnibus placere: ſed etiam quantumvis recte imperet, ei multis iraſci neceſſe eſt. *Dionyſ. in Auguſt.*

Idem

(a) *Tit. Cultus corporis.* (b) *Tit. Manſuetudo, Clementia.*

Idem quum audiſſet, quod Alexander natus annos triginta duos, poſtea quam pleraſque mundi regiones peragrarat, dubitaſſet: quid in reliquum vitæ tempus eſſet facturus? demirabatur, ſi Alexander non judicaſſet majus opus, bene gubernare partum imperium, quam amplam ditionem comparaſſe. Recte notavit inexplebilem Alexandri ambitionem, qui nullam aliam functionem rege dignam exiſtimaſſet, quam proferre ditionis terminos: quum multo tum pulchrius, tum difficilius ſit, regnum quod contigit rectis legibus ſanctiſque moribus exornare, quam armis regno regnum addere. *Plut. in Rom. Apoph.*

Equite Romano quodam defuncto, compertum eſt, illum tantum habuiſſe æris alieni, ut ſummam ducenties numûm accederet, idque dum viveret, celaverat. Quum igitur res illius auctioni ſubjicerentur, ut ex pecuniâ creditoribus ſatisfaceret; Auguſtus (a) juſsit ſibi emi culcitram illius cubicularem: ac mirantibus hoc præceptum, habenda eſt (inquit) ad ſomnum conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obſtrictus, ſomnum capere potuit. Nam Auguſtus ob ingentes curas ſæpe maximam noctis partem ducebat inſomnem. *Macrob. lib. 2. cap. 4.*

Apollonius (b) rogatus a rege Babyloniæ, qua ratione quiete imperio frui poſſet? reſpondit: ſi paucis credideris. Voluit autem nihil aliud hoc indicare dicto, quam nihil adminiſtrando regno periculoſius eſſe, quam ſi delatoribus & aſſentatoribus aures facile præbeantur. *Bruſ. lib. 3. cap. 13.*

Paryſatis (c) Cyri & Artaxerxis mater præcipere ſolebat, ut rex palam ac libere locuturus, verbis byſsinis uteretur: hoc eſt magnificis ac mollibus. Talis enim decet regem oratio, qualis eſt amictus. *Ex Plut. in Reg. & Imp. Apoph.*

Solon (d) argutiſsime dixit, tyrannorum amicos calculis ſupputatoriis eſſe ſimillimos: qui ut arbitrio ſupputantis ponuntur, interdum valent multa millia; interdum minimum; interdum nihil. Sic enim illorum fortunas inconſtans tyranni libido variat. *Laërt. lib. 1. cap. 3.*

(a) *Tit. Cura & ſollicitudo.* (b) *Tit. Crudelitas. Tit. Adulatio.* (c) *Tit. Affabilitas.* (d) *Tit. Fortunæ inconſtantia.*

Omulius Senator Romanus Trajano imperatori dicere ſolebat: majori utilitatis ratione malum principem optari poſſe qui permultos bonos haberet amicos, quam bonum qui malorum multorum amicitiis uteretur. Siquidem facilius fore, a multis bonis unum malum ad bonitatem deduci, quam ab uno bono multos malos a malitia averti. *Fulg. lib. 7. cap. 2.*

Alexander Severus deſcriptum habebat, quid cui præſtitiſſet. Qui nihil, aut minimum petiſſent, eos appellabat dicens: quid eſt cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne privatus de me queraris. Intelligebat præcipuum boni principis officium eſſe, debitis præmiis de Repub. benemeritos afficere: quum omnis bene conſtituta Reſpub. pœnâ & præmio potiſsimum ſtabiliatur. *Ælius Lamprid.*

Scurra quidam, quum vidiſſet principum indigna & nefanda facinora, dixit: in uno annulo bonos principes omnes ſculpi poſſe. Sentiens eſſe quidem magnum imperatorum numerum; ſed in his perpaucos eſſe bonos. *Vopiſcus in Aurelio.*

Scipio, poſtea quam Carthaginem novam (quæ erat Hiſpanorum) armis ceperat, milites quidam virginem eleganti formâ captam adduxerunt, eique tradiderunt. Hic ille: libenter acciperem (inquit) ſi privatus eſſem, non imperator. *Plut. in Rom. Apoph.*

Epaminondas, quum feſtum diem celebraret civitas, omneſque compotationibus & libidini indulgerent, cuidam e familiaribus factus eſt obviam ſqualidus & cogitabundus. Admirante illo, cogitanteque: quid tandem eſſet rei, quod ſolus ad eum affectus modum obambularet? ut vobis (inquit) omnibus ebrios ac ſocordes eſſe liceat. O vocem principe dignam! Tum enim maxime vigilandum eſt principi, quum populus maxime indulget genio. *Plutarch. in Græcor. Apoph.*

Agaſicles quum ſciſcitaretur, quo pacto poſſet quis tuto imperare nullo ſtipatus ſatellitio, reſpondit: ſi ſic imperet ſuis, quemadmodum pater imperat liberis. Nemo unquam plura dixit majori compendio. *Plut. in Lacon.*

Al-

Alcamenes † Telecri filius (a) cuidam percontanti, quo pacto quis optime regnum ſervare poſſet? ſi lucrum (inquit) non magni fecerit. Longe lateque diſſentiens a vulgo principum, qui non aliâ magis ratione principatum conſtabilire ſtudent, quam attenuandis civium, & ſuis augendis opibus; quum juſtitia & æquitas maxime reddant diuturnum imperium. *Plut. in Lacon.*

Ovinius Camillus (b) antiquæ familiæ ſenator, homo delicatiſsimus, rebellionem moliebatur tyrannidem affectans. Id quum Alexandro renuntiatum eſſet ſtatimque probatum, ad palatium eum rogavit, eique gratias egit, quod Reipub. curam, quæ bonis viris recuſantibus imponi ſolet, ſponte reciperet. Mox ad ſenatum proceſsit, atque tanti ſceleris conſcientiâ trepidum conſortem imperii appellavit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus & melioribus quam utebatur ipſe, decoravit, profectionis comitem adhibuit. Quumque imperator ipſe pedibus iter faceret, invitavit & Ovinium deliciis aſſuetum, ad laborem: quem poſt quinque millia paſſuum cunctantem, equo ſedere juſsit. Quumque poſt duas manſiones equo etiam fatigatus eſſet, carpento impoſuit. Hoc quoque reſpuentem, ac imperium tædio laborum recuſantem dimiſit, ac militibus a quibus Cæſar præcipue diligebatur commendatum, ad villas ſuas tuto abire juſsit. Sic illi commonſtravit, quid eſſet gerere imperium. *Lampr.*

Saturninus hortantibus ut imperium ſuſciperet, ait: neſcitis, o milites, quantum mali ſit imperare. Gladii ut cervicibus immineant, haſtæ undique & ſpicula: ipſi cuſtodes timentur: ipſi comites formidantur: non cibus pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro ſtudio. Pauciſsimis verbis varia principum incommoda, & pericula vulgo incognita complexus eſt. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 13.

Quum ſub Nervâ Cocceo, Romæ promiſcue omnes ab omnibus leviſsimas ob cauſas accuſarentur, atque in-

† *Alcamenes, non Telecris filius fuit, ut innuit Granatenſis; ſed Telecri cuidam ſciſcitanti reſpondit. Vide Cruſerii, ac Raphaelis Regii interpretationes.*

(a) *Tit. Vectigalia.* (b) *Tit. Deliciæ.*

de magnus tumultus exortus eſſet, Frontonium conſulem dixiſſe ferunt: malum quidem eſſe, imperatorem habere ſub quo nemini liceat quicquam facere; ſed multo pejus eſſe, quum omnia licent omnibus. *Fulgoſ. lib.* 2. *cap.* 2.

Diocletianus adhuc privatus dicere ſolebat, nihil eſſe difficilius quam bene imperare. Id Flavius Vopiſcus in Aureliano tradit ſe audiviſſe a patre ſuo, & addidit cauſam: colligunt (inquit) ſe quattuor aut quinque ſimul; conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt; dicunt quid probandum ſit. Imperator qui domi clauſus eſt, vera non novit: cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquuntur: facit judices, quos fieri non oportet: amovet a Repub. quos debebat retinere. Ita (ut dixit Diocletianus) bonus, cautus, optimus venditur imperator. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 13.

Trajanus (a) imperatorem juris atque juſtitiæ amatorem atque cultorem eſſe debere dixit; cujus ipſe etiam tam fuit ſtudioſus, ut aliquando enſem ſtrictum præfecto urbis in conſpectu omnium dederit, atque dixerit: cape ferrum hoc: & ſi recte quidem imperium geſſero, pro me; ſin autem, contra me hoc utere. *Niceph. Calliſt. lib.* 3. *cap.* 23. *hiſt. Eccleſ.*

Otho imperator Romanorum ſæpe numero dicere ſolebat ad ſuos: neſcitis, amici, quid ſit Romanorum gubernare imperium: mihi credite jam experto, qui jam mori malo quam imperare. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 13.

Sigiſmundus Romanorum imperator rogatus, quem virum imperio dignum aptumque exiſtimaret? eum, inquit, quem nec ſecundæ res extollerent, nec adverſæ deprimerent. *Æneas Sylv. Commentar. lib.* 4. *de rebus geſtis Alphonſi.*

Idem, regnandi artis imperitum eſſe dicebat, qui ſimulare neſciret. Innuit autem, multa regibus ſimulanda, multa diſsimulanda eſſe, quo ſuos in officio contineant extra omne vitæ periculum. *Æneas Sylv. lib.* 1. *Commentar. de rebus geſtis Alph.*

Antiſthenes Athenienſis (b) quum accepiſſet Platonem de ipſo male loqui: regium eſt (inquit) quum bene fece-

(a) *Tit. Juſtitia. Tit. Judex.* (b) *Tit. Magnanimitas.*

ceris, audire male. Excelsi profecto animi est, ingratitudine hominum non deterreri ab studio bene merendi de omnibus. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Demetrius Phalereus (a) Ptolemæum regem adhortari solebat, ut sibi pararet libros de regno deque militari imperio gerendo tractantes, eosque diligenter evolveret; propterea quod ea de quibus amici non audent admonere reges, in libris scripta habeantur. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 5.

Dionysius (b) quum ad filium ingressus conspexisset vasculorum aureorum & argenteorum magnam vim, exclamans: non est (inquit) in te regius animus, qui his poculis quæ a me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris. Sentiens absque civium benevolentiâ regnum nec parari, nec teneri. Benevolentiam vero maxime conciliat benignitas. At juvenis rerum imperitus, putabat esse felicius argentum & aurum, quam amicos comparare. *Plutarch. in Reg. & Imper. Apoph.*

Menedemus Eretriensis (c) Antigono consulenti, deberet ne ad comessationem quamdam ire; post silentium nihil aliud respondit, quam: regis filius es. Subindicans, luxum indecorum esse regno natis. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 18.

Philonis dicterium est: (d) si vis bonus esse rex, cum fortitudine benignitatem & mansuetudinem serva, ut non formidolosus, sed reverentiâ dignus tuis subditis videaris. *Phavorinus.*

Severi imperatoris ultima verba dicuntur fuisse: turbatam Rempub. ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, senex & pedibus æger, firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt: imbecillum, si mali. *Ælius Spartianus.*

Vespasianus senior Romanorum imperator (e) graviter febricitans, quum increparetur a medicis, quod morbo correptus nihil de quotidiana victus ratione immutaret, faceretque omnia quæ ad principatum spectarent, respondit: imperatorem, stantem mori oportere. *Xiphilinus in ejus vita.*

Trajanus (f) amicis incusantibus, quod parum memor

(a) *Tit. Lectio.* (b) *Tit. Liberalitas.* (c) *Tit. Luxus.* (d) *Tit. Mansuetudo.* (e) *Tit. Labor.* (f) *Tit. Affabilitas.*

imperatoriæ majeſtatis, nimium eſſet omnibus expoſitus, reſpondit: talem præſtabo imperatorem privatis, qualem optarem ipſe privatus. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Antiochus ille, qui bis exercitum duxit adverſus Perſas, quum in venatu quodam feras inſequeretur, aberrans ab amicis ac famulis, in caſam pauperum quorumdam (quibus ignotus erat) introiit: atque inter cœnam injectâ mentione regis audivit, quod cetera quidem probus eſſet, ſed pleraſque functiones mandaret amicis improbis; ipſe ad eorum facta connivens. Tum quod immodico venandi ſtudio frequenter neceſſaria negligeret. Ad hæc tunc temporis nihil reſpondit, nec quis eſſet prodidit. Verum ubi diluculo ſatellites veniſſent ad caſam, jamque agnoſceretur, allatâ purpurâ ſimul cum diademate: (a) age (inquit) ex quo vos indui, heri primum vera de me ipſo audivi. Nam fere hoc ſtudio eſt his qui vivunt in aulis principum, ne quid audiant niſi blandum auribus. *Plutar. in regum Apoph.*

Thomas Pontanus, homo multâ prudentiâ clarus, frequenter dicere ſolitus eſt: (b) amorem quidem inermem incedere, dormire autem loricatum. Notabat autem principes, qui licet benevolentiam & amorem ſuorum non ignorent, habent tamen nocturno præcipue tempore qui armati prope cuſtodias agant, ut extra omne periculum ſomnum dulciſsimum capiant. *Jacob. Spieg. in* 2. *Æneæ Sylv. lib. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Thales Mileſius (qui primus omnium ſapiens appellatus eſt) interrogatus a familiari quodam ſuo: quidnam in omni vita difficillimum vidiſſet? tyrannum (inquit) ſenem. Nec medius fidius injuriâ. Nulla enim imperia difficilius exercentur, quam in homines; ut etiam apud Xenophontem eſt. Nullum ſiquidem aliud animal in paſtorem ſuum ſeditioſum eſt, ut parere nolit, præter hominem: qui infenſus ſemper in eos qui ſibi præeſſe aut imperare quærunt, inſidias meditatur, noviſque rebus ſtudet. *Ex lib.* 1. *Franciſci Senenſis de inſtit. Reip.*

Perſæ adunco homines naſo & amant, & pulcherrimos pu-

(a) *Tit. Veritas.* (b) *Tit. Prudentia. Cautio.*

putant, quod Cyrus qui maxime regum omnium fuit amatus, aduncum habuit naſum. Dictitabat autem Cyrus, imperium nemini convenire, qui quibus imperat melior non ſit. Perſas autem (a) cupientes pro ſua montanâ & aſperâ, planam mollemque regionem occupare, non permiſit; quod diceret: ut plantarum ſemina, ſic hominum vitas regionibus ſimiles fieri. *Plut. in Apoph.*

Alphonſus Aragonum rex, nihil inconvenientius eſſe dicebat, quam ſi quis aliis imperaret, (b) qui ſuis affectibus propriis imperare prius non poſſet. Sentiens nihil pernicioſius eſſe Reipub. quam ſi is qui parvos aliorum affectus coërcere debet pœnâ adhibitâ, propriis ipſe affectionibus vincatur. *Panor. lib.* 2. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Senex quidam multo vino repletus (c) quum ſuam apud Alphonſum excuſare conaretur ebrietatem, dicendo, lac ſenum eſſe vinum, reſpondit: ſed regum cibus eſt honos, quem dii immortales non otio aut luxu, ſed improbis laboribus, multiſque ſudoribus hominibus vendunt. *Panor. lib.* 1. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Eumdem ſolitum dicere accepimus, (d) regum in primis ſtudium & officium eſſe, populares ſuos locupletes effiecere. Popularibus enim ditioribus factis, nec utique reges futuros pauperes. Quoniam ſubditorum amor ac benevolentia, veri ſunt principum theſauri ac divitiæ; non pecunia imperata. *Panor. lib.* 4. *in fine.*

Idem dicere ſolebat, eos qui aliis præeſſent, tanto privatis hominibus meliores eſſe oportere, quanto honoribus & dignitate antecellerent. *Panor. lib.* 6. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem (e) eos demum principes magnifaciendos dicere ſolebat, qui juſtitiam probe excolerent: hæc enim in quo fuerit, ejus imperium æquo omnes animo patiuntur, illiuſque moderationi ſeſe etiam ſponte ſubjiciunt. *Panor. lib.* 1. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem (f) eum principem mirum in modum probabat, cujus ſimplex verbum tantum ad fidem valeret, quantum privatorum hominum jusjurandum. Senſit autem, non vulga-

(a) *Tit. Deliciæ.* (b) *Tit. Victoria ſui.* (c) *Tit. Honor. Tit. Labor.* (d) *Tit. Vectigalia.* (e) *Tit. Juſtitia.* (f) *Tit. Veritas.*

garem principis virtutem esse, stare verbis, & facto præstare quod verbo semel promisit. *Ubi supra.*

Idem (a) commemorantibus quemdam ex Hispaniæ regibus dixisse: non decere principes viros scire litteras, exclamavit: eam vocem bovis esse, non hominis. Non omnes litteræ conveniunt principi; sed hæ quæ politicen tradunt aut ethicen, quæque recte aut secus gestorum exempla commonstrant: id quod facit historia. *Ubi supra.*

Magistratus, Judex.

ARchitas dixit, judicem & aram idem esse: pariter enim ad utrumque confugiunt, qui injuriâ afficiuntur: sentiens tales oportere judices esse, ut oppressis sint præsidio. *Refert Aristoteles in Rhet. lib.* 3.

Ægyptiorum reges (b) juxta regionis illius consuetudinem judices ad jusjurandum adigebant, ut etiam si quid rex juberet eos judicare quod rectum non esset, ne judicarent. Tanti referre putabant, ut populus justos haberet judices. Porro potentiæ ferociæque regiæ opposita est jurisjurandi religio, quod adactum videri non poterat, quum ab ipsis regibus exigeretur. *Plut. in Rom. Apoph.*

Philippus Macedo, Machetæ cujusdam pro tribunali sedens causam cognovit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad juris æquitatem: itaque sententiam tulit adversus Machetam. Verum quum is exclamasset, se ab eâ sententiâ appellare; rex iratus, ad quem? inquit: nam appellandi verbum Monarchis est invisum. Hic Machetas: ad te ipsum, o rex, si expergiscaris, & attentius audias causam. At tum quidem surrexit rex. Ceterum postea quam causam apud se melius perpendisset, intelligeretque Machetæ factam injuriam, judicata quidem non rescidit, sed pecuniam qua damnatus fuerat Machetas, ipse persolvit. Sit hoc civilitatis, regiæque moderationis: illud vero prudentiæ, quod ingenioso commento sic damnatum exemit damno, ut regiam tamen in judicando auctoritatem non pro-

(a) *Tit. Scientia.* (b) *Tit. Justitia.*

proderet, mulctam privatim perinde quasi ipse damnatus esset, dissolvit. *Plut. in Reg. & Imp. Apoph.*

Cleomenes quum ex quodam audivisset, bonum magistratum omnino erga omnes mitem & placidum esse oportere, respondit: bene quidem, ita tamen ne sit contemtui. Significans clementiam nimiam pernicioſam esse civitati. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Simonides poëta, quum Themistoclis prætoris operam pro amico in re iniquâ peteret, respondit Themistocles: nec Simonidem fore bonum poëtam, nisi mensuram modumque in canendis carminibus quæ scribebat, curaret: nec se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac justitiæ alicujus gratiam præposuisset. *Fulgos. lib. 6.*

Fabio jam sene, filius illius consul factus est: qui quum publicitus multis audientibus habuisset orationem, Fabius conscenso equo præcedebat. Quum autem juvenis lictorem misisset, qui patrem juberet equo descendere, alii quidem factum hoc aversati sunt: at Fabius ab equo desiliens, non habitâ ætatis ratione accurrit, ac filium complexus: euge (inquit) fili, sapis, qui intelligis quibus imperes, & quam magnum magistratum susceperis. *Plut. in Rom. Apoph.*

Bias damnaturus quempiam ad mortem, lacrimatus est miseram hominis & merito deplorandam fortunam. Verum quum dixisset quidam: quid est quod defleas, quum in tuo sit arbitrio condemnare aut liberare hominem? respondit Bias: necessarium quidem esse naturâ condolere; a lege autem & justitiæ regulâ discedere, pernicioſum esse. *Stob. serm.* 44.

Aristides cognomento justus, semper suo unius præsidio fretus, Rempub. administravit: a sodalitatibus & amicorum potentia abhorrebat, quæ ad injuriam aliis inferendam adderet animum. Abhorruit autem ab omni factione & amicitia, ideo, ne adigeretur ad aliquid faciendum quod justum non esset; aut cogeretur abstinere ab eo, quod judicasset Reipub. conducere. *Plut. in Apoph. Græc. Imp.*

Idem quemdam reum accusaverat. At quum judices post Aristidis accusationem nollent audire reum; sed protinus ad suffragia, quibus eum damnaturi erant, properarent: Aristi-

ſtides ſupplex pro reo interceſsit ad judices, ut eum juxta legum præſcripta diligenter audirent. Tantum erat in viro legum æquique obſervatio. *Plut. in ejus vita.*

Heraclitus Epheſius Rempub. ut deploratam contemſit, eique dare leges (quum rogaretur) recuſavit. Seceſsit autem in templum Dianæ, ibique cum pueris ludebat talis. Circumſtanti & admiranti populo: perditi (inquit) an non præſtat hoc agere, quam vobiſcum Rempub. adminiſtrare? *Laërt. lib. 9. cap.* 1.

Chryſippus rogatus, cur non adminiſtraret Rempub.? dixit: quia ſi quis male rexerit, diſplicebit diis: ſin bene, civibus. *Stob. ſerm.* 43.

Cleon, quum primum ſtatuiſſet Rempub. capeſſere, amicis in unum locum convocatis, eam quæ ei cum illis interceſſerat amicitiam dirupit: tanquam quæ in adminiſtratione civitatis rectum ac juſtum inſtitutum emolliat, & tranſverſum agat. *Anton. in Meliſ. part.* 2. *ſerm.* 1.

Alphonſus Aragonum rex, magiſtratum, cotem appellare ſolitus eſt quo hominum ingenia probarentur. Magiſtratus enim (ut communi proverbio celebratur) virum indicat. Eſt autem ſenſus, vix ſatis perſpici poſſe mores & ingenium in vita hominis privata. *Panor. lib.* 3.

Socrates dicere ſolebat: abſurdum eſſe, quum artes manuarias nemo exerceat, qui eas non didicerit; neque quiſquam aliquid faciendum locet ei, qui ejus opificii ſit plane ignarus: ad publicos magiſtratus admitti eos, qui rerum omnino rudes eſſent. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Chilon Lacedæmonius (a) fratri querenti quod Ephorus ipſe non crearetur, quum ille eſſet: ego (inquit) injuriam ferre novi; tu non: ſignificans neminem eſſe idoneum magiſtratui, qui non poſsit diſsimulare multa præter æquum & bonum facta. *Laërt. in Chilonis vita.*

Alexander Severus, honores juris & gladii nunquam vendi paſſus eſt, dicens: qui emit, & vendat neceſſe eſt. Hoc ethnicus, & juvenis: quid jam decet principes chriſtianos? *Lampridius, & Bruſ. lib.* 4. *cap.* 5.

Cato ſenior cenſuram petens, quum ceteros competito-

(a) *Tit. Manſuetudo. Tit. Patientia.*

tores videret ſupplices populoque blandientes, ipſe clamabat, populo opus eſſe medico auſtero, validiſque remediis: proin eligendum, non qui jucundiſsimus eſſet, ſed qui inexorabilis. Atque hæc dicens, ante omnes Cenſor creatus eſt. Agnovit populus morbum ſuum, eoque Cato plus valuit objurgando, quam ceteri blandiendo. *Plut. in Rom. Apoph.*

Themiſtocles Neoclis filius, audiens quoſdam ambire magiſtratum: ſi mihi (inquit) duas oſtenderetis vias, quarum una ad infernum, altera ad tribunal duceret, multo libentius tenderem eam, quæ recta ad infernum tenderet. Non ignoravit ſane vir ſapientiſsimus, quantæ curæ moleſtiæque eos ſequerentur, qui magiſtratum recte adminiſtrare debeant.

Demoſthenes ad juvenes quos habebat familiares dicere ſolebat: ſibi gnaro jam quantum invidiæ, metus, calumniæ, ac diſcriminis ſit exſpectandum ad Rempub. accedenti; ſi ex duobus alterum ſit eligendum, citius in exſilium iturum, quam ad ſuggeſtum ac tribunal. *Eraſ. lib. 4. Apoph. ex Plut.*

Cato ſenior (a) dicere ſolebat: ſe malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pœnam. Significans nihil eſſe magis pernicioſum, quam ſi improborum mores pœnâ non coërceantur. *Plut. in Rom. Apoph.*

Idem etiam dicebat, (b) eos magiſtratus, qui maleficos pœnis non coërcerent, non tantum non ferendos, ſed lapidibus obruendos eſſe: ne ex pœnæ neglectu ſalus Reipub. labefieret. *Plut. ubi ſupra.*

Demoſthenes quum audiret quoſdam, qui in Repub. evehi cuperent: omnium difficillimum eſſe dixit, ut hi qui poteſtatem habent in multos, multis placeant. *Stob. ſerm. 23.*

Pauſanias Macedo, adoleſcens forma & genere præſtantiſsimus, ſtuprum per vim & injuriam ab Attalo pertulit: a quo etiam mero ingurgitatus, & in convivium perductus, convivarum libidini, tanquam vulgare ſcortum propoſitus eſt. Hanc indignitatem quum iniquo animo ferret Pau-

(a) *Tit. Juſtitia.* (b) *Tit. Juſtitia.*

Pauſanías, regi Philippo detulit : rex vero variis fruſtrationibus eum ludibrio habuit, & Attalum digniore militiâ honeſtavit. Qua injuriâ percitus Pauſanias, iram in regem convertit ; & ultionem quam ab adverſario non poterat, ab iniquo judice exegit. Nam (a) quum in nuptiis Cleopatræ Attali filiæ, medius inter duos, Alexandrum filium & generum ſederet, nihil ejuſmodi timentem interemit, & diem lætitiæ regio funere polluit : planeque docuit, querelas ſubditorum neutiquam contemtui habendas eſſe. *Ex lib. 6. de Inſt. Reip. Franc. Sen.*

Munera quæ excæcant judices.

ALexander Severus Vetronium Thurinum familiarem, quod iis qui petebant aliquid a Cæſare vendidiſſet ſuum patrocinium, mentiens interim multa, convincendum curavit : & convictum damnatumque in ſtipite alligari juſsit, ſuppoſito igni ex humida materia, præcone clamante : fumo punitur, qui fumos vendidit. *Ælius Lamp.*

Phocioni quum centum talenta Alexander dono miſiſſet, adferentes interrogavit : quam ob rem ex tanto Athenienſium numero ſibi ſoli ea mitteret ? Illi reſponderunt: quoniam ſolum ipſum rex exiſtimaret bonum eſſe virum. Quin igitur me poſthac bonum eſſe permittat, dixit : & pecuniam remiſit. Senſit autem non eſſe boni viri, ſubire famæ periculum ob accepta munera. *Stob. ſerm.* 35.

Alcamenem quum quidam interrogaſſet, quam ob rem munera a Meſeniis oblata ita recuſaſſet ? (b) quoniam ſi recepiſſem (inquit) cum legibus pacem habere non poteram. O mentem rege dignam, quæ magno obvioque lucro legum auctoritatem antepoſuit ! Et ubi ſunt interim qui clamant : quod principi placuit, legis vigorem habet: &, principem quidem dare leges ; at non teneri legibus? *Plutarchus.*

Philippus Macedonum rex (c) quoniam pleraque perfecit dando potius quam bellando, jactatum eſt in illum: non

---

(a) *Tit. Juſtitia.* (b) *Tit. Juſtitia.* (c) *Tit. Liberalitas.*

non Philippum, ſed Philippi aurum ſubegiſſe Græciam. *Eraſ. in Apoph.*

Epaminondas quum legati venirent ferentes munera animo corrumpendi, ad prandium eos venire juſsit prius, ut in eodem cauſam adventus indicarent. Appoſita eſt igitur (a) menſa vilis, bibebantque vinum acidum. Subridens igitur Epaminondas ad legatos ait: abite, & domino veſtro mea prandia narrate, quibus me contentum non facile ſuis muneribus ad proditionem alliciet. *Stob. ſerm.* 1. *de Prudentia.*

Quum Artaxerxes Perſarum rex eidem † tria Daricorum millia miſiſſet, Diomedontem Cyzicenum aſperius increpavit, ſi tantam navigationem ſuſcepiſſet corrupturus Epaminondam; eumque juſsit hæc verba ad regem referre: (b) ſi favet commodis Thebanorum, habiturus eſt Epaminondam amicum gratis; ſin minus, hoſtem. Quid hoc animo incorruptius, non alio ſpectante quam ad patriæ commoda? *Plut. in Græcorum Apoph.*

Phocion quum a Menillo oblatam pecuniam remiſiſſet, rogatus ab illo cauſam, cur ſaltem filio ſumendam non permitteret? reſpondit: ſi filius vitam moreſque compoſuerit, vivet ille quidem paternâ hæreditate contentus; ſi vero prodigus & immodeſtus fuerit, ne argentum quidem hoc ſatis futurum eſt. *Bruſ. lib.* 1. *cap.* 9. *& lib.* 5. *cap.* 22.

Alexander ad Xenocratem legatos miſit cum aliquot talentis: quos ille in Academiam perductos (c) parcâ tenuique cenâ excepit. Poſtridie interrogantibus cui vellet annumerari pecuniam: quid (inquit) ita ne vos heſternâ cœnâ non intellexiſtis, me pecuniâ non indigere? *Laërt. lib.* 4. *cap.* 2.

Samnites, poſtea quam a Marco Curio devicti eſſent, venerunt magnam ei vim auri afferentes. Verum Curius (d) quum forte † ad focum ſederet, & ex cado ligneo rapas co-

---

(a) *Tit. Frugalitas.* † *In Cruſerii verſione non* tria, *ſed* triginta Daricorum millia *Epaminondæ miſſa memorantur. Sed Granatenſis lectioni favet Raphaëlis Regii interpretatio.* (b) *Tit. Fortitudo.* (c) *Tit. Prodigalitas.* (d) *Tit. Frugalitas.* (e) *Tit. Frugalitas.* † *Plutarchus in Rom. Apoph. unde hoc deſumtum eſt, ſolum habet*: Forte autem *Curius* rapas in ollâ coquebat. Samnitibus itaque reſpondit: *cet.*

comederet, Samnitum legatis reſpondit: nihil opus eſt auro tali cœnanti cœnam. *Bruſ. lib.* 5. *cap.* 22.

Cajus Poncius Samnis ajebat: (a) utinam ad illa tempora fortuna me ſervaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus diutius eos imperare. *Cicer. lib.* 1. *de Offic.*

Reſpublica.

LYcurgus (b) quidquid erat rerum ſupervacanearum e civitate ejiciendum curavit: adeo ut nec negotiator, nec ſophiſta, nec vates, nec circulator, nec † lautitiarum artifex Spartam ingrederetur. Nec enim paſſus eſt illhic eſſe pecuniam talibus utilem: tantum ferream monetam cudit, † quæ pondere Ægineticam æquabat, valore æreos quattuor. His remediis expugnavit avaritiam. *Plut. in Lacon.*

Quum pecuniæ eſſent in Lacedæmoniorum regionem convectæ, qui eas importarant morte damnati ſunt. Siquidem (c) Alcameni ac Theopompo regibus hoc oraculum erat redditum: pecuniarum amor Spartam perdet. Nihilo ſecius tamen Lyſander, devictis Athenienſibus, magnam auri argentique vim invexit: nec ſolum pecunias receperunt; verum etiam ipſi viro honos eſt habitus. Proinde Sparta donec Lycurgi legibus uteretur, nec a jurejurando recederet, † ſexcentis annis in Græcia primas tenuit, & legum æquitate & gloria. Ceterum quum ab his paullatim defluerent, inundaretque obiter divitiarum amor, & avaritiæ malum; non ſolum ob hæc decrevit illorum potentia, verum etiam quibus antea ſociis & amicis in bello fuerant uſi, eos inimicos habere cœperunt. Porro quum ita ſe gererent, tamen poſt Philippi Macedonis in Chœroneâ victoriam (quamquam Græci ceteri omnes illum imperatorem terrâ pariter ac mari declaraſſent, ac poſt hunc Alexandrum

(a) *Contra avaritiam.* (b) *Tit. Deliciæ. Tit. Avaritia.* † *Cruſerius*: Fraudum architectus. *Regius*: Apparatuum artifex. † *Sc. Mnam, ſive minam. Ex Cruſerii, & Regii interpretationibus.* (c) *Tit. Avaritiæ. Tit. Luxus. Deliciæ.* † *Al.* Quingentis annis.

drum filium everſis Thebanis); ſoli Lacedæmonii, tametſi civitatem haberent nullis cinctam muris, eſſentque non modo perpauci propter aſsidua bella, ſed multo quam antea imbecilliores; quoniam adhuc ſervabant admodum exiguas quaſdam Lycurgicarum legum ſcintillas, non ſe præbuerunt belli ſocios, nec ceteris Græcis, nec poſt Macedonicis regibus; nec in commune cum illis conſilium venerunt; nec tributum pendere coacti ſunt, donec per omnia contemtis Lycurgi legibus, a propriis civibus tyrannide oppreſsi ſunt: ita ut nihil jam reliquum eſſet patriæ inſtitutionis; ſed reliquorum ſimiles effecti, & gloria & libertate quam prius obtinuerant exuti ſunt, & in ſervitutem traducti: ac nunc quemadmodum ceteri ſub Romanorum vivunt imperio. Grave documentum univerſis, imperia virtute parari; avaritiâ, luxu, deliciiſque vel perire, vel verti in tyrannidem. *Plut. in Lacon. inſtit.*

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, ad cives ſuos qui ſcripſerant, (a) quo pacto hoſtium impetum repellere poſſent? ſi pauperes (ait) manſeritis, & contentiones mutuas deponetis. *Bruſ. lib. 2. cap. 4.*

Antiſthenes (b) rogatus, quæ res portenderet civitatibus exitium? quum in his, inquit, non poteſt eſſe bonorum ac malorum diſcrimen. Sentiens eam Rempublicam non poſſe conſiſtere, ubi nec eſſet honos virtuti, nec pœna ſceleratis. *Laërt. lib. 6. cap. 1.*

Thales eam Rempub. ſalvam eſſe putabat, quæ cives nec prædivites, nec admodum pauperes contineat. *Stob. ſerm. 41.*

Chilo (c) optimam pronuntiavit Remp. quæ maxime leges, minime autem rhetores audiat. *Ibidem.*

Antiſthenes rogatus, quo modo ad Rempub. capeſſendam ſit eundum? velut (inquit) ad ignem: ne nimis admotus, exuraris; procul amotus, frigeſcas. *Bruſ. lib. 4. cap. 5.*

Ageſilaus rogatus a quopiam, cur Spartanorum Reſpub. præ ceteris ſecundis rebus floreret? quoniam (inquit) plus ceteris in hoc ſe exercent, (d) ut pariter & imperare, &

(a) *Tit. Paupertas. Tit. Pax.* (b) *Tit. Juſtitia.* (c) *Tit. Juſtitia.* (d) *Tit. Obedientia civilis.*

parere ſciant. Senſit vir prudentiſsimus, cives diſciplinæ capaces, cauſam eſſe incolumitatis. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Solon (a) interrogatus, quanam ratione nullum in urbe ſcelus perpetraretur? dixit: ſi tam indignarentur illi quibus non eſt facta injuria, quam quibus facta eſt. Senſit autem vir prudentiſsimus, tum demum ſalvam eſſe Remp. quum qui boni viri ſint, malos pœnis coërcent, ne inſontes afficiant contumeliâ. *Stob. ſerm.* 41.

Theophraſtus (b) interrogatus, quidnam vitam humanam conſervaret? reſpondit: beneficentia, honor, & pœna. *Stob. ſerm.* 41.

Ariſtidi erat ſimultas cum Themiſtocle. Huic quum delectus eſſet collega ad peragendam legationem, vis (inquit Themiſtocles) ut in his montibus ſimultatem deponamus? Nam ſi videbitur, reverſi illam reſumemus. Privatos affectus publicæ poſthabuit utilitati. Ex his enim fere omnis humanæ vitæ pernicies naſcitur. *Plut. in Græc. Apoph.*

Demades orator (c) prandens apud Phocionem, quum apparatum admodum tenuem videret: demiror (inquit) o Phocion, te Rempub. adminiſtrare, quum poſsis ad iſtum prandere modum. Bis errans, & quod lucri tantum causâ putaret adeundam Rempub. & quod luxum probaret in eo, cui maxime conveniebat ſobrietas. Sed Demades alios e ſuis moribus æſtimabat. Erat enim & pecuniarum avidus, & luxui deditus. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Solon (d) Rempub. duabus rebus contineri dicebat, præmio & pœnâ. *Bruſ.*

Lacæna (e) quum filium in prælium miſiſſet, & interfectum audiſſet: idcirco (inquit) genueram, ut eſſet qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. *Cicero lib.* 1. *Tuſculan.*

M. Cicero (f) Philip. 2. ait: duo hæc opto, ut moriens populum Romanum liberum relinquam: hoc mihi majus a diis immortalibus dari nihil poteſt. Alterum, ut ita cuique eveniat, ut de Repub. quiſque mereatur.

Pot-

(a) *Tit. Zelus Juſtitiæ.* (b) *Tit. Juſtitia.* (c) *Tit. Frugalitas.* (d) *Tit. Juſtitia.* (e) *Tit. Pietas in patriam.* (f) *Tit. Superbia. Tit. Juſtitia.*

Potentes, Potentia.

POmpejus Magnus, quum ex litteris Senatus intellexiſſet, omnia quæ Sylla armis obtinuerat, in ipſius poteſtatem eſſe tradita, populi ſuffragiis centuriatis, percuſſo femore dixit: proh nunquam finienda pericula! quanto ſatius erat obſcurum naſci, ſi a militaribus curis nunquam dabitur recedere: nec hac exuto invidiâ licet cum uxore in rure vitam degere? Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus: ſed deponere tutum non eſt. *Plut.*

Solon dicebat, (a) opulentiam eſſe matrem ſaturitatis, ſaturitatem ferociæ atque violentiæ. Divitias comitatur luxus: luxus exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 3.

Dionyſius ſenior Syracuſanorum tyrannus, quum filium reprehenderet, quod Syracuſani cujuſdam civis uxori vim intuliſſet, atque inter alia diceret: ſi unquam audiviſſet, a ſe rem ſimilem factam fuiſſe? Filius eo tempore reſpondit: id accidit, quod nunquam patrem regem habuiſti. Hinc liquet, potentiam flagitiis multis occaſionem præbere. *Fulgoſ. lib.* 7. *cap.* 3.

Nobilis, Nobilitas.

EUmenes inſidiis petitus a Perſeo, credebatur extinctus. Is rumor quum Pergamum eſſet perlatus, Attalus ejus frater impoſito ſibi diademate, ductâque fratris uxore, regnum occupavit. Ceterum quum audiſſet illum vivum, ut ſolebat, profectus eſt illi obviam una cum ſatellitibus, haſtam geſtans. Eumenes autem (b) amanter eum amplexus dixit in aurem: ne feſtines ducere, prius quam mortuum videris: nec præterea per omnem vitam ullam offenſi animi ſignificationem vel dicto vel facto dedit: quin etiam moriens fratri & uxori regnum reliquit. Cujus animi memor Attalus (c) quum multos ex ſe liberos haberet,

(a) *Tit. Divitiæ.* (b) *Tit. Clementia.* (c) *Tit. Gratitudo.*

ret, nullum tamen regno educavit; ſed Eumenis filio, poſtea quam adoleviſſet, adhuc vivens principatum tradidit. Neſcias quid in his duobus fratribus laudare prius debeas, an alterius comitatem & clementiam; an alterius vere germanam nobilitatem, & animi gratitudinem. *Plut. in Reg. Apoph.*

Socrates opes & nobilitatem, non ſolum nihil in ſe habere honeſtatis, verum etiam & malum omne ex his oboriri dicebat. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 5.

Antigonus rex Bionem de ignobilitate criminatum interrogavit: quis, & cujas es? ubi tua civitas eſt? ubi ſunt tui parentes? Cui Bion reſpondit: atqui (o rex) bene facis, quum indiges ſagittariis, quod non interrogando genus, ſed ſcopum proponendo, optimos illorum tibi deligis. Sic igitur amicos explora, non unde nati, ſed qui & quales ſint. *Stob. ſerm.* 84.

Quum quidam Alphonſum Aragonum regem hoc nomine plurimum commendaret, quod ex antiquiſsima & nobiliſsima regum familia originem duceret; ille contra reſpondit: nihil eſſe quod in vita minoris ipſe duceret, quam quod ille tanti facere videretur. Laudem enim illam non ſuam, ſed majorum ſuorum eſſe: quippe qui juſtitiâ, moderatione, atque animi excellentiâ ſibi regnum comparaſſent: ſucceſſoribus quidem oneri regna cedere; & ita demum honori, ſi virtute potius quam teſtamento illa ſuſcipiant. *Panor. lib.* 2. *de Reb. geſt. Alphon.*

Plato philoſophorum ſapientiſsimus, & qui eum ſecuti ſunt, a quibus parum admodum Ariſtoteles aberrat, quattuor nobilitatis ſpecies facit. Primam eorum qui claris juſtiſque majoribus orti ſunt: ſecundam eorum, quorum parentes, potentes ac principes exſtiterunt: tertiam eorum, quorum majores domi militiæque aliquâ illuſtriore gloriâ claruerunt. Quartam nobilitatis ſpeciem facit eam, quam omnium excellentiſsimam eſſe oſtendit, quum quiſpiam animi ingenuitate & magnitudine excellit, ſuæque laudis virtute nititur: & hunc vere nobilem appellandum cenſet, cui non aliena, ſed ſua virtus ad gloriam opitulatur. His autem quattuor ſpeciebus quintam etiam addit Ariſtoteles,

eo-

eorum ſcilicet, qui illuſtriore aliqua diſciplina claruerunt: & jure optimo: nam non modo ſe familiamque ſuam clariorem reddunt; verum etiam urbes ac provincias e quibus oriundi ſunt illuſtrant. *Ex Franciſ. Senenſ. lib. 6. de Inſtit. Reip.*

Vulgus.

DEmoſthenes inter fugiendum fertur (ſubinde reſpiciens ad arcem Palladis) ſublatis manibus dixiſſe: o Pallas urbium domina, cur tribus infauſtiſsimis beſtiis delectaris, noctuâ, dracone, & populo? Noctua, quum ſit avium inauſpicatiſsima, tamen Palladi ſacra eſt: quemadmodum & draconem habet pro geſtamine: populus autem bellua eſt multorum capitum, peſsimam gratiam referre ſolita optime de ſe meritis, ut Socrati, Ariſtidi, Phocioni, &c. His quidem verbis ille vir eloquentiſsimus, non modo graviter, ut debuit, in populum invectus eſt: ſed ejus etiam naturam & ingenium ſapienter explicavit, eum cum noctuâ ac ſerpente conjungens. Nulla enim noctua ſic luce ſolis, ut multitudo ſplendore virtutis offenditur. Nullus draco tam vaſtus & immanis eſt, qui ſit conferendus cum feritate populi, multiplici lapſu, & impetu furente omnia pervertentis. *Oſor. lib. 2. de Gloria.*

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, quum omnem Lacedæmoniorum Remp. ſaluberrimis legibus reformaſſet, corruptiſsimoſque populi mores caſtigaſſet, malam mercedem hinc reportavit. Cives enim indigne omnia ferentes, ſaxa in illum mittebant; & lapidibus obruiſſent, niſi per forum fugâ elapſus fuiſſet. Magna profecto populi ingratitudo erat, qui hunc vitâ orbare cupiebant, a quo legibus bene inſtituta eſſet Reſp. & omnium quæſita laus. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Polycletus inſignis ſtatuarius eodem tempore duo ſimulacra fecit, alterum ad arbitrium plebis, alterum juxta peritiæ artiſque normam. Gratificatus vero plebi hoc modo eſt. Ad ſingulorum acceſſum, tranſpoſuit & commu-

tavit aliquid, morem gerens uniuſcujuſque voluntati. Itaque propoſuit utrumque: & alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac riſui habuerunt. Reſpondens autem Polycletus: at hoc quidem quod vituperatis, & reprehenditis, a veſtra arte profectum eſt; quod vero ſuſpicitis, ego meâ facultate ſum fabricatus. Hinc apparet, quam præpoſterum & corruptum ſit fere rudis vulgi judicium. *Ælian. lib.* 14. *de Var. hiſt.*

Ariſtides procurator fiſci, quod munus ſanctiſsime geſſerat, tamen a Themiſtocle delatus eſt, ac repetundarum damnatus. Sed optimatum favore, non ſolum illi mulcta remiſſa eſt, verum etiam eidem redditus eſt muneri: quod per ſimulationem ſic adminiſtravit, ut omiſsâ priſtinâ ſeveritate, lenem ſe facilemque præberet iis, qui publico malo gaudent diteſcere. Horum operâ factum eſt, ut populus tertio munus ſummis favoribus idem deferret Ariſtidi. Tum ille: (a) ob integre geſtum munus damnaſtis: nunc quoniam præter æquum multa conceſsi civitatis expilatoribus, honore dignum judicatis. Hoc igitur honore delato, plus mihi dedecoris afferri puto, quam damnato ac mulctato irrogaſtis. Norat, quibus artibus poſſet fieri gratioſus apud populum, niſi maluiſſet juſtus eſſe quam plauſibilis. Hoc dicto notavit vulgi perverſum judicium, quod ea quæ profutura eſſent Reipub. ubique damnat; quæ nocent, ſummis evehit laudibus. *Plut. in Themiſtocle.*

Socrates eos qui multitudini imperitæ fidem habent, ajebat perinde facere, ac ſi quis tetradrachmum unum contemnens rejiceret; & acervum e ſimilibus congeſtum probaret reciperetque. Cui non fideres ſoli, ei nihilo magis fidendum eſt in turba ſimilium. Nec enim refert quam multi ſint, ſed quam graves. Numus adulterinus etiam in quovis magno acervo adulterinus eſt. Hoc adverſus turbam teſtium, & indocti vulgi judicia. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 5.

„ Hinc merito Quintilianus oratorum ſortem miſeratur, „ quum in concione dicturi ſunt. Ille (inquit) timendus in „ turba, quem quum videris ſolum, deſpicias. „

Athenienſes quum oraculum conſuluiſſent, reſponſum eſt:

(a) *Tit. Juſtitia inviſa.*

eſt: in civitate unum eſſe virum, qui cunctorum ſententiis adverſaretur. Verum quum populus vociferans juberet hominem tam pernicioſum inquiri, Phocion philoſophus clamans ait: non eſt opus, viri Athenienſes, ut inquiratis: ego enim is ſum, cui veſtra vita veſtrique mores diſplicent. Mira enim erat multitudinis in omnia vitia licentia. Honeſto igitur zelo ductus philoſophus, illud quod verum erat, impavide dicere auſus eſt. Verum ab Athenienſibus deinde damnatus, & capite plexus eſt. Nec ſatis erat crudeliter tractaſſe vivum: edixerunt etiam, ne a ſuis tangeretur, nec ſepeliretur. *Plutarch. in Græcor. Apoph. & in ejus vita.*

Antiſthenes, quum quodam die theatrum ingrederetur, ipſe adverſus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus autem, quam ob rem id faceret? hoc (inquit) in omni vita facere ſtudeo. Sentiens hoc ſapientis eſſe viri, in omnibus actionibus a multitudine diſsidere: propterea quod vulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione. *Laërt. lib. 6.*

Phocion quodam die orationem habens apud Athenienſes, placebat omnibus. Quumque videret ab omnibus pariter ſermonem approbari, converſus ad amicos; quid? inquit: num mali quippiam dixi imprudens? Adeo perſuaſum habebat, nihil placere vulgo, quod a recto judicio proficiſceretur. *Plut. in Græcor. Apoph.*

Themiſtoclem quum Athenienſes contumeliâ afficerent, in quos multa contulerat beneficia, ajebat ſe ſimilem eſſe platanis, ſub quarum umbram accurrunt homines afflicti tempeſtate, & eaſdem ſimul ut abiit tempeſtas evellunt. Senſit vir prudentiſsimus, vulgi mores eſſe, ut in belli periculis implorent opem fortium virorum; in pace vero contemnant. *Plut. in Græcor. Apoph.*

Hippomachus † fiſtulicen, quum diſcipulus ſuus aberraret ab arte inter fiſtulandum, & nihilo minus plauſum auditorum aſſequeretur, percuſsit eum baculo dicens: perperam fiſtulaſti: nam alioqui hi tibi non applauderent. *Ælianus lib. 14. de Var. hiſtor.*

† *Id eſt: fiſtulator, fiſtularius, ſive fiſtulâ canere ſolitus.*

Polycarpus, quum fidei ſuæ rationem Herodi proconſuli reddere paratus eſſet, diemque poſtularet quo cum proconſule agere poſſet: proconſul voluit ut coram populo ſe excuſaret. Cui Polycarpus: non faciam (inquit) quum principibus & poteſtatibus honos debeatur, modo Deo non ſit contrarius; populo autem furenti ſatisfacere nemo poſſit. *Euſeb. lib.* 4. *Eccleſ. hiſtor. cap.* 15.

SECUNDA CLASSIS IN QUA VIRTUTUM & vitiorum loci collocantur.

VIRTUS.

Diogenes dicebat, homines ſummâ curâ quæ faciunt ad vivendum perquirere: ſed quæ ad bene vivendum conducant, nihili pendere & negligere. *Stob. ſerm.* 2.

Iſocrates rhetor videns ex diſcipulis quemdam agri ſui colendi ſtudioſum, ceterum in exornandis moribus deſidem: vide (inquit) ne agrum mitiorem cultioremque faciens, tu incultus animo ac agreſtis prorſus evadas. *Stobæus.*

Lampis negotiator interrogatus, quo modo ſibi paraſſet divitias: magnas (inquit) haud difficulter; exiguas vero, cum labore ac tarde. Sentiens, initio paullatim magnâque vigilantiâ corradi pecuniam: ceterum paratâ jam ingenti ſorte, facile eſſe amplis lucris diteſcere. *Plut. in libello: An ſeni ſit capeſſenda Reſpub.*

„ Hoc dictum ad virtutis ſtudium traduci recte poteſt: „ quæ initio quidem paullo difficilior; hac vero difficulta„ te ſuperatâ, ad cetera omnia facilis aditus eſt. „

Diogenes (a) bonos viros dicebat eſſe deorum ſimulacra. Deorum autem (quum ſint optimi naturâ) proprium eſt benefacere omnibus, nocere nemini. *Laërt. lib.* 6.

Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita? vir probus & moderatus, reſpondit: quoniam (b) etſi inter multos improbos agat, non tamen pervertitur. *Stob. ſerm.* 35.

Al-

(a) *Tit. Liberalitas.* (b) *Tit. Societas improborum.*

Alphonſus Aragonum rex audiens ab agricultoribus mala punica, quæ naturâ acria eſſent, arte & diligentia fieri dulcia: cur non etiam nos (inquit) cives & populares noſtros ingenio malo pravoque præditos, induſtriâ & labore meliores reddimus? Innuit autem populi mores vix eſſe tam pravos, quin rite gubernantis ſtudio, labore, & induſtriâ meliores reddi queant. *Panor. lib.* 4. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Agathocles figulo patre natus fuit. Is vero quum Siciliâ potitus eſſet, rexque declaratus, ſolitus eſt in mensâ fictilia pocula juxta aurea ponere, eaque juvenibus oſtendens dicere: quum antea talia fecerim (commonſtratis fictilibus) nunc per vigilantiam ac fortitudinem talia facio, commonſtrans aurea. Non puduit priſtinæ fortunæ; ſed glorioſius exiſtimavit regnum virtute partum, quam ſi hæreditate obveniſſet. Nam regem naſci, nihil magni eſt: at regno dignum ſe præſtitiſſe, maximum eſt. *Plut. in Reg. Ap.*

Antiſthenes dicebat, virtutem eſſe armaturam quæ detrahi non poſſet. Enſis enim & clypeus excutiuntur: ſapiens autem ac virtute præditus nunquam non armatus eſt; eoque vinci non poteſt. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Idem dicebat, virum juſtum pluris faciendum quam cognatum. Arctiora enim ſunt vincula virtutis, quam ſanguinis. Et omnis bonus bono proximo cognatus eſt, propter animorum ſimilitudinem. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Diogenes quoniam Cynicus erat, canis dictus eſt: & hoc vitæ genus a multis laudabatur, nemo tamen imitabatur. Itaque dicere ſolitus eſt, ſe canem eſſe laudantium; ſed laudatorum neminem cum laudato cane audere venatum ire. *Laërt. lib. 6.*

Socrates quum aliquando in colloquium cum Theodotâ meretrice formoſiſsimâ veniſſet, ad Socratem dixiſſe meretrix fertur: ego quidem (o Socrates) multum tibi præſto. Nam quum tu neminem ex meis a me poſsis abalienare; ego quum libitum eſt, tuos omnes a te voco. Cui reſpondit Socrates: non mirum quidem eſt hoc. Tu ſiquidem ad declivem tramitem omnes rapis: ego vero ad virtutem cogo, ad quam arduus & pleriſque inſolitus eſt aſcenſus. *Ælian. lib.* 13. *de Var. hiſtor.*

Al-

Alphonſus Aragonum rex percontatus a ſuis, cur ſine ſatellitibus ſæpe numero incederet? ſe innocentiâ aſſociatum incedere reſpondit. Innuit autem rex prudentiſsimus, eum demum bene munitum eſſe ab injuriâ, qui propriam innocentiam habet comitem: eos vero nullibi eſſe tutos, qui male ſibi conſcii, etiam pericula ſibi fingunt, ubi plane nulla ſunt. *Panor. lib.* 1. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Zeno quum aſcenderet in theatrum, citharâ canente Amœbeo, verſus ad diſcipulos dixit: eamus, ut pernoſcamus quam vocem, quemque concentum edant inteſtina, nervi, ligna, & oſſa, quibus adeſt tractatio, numerus, & ordo. Quod ſi in rebus inanimis tantum valent illa; quanto plus valebunt, ſi in omni hominis vita ſerventur? *Laërt. lib. 9. cap.* 5.

Intentio in opere virtutis.

PLato Athenienſis, quum a Dionyſio faſtidiretur, poſcit congrediendi copiam: eâ datâ, hunc in modum differuit: ſi quem ſentires in Siciliam appuliſſe hoc animo, ut tibi malefaceret, qui tamen non data opportunitate, nihil mali faceret; an hunc impune dimitteres? Quum Dionyſius reſpondiſſet: nequaquam, o Plato: oportet enim hoſtium non facta ſolum, verum & animi propoſitum ulciſci; Plato ſubjecit: tum ſi quis tibi bene volens veniſſet in Siciliam, ut tibi boni quippiam adferret, non faciat autem deſtitutus occaſione, num par eſſet hunc nullâ relatâ gratiâ contemtum abjicere? Dionyſio percontante, quis eſſet ille? Æſchines (inquit) vir morum ſanctimoniâ cum quovis amicorum Socratis conferendus; & qui poſsit dicendo meliores reddere, cum quibus habeat conſuetudinem. Is quum multum maris emenſus adnavigarit, ut ſuam philoſophiam tibi impertiret, hactenus neglectus eſt. Hæc tam commoda oratio effecit, ut rex & Platonem cui prius erat infenſior amplecteretur, & Æſchinem ſplendide magnificeque tractaret. *Laërt. lib.* 3.

„ Hoc exemplo liquet, intentionem propoſitumque in

„ o-

„ omni opere ſive bono ſive malo maxime ſpectandam eſ-
„ ſe ; ſive probare aliquid , ſive improbare velis. „

Virtutis modus , videlicet ut recte quæ recta ſunt exſequamur.

RUſticus quidam (a) videns ad regem Artaxerxem varia deferri donaria , nec aliud habens quod largiretur, utrâque cavâ manu hauſtam a proximo flumine aquam, illi obtulit vultu alacri. Rex lætatus , † juſsit illi dari phialam auream , ac mille Daricis donavit hominem. *Plut. in Reg. Apoph.*

„ Hoc exemplo colligere poſſumus, non modo virtutis
„ opus, ſed multo magis operantis animum & alacritatem
„ a Deo probari , qui hilarem donatorem diligit. Sic vi-
„ duæ duo æra minuta , plus quam ingentia divitum mune-
„ ra grata habuit. „

Pambus , quum apud Athanaſium eſſet Alexandriæ, & videret mulierem theatralem , flevit : & interrogatus a præſentibus , quare fleret? duæ (inquit) res me movent : una, quæ eſt illius perditio : altera vero quod ego non tantum ſtudeo placere Deo , quantum hæc ut turpibus placere poſsit hominibus. *Tripart. lib. 9. cap.* 1.

Conſcientia bona & mala.

PEriander (b) interrogatus , quid eſſet libertas? bona conſcientia, dixit. *Stob. ſerm.* 22.

Chilon Lacedæmonius (c) ſæpe numero in ore habebat, damnum turpi lucro ſemper præferendum eſſe. Illud enim ſemel dolere ; hoc ſemper. Res amiſſa exiguo tempore dolet : ſceleris autem conſcientia ſemper cruciat animum. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 4.

Dio-

(a) *Tit. Eleemoſina alacriter danda.* † *Sequentia in Regii ac Cruſerii verſionibus non leguntur.* (b) *Tit. Libertas.* (c) *Tit. Avaritia.*

Diogenes Cynicus (a) neminem magis a timiditate liberum, & re vera animoſum eſſe dicebat, quam illum qui nullius mali ſibi conſcius eſſet. *Stob. ſerm.* 22.

Pythagoras (b) neminem tam audacem eſſe dicebat, quem mala conſcientia non faciat timidiſsimum. Non quieſcit enim animus male conſcius; ſed ab omni etiam vento pavet. *Stob. ſerm.* 22.

Idem dicere ſolebat (c) virum iniquum plus mali pati afflictum conſcientiâ, quam eum qui corpore caſtigatur & cæditur. Multo quidem graviores ſunt animi male ſani, quam corporis morbi. *Stob. ubi ſupra.*

Pythagoricus quidam philoſophus (d) coëmens ſibi a ſutore calceos, non promtam habens pecuniam, orat ut in craſtinum exſpectet diem: quo quum veniſſet ſatisfacturus, audit ſutorem jam defunctum eſſe. Non faciens igitur mentionem pecuniæ, numos non invitâ manu domum gratulabundus de facto jam lucro retulit. Verum quum ſceleris conſcientiâ ſubinde torqueretur, arreptam pecuniam in ſutoris domum projiciens ait: tibi vivit, qui aliis defunctus eſt. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

„ Quid hoc in loco Chriſtianus homo dicet, qui multis „ flagitiis, multoque ære alieno oppreſſus altum dormit? „

Vitium. Peccatum.

Diogenes quum in Stoicorum gymnaſio retrorſum incederet, ridentibus non nullis: non vos (inquit) pudet, vivendi iter facere retrogradum; mihi vero deambulando tantum id facienti vitio dare? *Stob. ſerm.* 2. *de Imprud.*

Timon ille, qui ab odio hominum Miſanthropos Græcis vocabatur, interrogatus, cur omnes oderet homines? quia (inquit) merito improbos odi; reliquos autem, quia improbos non oderunt. *Max. ſerm. 6.*

Rogerius Pallantiæ comes, ampliſsimo ac ornatiſsimo genere natus, impiger vir, & manu promtus, quum Alphon-

(a) *Tit. Fortitudo.* (b) *Tit. Timor.* (c) *Tit. Peccatum.* (d) *Tit. Reſtitutio.*

phonſum adiens diceret : in animo ſibi eſſe Joannem Caſtellæ regem, ipſius hoſtem contemto omni periculo confodere ; foreque id ipſi (ſi modo annuat) factu perfacile: non per ſcelus , (a) ſed virtute gloriam quærendam eſſe, reſpondit Alphonſus. Se enim (b) non ſolum pro Caſtellæ ac Hiſpaniæ dominatu , ſed ne pro totius quidem orbis imperio adipiſcendo , tam crudele ac deteſtabile facinus permiſſurum. *Panor. lib.* 2. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Simili quodam modo reſpondiſſe dicitur exſuli Florentino , Coſmam Mediceum occiſurum pollicenti , ſi triginta non amplius manu militum a rege juvaretur. Longe quidem ampliores , & acriores hoſtes ſeſe & habuiſſe & habere dixit , quam Coſmas eſſet: quorum morte , vel regna conſequi ſe quidem potuiſſe ; ſed abſtinuiſſe a ſcelere. *Panor. lib.* 2. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Occaſiones peccatorum.

COtys , quum eſſet naturâ celer ad iram , ſævuſque caſtigator eorum qui in miniſterio deliquiſſent ; hoſpes quidam ad illum detulit vaſcula fragilia tenuiaque , ſed ſcite curioſeque elaborata. At is (c) hoſpiti quidem dedit munera , ceterum vaſcula omnia confregit. Demirantibus cur id faceret? ne (inquit) ſæviam in eos qui fracturi erant. Prudentis eſt , naturæ ſuæ morbum agnoſcere , & vitio materiam præripere. *Plut. in Reg. Apoph.*

Societas bonorum aut malorum.

THemiſtocles prædium vendens , præconem divulgare juſſit , quod vicinum quoque bonum habebat. Non parum enim refert , qualem virum tibi vicinum habeas. *Stob. ſerm.* 35.

Antiſthenes philoſophus dicere ſolebat , bonum virum moleſtam eſſe ſarcinam. Nam ſicut inſipientia bene fertur &

(a) *Tit. Honor.* (b) *Tit. Dilectio inimicorum.* (c) *Tit. Ira.*

& leviter: ſic prudentia graviter incumbens premit vehementer ſuopte pondere, nec facile poteſt excuti. *Philo Judæus, lib. Quod omnis probus ſit liber.*

Tentatio.

CRates Thebanus conſpicatus adoleſcentulum athleticum, vino, carne, & exercitatione corpulentiorem fieri: o miſer (inquit) deſine adverſus te met ipſum carcerem munire. *Max. monachus, ſerm.* 27.

Chilon Lacedæmonius (a) frequenter dicere ſolitus eſt: cave tibi ipſi, & cave te ipſum. Quorum primo admonuit, caute agendum eſſe cum hominibus, ne fraude circumventi decipiamur. Deinde unumquemque ſibi ſuſpectum eſſe oportere. Omnes enim fere cavent ſibi ab aliis: tamen interdum nemo magis hoſtis eſt homini, quam homo ſibi ipſi. *Laërt. in vita Chilonis.*

Blaſphemia.

POlycarpus martyr ab Herode proconſule admonitus, ut juraret fortunam Cæſaris, & convicia diceret in Chriſtum, reſpondit: octoginta & ſex annis ſervio ei, & nihil me læſit unquam: qua igitur conſcientiâ maledicerem, & blaſphemarem regem meum, qui ſalutem mihi dedit? *Euſeb. lib.* 4. *Eccleſ. hiſtor. cap.* 15.

Epicurus dicebat: ſi mortalium omnium votis Deus reſponderet, prope futurum eſſe, ut univerſum genus hominum pereat. Quando quidem videre eſt, tantas viciſsim, tamque diras & exitiales imprecationes hinc inde vulgo effundi. *Stob.*

Spes.

BIon Boryſthenites dicere ſolebat, impietatem malam eſſe contubernalem fiduciæ: & adjiciebat verſiculum Euripidis:

Ser-

(a) *Tit. Prudentia.*

Servum facit quemvis feroculum virum.

Senſit autem philoſophus clariſsimus (a) nullam omnino ſecuritatem habere locum, ubi male ſana ſit conſcientia: nec aperte poſſe loqui, cui re vera impietatis vitium poteſt objici: nec frui tranquillitate animi, qui deos ſibi non habet propitios. *Laërt. lib.* 4. *cap.* 7.

Bias roganti cuipiam, quid eſſet dulce hominibus? ſpes, ait. *Bruſ. lib. 6. cap.* 2.

Democriti circumfertur talis ſententia: ſpes recte ſapientium, voti compos fieri poteſt: inſipientium vero impoſsibilis eſt. *Stob. ſerm.* 108.

Socrates philoſophorum ſapientiſsimus (b) dicere ſolebat: nec mulierem ſine viro, nec ſpem bonam abſque labore quicquam utile parere. *Stob. ſerm.* 108.

Plato dicere ſolebat, ſpes eſſe vigilantium ſomnia. Ad quod alluſiſſe videtur Virgilius, quum ait:

.... An qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Cato ſenior de ſpe ſic prædicaſſe narratur, auctore Plutarcho: quod quæ magna eſſent, puſilla faceret; quæ puſilla, prorſus nulla. Sentiens, opinor, de periculis. Victoriæ namque ſpes extenuat omnia. *Eraſmus.*

Amor.

THemiſtocles Athenienſis filium ſuum quem mater adamabat, & in deliciis habebat, plurimum omnium Græcorum poſſe, colligebat hunc in modum: Athenienſes (inquit) dominantur Græcis; ego Athenienſibus; mihi mater; matri filius. *Plut. in Græcorum Apoph.*

Diogenes dixit, (c) amorem eſſe otioſorum negotium; quod hic affectus potiſsimum occupet otio deditos: ita fit, ut dum otio vacant, in rem negotioſiſsimam incidant, nec interim tamen quicquam bonæ rei agant. *Laërt. lib. 6.*

Di-

(a) *Tit. Conſcientia.* (b) *Tit. Labor.* (c) *Tit. Otium.*

Dilectio erga inimicos.

DIogenes Cynicus ad ſalutem opus eſſe dicebat, aut fidis amicis, aut acribus inimicis: eo quod illi monent; hi redarguunt, & reprehendunt. *Laërt. lib. 6.*

Alphonſus Aragonum rex, oblatrantibus canibus & rebellantibus, offulam objiciendam dictitabat: intelligens, malevolos homines vincendos eſſe beneficiis. *Pontan. cap.* 30. *de Liberalitate.*

Antiſthenes philoſophus Athenienſis frequenter dicere ſolebat, hoſtes in bello obſervandos eſſe; quod ii primum omnium ſentiant, ſi quid delinquas. In hoc igitur utiliores ſunt nobis quam amici, ut errata noſtra cognoſcamus, & cognita corrigamus. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Onomademus Chius, poſtea quam adverſam factionem ſuperaſſet, quibuſdam cenſentibus omnes adverſæ factionis urbe pellendos, negavit expedire, dicens: ſe vereri ne omnibus inimicis ad unum ejectis, inter amicos exſiſterent diſsidia. Sentiens ſic eſſe multorum ingenium, ut ſi deſint inimici in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Xenophon dicebat, (a) eſſe prudentis cordatique viri, etiam ab inimicis utilitatem capere. Vulgatum eſt, neque ſolem, neque aquam, neque ignem magis utilem eſſe hominibus quam amicos. Sed ingentis philoſophiæ eſt, quemadmodum periti medici ex beſtiis ac ſerpentibus utilia quædam remedia colligunt: ita ex inimicorum odio decerpere aliquid, quod vertant in ſuum bonum. *Eraſ. lib.* 7. *Apoph.*

Carolus Francorum rex, quum quidam ſe offerrent, qui Renati Andegavenſium ducis & hoſtis ſui atrociſsimi mortem promitterent inſidiis parandam: non tantum hoc fieri noluit; ſed, ut in parricidas, ſe in eoſdem animadverſurum dixit, ſi hoc tentarent. Dicens, nequaquam inſidiis cum hoſte de regno; ſed manu tantum & virtute dimicaturum. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Al-

(a) *Tit. Amicus.*

Alphonſus iis, qui ſe ad morten. Franciſci Sfortiæ hoſtis ſui paratos eſſe ſignificaſſent, reſpondit: nunquam ſibi victoriam placuiſſe, cujus poſtea pigendum pudendumve eſſet. Igitur ut ab hujuſmodi conſiliis abſtineant, talia exempla in illos editurum, ut ejuſmodi conſilia ſibi admodum moleſta eſſe omnes intelligant. *Panor. ubi ſup.*

Diogenes Cynicus interrogatus a quodam, quo pacto maxime poſſet ulciſci inimicum? ſi te ipſum (inquit) probum, & honeſtum virum præſtiteris. *Laërt. lib. 6.*

Theodoſius Romanorum imperator, aliquando ex familiaribus cuidam dicenti, neminem illorum ab eo morte mulctatum eſſe, qui injurii ei fuiſſent, reſpondit: utinam eos etiam in vitam revocare poſſem, qui jamdudum mortui ſunt. *Nicephorus lib.* 14. *cap.* 3. *Eccleſ. hiſt.*

Pittacus Mitylenæus habens poteſtatem puniendi quempiam qui contumelioſus in ipſum exſtiterat, dimiſit inquiens: venia ultione melior eſt. Illa namque mitis eſt ingeniis; hæc autem ferini. *Stob. ſerm.* 17.

Democritus dicebat: prudentis eſſe futuram injuriam præcavere: indolentiæ vero, quod factum eſt non ulciſci. *Stob. ſerm.* 1. *de Prudentia.*

Ariſtides quum iret exſulatum, ſublatis in cælum manibus deos comprecatus eſt, ſic proſperarent res Athenienſium, ut illis Ariſtides nunquam veniret in mentem. In rebus enim afflictis ſolet populus ad egregios viros confugere. Id quod evenit: ſiquidem tertio poſt anno, quum Xerxes Atticam adoriri ſtatuiſſet, Ariſtides ab exſilio revocatus eſt. *Plut. in ejus vita.*

Phocioni quum poculum cicutâ temperatum porrigeretur, percontatus eſt quiſpiam, ſi quid filio vellet dicere? nam is aderat. Ego (inquit) tibi, fili, præcipio atque etiam obſecro, ne quid ob hujus rei memoriam Athenienſibus male velis. *Plut. in Græcorum Apoph.*

Ageſilaus Lacedæmoniorum rex, quum audiret quoſdam clam ſibi infenſos eſſe, non tantum non de ultione cogitavit; ſed in militum duces elegit, & apud magiſtratus accuſatos defendit: & hac arte, ex hoſtibus ſibi amiciſſimos reddidit. *Plut. in Lacon.*

Thraſibulus, quum populum Athenienſem a triginta tyrannis pulſum reſtituiſſet; plebiſcitum legemque oblivionis tulit, ne præteritarum rerum fieret mentio. *Bruſ. lib.* 3.

„ Hoc idem Conſtantinus imperator in Concilio Ni-
„ cæno feciſſe memoratur, reſciſis omnibus accuſationum
„ libellis, qui ſibi ab Epiſcopis fuerant oblati: ut hoc fa-
„ cto injuriarum omnium memoriam aboleret. „

Amicitia, Amicus.

EPaminondas dicere ſolebat, non prius interdiu diſcedendum e foro eſſe, quam aliquem amicum ad veteres adjeceris. *Ælianus lib.* 14. *de Variar. hiſt.*

Antalcidas (a) quum interrogaretur, quo pacto quis amicos ſibi facere poſſet? reſpondit: ſi loquatur illis jucundiſsima; præſtet autem utiliſsima. Quo dicto innuit, in parandis amicis adhibendam eſſe primo ſermonis comitatem; in officiis autem præſtandis, utilitatem. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Alexander Macedo Ilium profectus, Achillis ſtatuam coronans: o te felicem (inquit) cui vivo talis amicus contigit! Loquebatur autem de Patroclo, qui fidiſsimus Achilli amicus fuit. *Plut. in vita Alexandri.*

Scipio minor dicere ſolebat: nihil difficilius eſſe, quam amicitiam uſque ad extremum diem permanere. Mutantur enim aliquando mores, alias adverſis rebus, alias ingraveſcente ætate: aut dirimuntur contentione, vel luxuriæ conditione, vel commodi alicujus, quod idem adipiſci uterque poſsit. *Cicer. in Lælio.*

Cæſar Octavianus Auguſtus, quum Alexandriam vi cepiſſet, civibus omnibus & civitati ſe parcere dixit, propter Arium civem Alexandrinum, & olim ſibi ſumma familiaritate conjunctum. Raræ profecto clementiæ fuit Cæſar, qui propter unicum amicum, eam civitatem diripere noluit, quæ tamdiu pertinaciſsime rebellarat. *Plut. in Rom. Apoph.*

Demetrius Phalereus ajebat, veros amicos in rebus lætis adeſſe vocatos debere; in adverſis, invocatos & ultro. At vulgo fit ſecus. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 5.

Dio-

(a) *Tit. Affabilitas. Tit. Liberalitas.*

Dionyſius ſenior admiratus egregiam fidem Damonis & Pythiæ: rogo, inquit, ut me quoque in veſtram amicitiam recipiatis. Alteri tyrannus deſtinarat diem necis: quumque is pauculos dies petiſſet rerum domeſticarum ordinandarum gratiâ, hac lege impetravit, ut alter vas amici fieret hac conditione, ut ſi ille non rediſſet ad diem præſcriptum, hic plecteretur. (a) Rediit autem ad diem, mori malens quam amicum fallere. Ita ſervatus eſt uterque, ac regis amicitiâ decoratus. Tantum valet egregia virtus apud tyrannos etiam. *Eraſ. lib.* 5. *Apoph.*

Tarquinius Superbus jam exſul factus, dixiſſe fertur: ſe tunc denique cognoviſſe, quos habuiſſet amicos fidos, quos infidos; quum neutris gratiam referre poſſet. *Eraſ. lib.* 6. *Apoph.*

Idem, eos qui corpus tantum amarent, ſimiles eſſe ajebat mendicis qui ſemper egerent, ſemper inſtarent aliquid flagitantes. Rurſus, qui amici eſſent potius quam amatores, ſimiles eſſe his, qui proprium fundum poſſiderent, quem ſemper ſtudent reddere meliorem. Amator ſuam quærit explere voluptatem: amicus haud quaquam ad ſe ſpectans, hoc ſe putat ditiorem, quo meliorem reddiderit amicum. *Eraſ. ubi ſupra.*

Alexander interrogatus, ubinam ſuos haberet theſauros? amicos oſtendens ait: in his ſcriniis. Summâ enim liberalitate ſuos amicos ſemper ornavit Alexander. *Max. ſerm.* 6.

Chilonis dicterium eſt: ſic ama, tanquam oſurus: ſic oderis, tanquam amaturus. Hoc dicto admonuit, nec ſimultates tam acriter exercendas, ut præcludatur omnis in gratiam reditus: nec amicis adeo fidendum, ut illis committas, quo (ſi fiant inimici) poſsint te perdere. *Gellius.*

Pax, Concordia.

SCilurus octoginta liberos maſculos habens, quum eſſet moriturus, faſciculum jaculorum ſingulis porrexit, juſſitque rumpere. Id quum ſinguli recuſaſſent, eo quod vi-

(a) *Tit. Fides. Tit. Virtus.*

videretur impoſsibile ; ipſe ſingula jacula exemit , ac ita facile confregit omnia , filios admonens his verbis : ſi concordes eritis , validi invictique permanebitis : contra , ſi diſsidiis & ſeditione diſtrahemini , imbecilles eritis & expugnatu faciles. *Stob. ſerm.* 82. *& Plut. in Reg. Apoph.*

Scipio Africanus quum Numantinos ſæpe victores jam fregiſſet , obſeſſoſque tandem expugnaſſet , Tyreſium principem rogavit : qua de causâ Numantia aut prius invicta, aut poſt everſa fuiſſet ? reſpondit Tyreſius : concordia victoriam ; diſcordia exitium præbuit. *Bruſ. lib.* 2. *cap.* 4.

Iſæus Sophiſta Lacedæmoniis periclitantibus, ac de civitate mœnibus cingendâ conſultantibus , Homericum carmen recitavit:

Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea , atque viro vir.

Et adjecit : ſic mihi ſtate Lacedæmonii , & muris cincti ſumus. *Philoſt. in Sophiſt.*

M. Agrippa vir ingentis animi dicere ſolebat , multum ſe huic ſententiæ debere : concordiâ parvæ res creſcunt; diſcordiâ maximæ dilabuntur. *Bruſ. lib.* 2. *cap.* 12.

Bellum.

CHabrias illud frequenter dicere ſolebat , formidabiliorem eſſe cervorum exercitum duce leone , quam leonum duce cervo. Sentiens , totam belli fortunam pendere a virtute & prudentiâ ducis. *Plut. in Reg. & Imper. Græcor. Apoph.*

Numantini (a) quum a Scipione in fugam eſſent verſi , a ſenioribus caſtigati , quia quos toties fugarant , fugerent ; quemdam e junioribus dixiſſe ferunt : pecora quidem nunc eadem ſunt , ſed mutatus eſt paſtor. *Plut. in Rom. Apoph.*

Quum Lacedæmoniorum rex polliceretur ſe funditus everſurum civitatem quamdam , quæ ſæpe numero Lacedæmoniis negotium exhibuerat , non permiſerunt Ephori dicentes : (b) nequaquam abolebis juvenum cotem. Urbem infeſtam appellabant cotem juventutis , eo quod hoſtibus ſem-

(a) *Tit. Magiſtratus , Præpoſitus.* (b) *Tit. Exercitatio. Tit. Labor.*

ſemper præſentibus, ipſa juventus acueretur ad bellandi peritiam. *Plut. in Lacon.*

Antoninus Pius imperator (a) reprehendenti cuipiam eum, quod in hoſtes mitis fuiſſet, ac in conjuratos quos vicerat; ac dicenti: quid ſi hoſtes viciſſent? graviter reſpondit: nos non ſic deos colimus, nec ſic vivimus, ut illi nos vincant. *Bruſ. lib. 5. cap. 26.*

Scipio minor (b) poſtea quam venit in caſtra, multamque licentiam, laſciviam, ſuperſtitionem, ac luxum offendiſſet, divinos ac ſacrificos cum lenonibus protinus ejecit: quin & vaſa omnia juſsit amoliri, exceptâ ollâ, veru, & poculo fictili. Ex argenteis poculum librarum non amplius duarum permiſit, ſi quis habere vellet: balneis uti vetuit. Qui ungerentur juſsit ut ſeſe fricarent: jumentis enim quia manibus carent, opus eſſe alio a quo fricarentur. Edixit ut milites ſtantes pranderent obſonium non igni coctum: cœnarent autem diſcumbentes panem, aut pultem ſolam, & carnes aſſas ſive elixas: ipſe vero ſago circumtectus, obambulabat per exercitum dicens, ſe lugere exercitus dedecora. *Plut. in Rom. Apoph.*

Sybaritæ (c) quum mollitiâ perditiſsimi eſſent, ex iis quidam quum Spartam conceſsiſſet, Lacedæmoniorumque exactos duroſque mores aſpexiſſet; quaſi illorum vitam damnaret: non admirandum eſt (inquit) ſi in bellis, ne ita viverent, moriuntur. *Bruſ. lib. 4. cap. 6.*

Lamachus quemdam turmæ ducem in errorem lapſum objurgabat: qui quum dixiſſet, ſe poſtea nunquam id eſſe facturum: atqui non eſt in bello (inquit) bis peccare. *Plut. in Apoph.*

Miſericordia. Eleemoſina.

LUcullus quum Græcos quoſdam per dies aliquot magnifice tractaſſet, atque illi dicerent ſe mirari, quod tantum impendiorum ſuâ causâ faceret: non nihil (o hoſpi-

(a) *Tit. Clementia. Tit. Religio. Tit. Spes in Deum. Tit. Dilectio inimicorum.* (b) *Tit. Deliciæ.* (c) *Tit. Frugalitas. Tit. Deliciæ.*

tes) veſtrâ causâ, inquit; ſed maxima pars Luculli gratiâ. *Plut. in Rom. Apoph.*

„ Hanc ſententiam uſurpare merito poſſunt, qui in pau-
„ peres benefici & liberales ſunt : hoc enim officio non
„ tam aliis, quam ſibi conſulunt. „

Ariſtoteles Stagirites, cuidam increpanti, quod homini malo dediſſet eleemoſinam : non mores (inquit) ſed hominem commiſeratus ſum. Etiam improbis in neceſsitate ſuccurrit vir bonus. Debetur enim hoc officium, ſi non meritis illius qui juvatur, certe naturæ. Et bonus fieri poteſt, qui malus eſt. *Laërt. lib. 5. cap. 1.*

Demoſthenes interrogatus, quid Deo ſimile haberent homines? reſpondit : benigne facere. *Max. ſerm. 8.*

Gaſparus Schlick, qui trium Cæſarum cancellarius fuit, optare ſe dicebat, omnes reges aliquando privatos paupereſque fuiſſe. Nec enim ſatis miſeretur, qui nunquam fuit miſer. *Æneas Sylv. lib. 1. Commentar. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Conſolatio mœſtorum.

EUphrates Syrus, amiſsâ uxore, dicebat : o philoſophia! tyrannica ſunt præcepta tua : amare jubes; & ſi quis amiſerit quod amabat, dolore & mœrore affici prohibes. *Stob. ſerm. 97.*

Philoſophus quidam priſcus hujuſmodi ſermone Arſinoës reginæ luctum compeſcuit. Quum Juppiter (inquit) inter dæmones rerum faceret partitionem, Luctus non aderat, ſed partitione jam peractâ venit. Huic igitur quum Juppiter aliquid honoris tribuere vellet, nec eſſet quod daret (quippe jam conſumtis omnibus); tandem aſsignavit illi honorem qui mortuis impenditur, veluti lacrimas & mœrores. Quemadmodum igitur ceteri dæmones bene volunt iis a quibus coluntur, itidem & Luctus. Quod ſi fuerit abs te contemtus (o mulier) haudquaquam venturus eſt ad te : contra, ſi diligenter abs te colatur honoribus illi aſsignatis a Jove, mœroribus ac lamentis, diliget te: ſemperque tibi ſuppeditabit aliquid earum rerum, quibus

bus abs te perpetuo poſsit honorari, nempe mœroris & lacrimarum materiam. *Plut. in Conſolatione ad Apollonium.*

Solon quum ex amicis quemdam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatuſque eſt, ut per omnes ſubjectorum ædificiorum partes oculos circumferret. Quod ut factum animadvertit: cogita (inquit) nunc tecum, quam multi luctus ſub his tectis olim fuerint, hodieque verſentur, in ſequentibuſque ſæculis ſint habituri; & mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Qua conſolatione demonſtravit, urbes nihil eſſe aliud quam humanarum cladium conſepta miſeranda. *Valer. Max. lib.* 7. *cap.* 2.

Idem ajebat, ſi in unum locum cuncti mala ſua contuliſſent; futurum, ut propria ſua quiſque deportare dormum, quam ex omni miſeriarum acervo ullam aliam portionem ferre mallet. Quo colligebat, non oportere quemquam, quæ fortuito patiatur, tanquam præcipuæ & intolerabilis amaritudinis mala judicare. *Idem.*

Amaſis ad quemdam filio privatum dixit: ſi non triſtatus es, quum nondum filius eſſet; nec nunc quidem dolere debes, quum non amplius eſt. *Stob. ſerm.* 121.

Demonax quemdam filii mortem inconſolabiliter lugentem, & in tenebris abditum adiit, certo promittens ſe fitii umbram ab inferis revocaturum, ſi tres ex hominum numero ſibi nominare poſſet, qui nullius luxiſſent obitum. Quumque is cogitationem per omnes notos circumferens, ne unum quidem reperiſſet luctûs expertem: quid igitur (inquit) te ipſum diſcrucias homo, quaſi novum aliquid acciderit? *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Plato Athenienſibus dicebat, in morte amicorum quieſcendum eſſe; partim eo quod nondum liqueret, bonum eſſet an malum, quod accidiſſet; partim quod acerbe ferenti, nihil a luctu eſſet commodi. *Laërt. lib.* 3.

Epicteti vulgare dictum eſt: turpe eſſe muneribus apum potiones edulcare; rationem autem, deorum munus, non adhibere ad calamitatem amaritudinemque dulcorandam. *Ubi ſupra.*

Caſtigatio, ſive admonitio.

QUum multi bello capti venderentur, Philippus Macedonum rex in auctione ſedens, parum decenter veſtitus erat. Quidam igitur eorum qui vendebantur, exclamavit: parce mihi, Philippe: paternus enim ſum tibi amicus. Philippus interrogavit, unde nam hæc amicitia conflata eſſet? tum ille: volo (inquit) propius accedens dicere. Qui quum admiſſus eſſet, quaſi arcani quidpiam dicturus: demitte (inquit) clamydem aliquantulum; nam ad iſtum modum indecenter ſedes. Mox Philippus: hunc (inquit) dimittite liberum; neſciebam enim prius, illum mihi amicum eſſe. Senſit vir prudentiſsimus, eos præcipuos amicos eſſe, qui probe nos inſtituunt. *Plut. in Apoph. Reg. & Imper.*

Demonax frequenter dicere ſolitus eſt: non temere iraſcendum eſſe hominibus, ſi deliqüerint; ſed corrigenda eſſe vitia, medicorum exemplo, qui non indignantur ægrotis ſed medentur. *Eraſ. lib. 8. Apoph.*

Socrati acrius objurganti familiarem quempiam in convivio, Plato dixit: nonne ſatius eſſet, hæc illi dixiſſe ſeorſum? cui Socrates: & non tu quoque rectius feciſſes, ſi hæc mihi ſeorſum dixiſſes? Salſiſsime taxavit, hoc ipſum reprehendendo committentem, quod reprehendebat. *Eraſ. lib. 3. Apoph.*

Caligula Antoniæ aviæ pro ſuâ auctoritate monenti, ut quædam ſecus ageret: memento (ait) mihi omnia in omnes licere. Talia portenta tum principum titulo pertulit mundus: quæ non commemorarem, niſi ex his, principibus prodigioſæ feritatis horror invehatur. *Ex Suetonio.*

Invidia.

ALexander Macedo, ob aquarum defectum, in itinere ſiti laborabat. Ei igitur quum forte oblata eſſet galea aquâ plena, ubi galeam in manus accepit, circumſpiciens

ciens quos circa ſe habebat equites, demiſſo capite & fixis in potum oculis, inguſtatam reddidit aquam dicens: ſi ſolus bibero, hos mœror inſtigabit. *Bruſ. lib.* 1. *cap.* 9.

Bion Boryſthenites conſpiciens quemdam triſti vultu, qui habebatur invidus: neſcio (inquit) utrum tibi aliquid acciderit mali, an alteri boni quippiam. Invidus enim non minus diſcruciatur alienâ felicitate, quam ſuo infortunio. *Laërt. lib.* 4. *cap.* 7.

Antiſthenes abſurdum eſſe dicebat, triticum repurgare a lolio, bellum ab inutili milite, & a Repub. non ſecernere invidos. Significans, invidos tam eſſe inutiles civitati, quam lolium eſt tritico, & ignavus bello. *Laërt. lib.* 6. *cap.* 1.

Idem dicere ſolitus eſt, non aliter ac ferrum abſumitur rubigine; ita invidos ſuo ipſorum vitio contabeſcere. Ferrum enim etiam ſi nemo lædat, ex ſe gignit unde corrumpatur. *Laërt. ubi ſupra.*

Socrates interrogatus, quid bonis viris moleſtum eſſet? dixit: malorum felicitas. Quid malis? bonorum proſperitas. *Anton. Meliſ. ſerm. part.* 1.

Quum oſtendere vellet Ariſtoteles, quid eſſet invidia? antagoniſtam fortunatorum eſſe dixit. *Anton. Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 62.

Hippias dicebat, duplicem invidiam eſſe: juſtam quidem, quum quis invidet improbis honoratis; injuſtam, quum bonis. Et invidi duplo magis quam ceteri calamitoſi ſunt. Non enim ſolum propriis malis gravantur, ut alii; ſed alienis quoque bonis. *Stob. ſerm.* 36.

Actius Sincerus, rari vir ingenii magnæque nobilitatis, quum in conſpectu Friderici regis eſſet inter phyſicos quæſtio, quid præcipue conferret oculorum perſpicuitati? aliique fœniculi afflatum dicerent; alii vitri uſum; aliique aliud: at ego (inquit) invidiam ajo. Obſtupuerunt hoc dicto adeo medici, ut ab auditoribus deriſui haberentur. Tum ipſe: an non invidia, majora & pleniora omnia videre facit? Quid autem oculis magis præſentaneum, quam ut vis ipſa aſpiciendi major reddatur, ac vegetior? protulitque ſtatim Ovidianos illos verſus:

Fer-

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Pontanus.

Erat aliquando inter Epheſios Hermodorus (a) vir peregregius: qui quum doctrinâ ac probitate ceteris præſtaret, patriâ ejectus eſt. Sed admirantibus quibuſdam & rogantibus, cur ejuſmodi virum ejeciſſent? reſponderunt: nihil aliud cauſæ eſſe, niſi quod virtute & moribus nimis reliquos concives ſuos anteiret. Invidia enim non modo pleroſque viros clariſsimos peſſumdat; verum etiam civitatum nonnunquam ſtatum evertit, & urbes ipſas diruit. *Ex Franciſ. Senenſ. lib. de Inſt. Reip.*

Præclare de invidia fabulantur poëtæ, quum aſſerunt, peſtem illam apud inferos ſerpentibus veſci, & hydris recreari: ut oſtendant, invidos venenum deglutire, venenumque evomere. Aliena enim felicitas invidis toxicum eſt; nec lætari ullâ ex parte poſſunt, niſi ſuo veneno alios inficiant. At certe nihil turpius eſſe poteſt, nihilque magis contra humanitatem, quam alieno malo lætari, & alieno bono torqueri: quorum utrumque facit invidus. *Idem Franc. Sen. ubi ſup.*

Labor & induſtria.

DEmocritus dicebat: omnes labores quovis otio jucundiores eſſe, quando illa conſequuntur homines quorum gratiâ laborant, aut conſecuturos ſe ſciunt. Hoc etiam (b) ad ſpei titulum referri poteſt. Spes enim præmii laborem minuit. *Stob. ſerm.* 27.

Idem quum interrogaretur a quodam: quo modo laborioſi ac induſtrii differrent a deſidioſis? quo (inquit) impii a piis: (c) ſpe nimirum bona. Sperant quippe qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia: deſides autem præſentem ſemper intuentur paupertatem.

Quum Philippus Alexandri Magni pater, expeditionem & bellum in Corynthum apparare dicebatur, (d) Corynthii

(a) *Tit. Perſecutiones bonorum.* (b) *Tit. Spes.* (c) *Tit. Sup.* (d) *Tit. Exemplum.*

thii trepidi, rerumque ſuarum ſatagentes, ad opera certatim incumbere cœperunt: hic arma ſibi comparabat, ille lapides congerebat, alius muros in altitudinem ſubſtruebat, nonnulli propugnacula firmabant, alii aliud agebant, quod ad munitiones pertineret. Eorum itaque ſtudium Diogenes quum cerneret, nihil habens aliud commodius quod ageret, pallio ſuccinctus, dolium ſuum ſubvolvere & hinc inde vertere cœpit. Admirante autem quodam ejus amico, ac percontante, cur hoc ageret? reſpondit Diogenes: ideo volvo, ne unus inter tot operi intentiſsimos ceſſator eſſe videar. *Guido Bituri. tit. de Deſid.*

Idem (a) cuidam admonenti, ut jam ſenex quieſceret a laboribus: quid (inquit) ſi in ſtadio currerem? utrum oporteret jam metæ vicinum, curſum remittere, an magis intendere? Recte ſenſit, virtutis ſtudium hoc magis intendendum, quo minus ſupereſt vitæ; quod turpe ſit tum ab honeſto inſtituto refrigeſcere. *Laërt. lib. 6.*

„ Hoc exemplum ad ſenes etiam pertinet. „

Laconum adoleſcentes (b) perſeverabant abſque tunicis, veſtem unicam accipientes, corporibus ſqualidi: quippe a balneis, unguentiſque in totum abſtinentes; ut patientiâ laborum ad res præclare gerendas viam pararent. *Plut. in Lacon.*

Dionyſius emtum Laconicum coquum, parare juſsit Laconicum juſculum: paratum autem non comedit; ſed interrogavit, quodnam jus delectaret Lacones, quum illud inſuaviſsimum eſſet? Tum coquus, hoc juſculum non habere condimenta illa dicebat, quod Laconicum habet. Interrogavit Dionyſius, quænam eſſent illa? reſpondit coquus: (c) hujuſmodi condimenta apud te non ſunt; ante cibum, labores, ſudores, & balneum in Eurota flumine. *Stob. ſerm. 27.*

Apelles (d) nunquam tam occupatus fuit, ut diem prætermitteret in quo nihil omnino pingeret, artem exercens. Unde ſubducens ſeſe a negotiis dicere ſolebat: hodie nullam lineam duxi. Quæ vox abiit in proverbium de quovis officio prætermiſſo. Hoc exemplum ad ſtudium quoque

(a) *Tit. Senex.* (b) *Contra delicias.* (c) *Tit. Abſtinentia.* (d) *Tit. Studium pertinax.*

que ſapientiæ, de quo infra agitur, referri merito poteſt. *Plin. lib.* 10. *cap.* 35.

Veſpaſianus (a) quum vehementer angeretur vitiatis inteſtinis; nihilo ſecius imperatoriis muneribus fungebatur, adeo, ut lecto decumbens audiret legationes: & amicis hortantibus ut ſibi parceret, reſpondit: imperatorem, ſtantem mori oportere. *Suetonius.*

Florus hos verſiculos ſcripſerat in Cæſarem Hadrianum.

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.
Cui Cæſar reſpondit:
Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Sentiens (b) ſe honeſtas occupationes præferre inutili turpique otio. *Suetonius in vita Hadriani.*

Probus imperator (c) non patiebatur militem eſſe otioſum; ſed multa opera militari manu perfecit, dicens: annonam gratuitam militem comedere non debere. *Flav. Vopiſ.*

Alphonſus, quum reprehenderetur a Matthæo Siculo eximiæ ſanctitatis viro, quod propriis manibus laboraſſet, ſubridens: numquid (inquit) Deus & natura (d) nequicquam regibus manus dederunt? *Panor. lib.* 2. *de Reb. geſt. Alph.*

Lycurgus, quopiam percontante, quam ob rem virginum corpora curſibus, luctis, diſcorum ac telorum jactibus fatigaret? ut (inquit) fœtuum proſeminatio ab ipſa ſtatim radice validum in validis corporibus initium ſumens, recte germinet. Simul, ut ipſæ in perferendis partubus facile ſimul & generoſe certent adverſus pariendi nixus, doloreſque. Poſtremo (e) ſi qua incidat neceſsitas, ut poſſint & pro ſe, & pro liberis, & pro patria pugnare. Intellexit vir prudens, quanta Rerumpub. peſtis ſit, otium atque ignavia: contra, moderatos labores etiam corpora reddere tum firmiora, tum ſalubriora. Unde nec virginibus permiſit in otio vivere; ſed has quoque maſculinis exercitiis quodam modo vertit in maſculos: quum in pleriſque civitatibus per delicias ac luxum, maſculi transformentur in feminas. *Plut. in Lacon.*

Otium,

(a) *Tit. Rex.* (b) *Tit. Otium.* (c) *Tit. Sup. Tit. Bellum.* (d) *Tit. Rex.* (e) *Contra delicias, & otium.*

Otium, inertia.

MArci Catonis perfrequens fuit ſententia: nihil agendo homines, male agere perdiſcere. Quo dicto exſecratur omnem ignaviam, quæ multorum malorum ſæpe numero cauſa eſt. *Bruſ. lib.* 4.

Appius Claudius dicere ſolebat, populo Romano melius negotium, quam otium committi. Senſit vir ſapientiſſimus, populum Romanum laboribus & bellicis rebus plurimum incrementi ſemper accepiſſe: nimio autem otio & pigritiâ omnia deinceps in pejus corruiſſe. *Val. Max. lib.* 7. *cap.* 2.

Quodam interrogante, cur Argivos cum Lacedæmoniis bellum gerentes, quum ſæpe numero viciſſent, non deleverint? ne optaverimus quidem (inquit Cleomenes) illos deletos, ut habeamus qui juvenes noſtros exerceant. Perſpexerat egregius dux, corrumpi juventutem, ſi permittatur otio & luxui, malorum omnium magiſtro. *Plut. in Lacon.*

Scipio Naſica, quibuſdam dicentibus, res Romanas jam in tuto eſſe, extinctis Carthaginienſibus, & Græcis in ſervitutem redactis: immo (inquit) nunc demum ſummo in periculo ſumus, poſtea quam nulli ſuperſunt, quos vel timeamus vel revereamur. Senſit, inimicos per occaſionem utiles eſſe nobis: per quos non licet impune ſecureque negligentes eſſe. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Servilius Vatia, vir prætorius atque prædives, odio negotiorum abdiderat ſe in villam ſuam, quam habebat non procul a Cumis; nec aliâ re notus fuit, quam ejus villæ otio. Itaque qui negotiis premebantur, exclamare ſolebant: o Vatia! ſolus ſcis vivere. Hujus tamen ignavum & ſine litteris otium damnans Seneca Epiſt. 55. negat illum ſcire vivere, ſed latere. Eoque nonnunquam villam præteriens joco dicere ſolebat: hic ſitus eſt Vatia. Subindicans, nihil intereſſe inter mortuum, & inerti otio abditum. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Themiſtocles Græciæ dux fortiſsimus, deſidiam, hominis vivi ſepulturam vocavit: qui quum expletis centum & ſeptem annis ſe mori videret, dixiſſe fertur: ſe plurimum

mum dolere, quod vitâ tunc egrederetur, quando ſapere cœpiſſet. *Guido Biturícen. tit. de Deſidia.*

Cato ſenior ſemper ſe harum rerum pœnituiſſe dixit: (a) ſi mulieri arcana detexiſſet; aut ſi mari profectus eſſet, quo terreſtri itinere eundi facultatem habebat; aut ſi per negligentiam diem fruſtra elabi permiſiſſet. *Plut. & Fulg. lib. 7. cap. 2.*

Auguſtus (b) in omni verbo prudentiſsimus, eos qui leves ob cauſas ſe periculis exponerent, ſimiles eſſe dicebat iis, qui aureo hamo piſces capere tentarent. Hi enim amiſſo ſemel hamo, plus damni accipiunt; quam ex multorum piſcium capturâ, lucri. *Fulg. lib. 7. cap. 2.*

Plato Athenienſis ſomnolentiam improbabat; eoque ſcripſit in legibus: nemo dormiens ullâ re dignus eſt. *Laërt. lib. 3.*

Inter ſeveriſsimas Draconis leges illa etiam fuit: ut otii damnati, capite punirentur. *Ex lib. 1. de Inſtit. Reip. Franciſ. Senenſ.*

Scribit Diodorus, legem fuiſſe apud Ægyptios, qua ſinguli cogebantur nomina apud præſides profiteri; & qua arte, quove lucro ſuſtentarentur oſtendere: & ſi qui mentirentur, aut injuſto quæſtu viverent, capite damnabantur. Nec medius fidius injuriâ. (c) Otioſi enim & ignavi juvenes venenum ſunt civitatis: proni ad libidinem ſunt: bonis invident: aliena appetunt: & denique ſeditioſi & turbulenti evadunt. *Ubi ſupra.*

Optime M. Cato in lib. de moribus ſcripſit, vitam humanam eſſe ut ferrum, quod ſi exerceas conteritur, & cum ſplendore quidem; ſin minus exerceas, rubigo interficit: ſic homines ſe exercendo, honeſte conteruntur; ſi non exercentur, inertiâ ac torpedine abſumuntur. Pulchre admodum idem Cato in oratione, quam Numantiæ apud equites habuit: (d) cogitate enim animis veſtris milites (ait) ſi quid vos per laborem reſte feceritis, labor cito recedit; benefactum manet: ſi quid autem per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit; nequiter autem factum

(a) *Tit. Secretum.* (b) *Contra inutiles occupationes.* (c) *Vera & aurea verba.* (d) *Tit. Conſcientia.*

ctum perpetuo manebit. *Ex lib.* I. *de Inſt. Reip. Franciſ. Sen.*

Solonis lex præcipue laudatur, quæ quidem ſancivit, filium nequaquam parenti neceſſaria vitæ ſubſidia debere, a quo nullam artem accepiſſet. *Ubi ſupra.*

Exemplum, Imitatio.

ROdolphus imperator (a) in eo bello quod contra Ottacarum Bohemiæ regem geſsit, quum ſiti laboraret cum toto exercitu, ferunt a ruſtico (qui meſſoribus potum ferret) oblatam hydriam ſicerâ plenâ. Quod quum ille vidiſſet: reddite (inquit) homini vaſculum ſuum: nam ego exercitui, non mihi ſitiebam. Sicque ſuâ abſtinentiâ partim exercitum eo potu refocillavit, partim ad ſitis patientiam invitavit. *Æn. Sylv. lib.* 3. *Comm. in res geſt. Alph.*

Alphonſus Aragonum rex (b) quum fugato jam Jacobi Caudolæ exercitu, ſine tentoriis ac commeatu (ſiquidem ex inſperato advenerat) pernoctare ſub dio cogeretur; & Joannes Eſernitanus, Alphonſi ſtudioſus, raphanum unum in tam magnâ militum inopiâ, & panem unum cum dimidio caſeoli Balearici, regi miſiſſet, recuſavit: non decere (inquiens) imperatorem jejuno exercitu mandere. *Panor. lib.* 3. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Alexandro Magno (c) quum datum eſſet ſcriniolum, quo nihil inter opes Darii pretioſius pulchriuſve repertum eſt, & quæreretur in quemnam uſum deſtinandum eſſet? aliis aliud ſuadentibus dixit: huic optime ſervandus dabitur Homerus. Sentiens nullum eſſe theſaurum illo pretioſiorem. Ita viſum eſt juveni, qui ſe totum ad exemplar Achillis componebat. *Plut. in Alex.*

Themiſtocles, quum eſſet adoleſcens, in compotationibus ac mulierum amore volutabatur. At poſtea quam Miltiades factus imperator apud Marathonem deviciſſet barbaros, jam nullus offendit illum quicquam agentem præter decorum. Percontatus autem, unde ſic eſſet repente mutatus? (d) Miltiades (inquit) trophæum non patitur me dor-

---

(a) *Tit. Rex.* (b) *Tit. Sup.* (c) *Tit. Scientia.* (d) *Tit. Honor. Gloria.*

dormire, neque ceſſare. Gloriæ ſtudium excuſsit amorem voluptatum : clavum, ut ajunt, clavo. *Plut. in Græcor. Apoph.*

Ageſilaus rex jam ſenex, cur per hiemem ſolo pallio tectus obambularet abſque tunicâ, interrogatus : ut (inquit) juvenes hanc vitæ rationem imitentur. *Plut. in Lacon.*

Lacones ſcutiferum militem interemêre, quod ſcuto non nihil purpurei panni intexuiſſet. In tantum horrebant exemplum peregrinæ luxuriæ : non ignari ex minimis initiis immedicabilem vitiorum colluviem inundare ; eoque tutiſsimum eſſe judicantes, principiis obſtare. Ob id in primos auctores ſeveriſsime animadvertebant. Plurimum nocuit Reipub. quiſquis feneſtram vitiis aperuit. *Plut. in Lacon.*

Prudentia, Imprudentia.

CAto ſenior affirmabat : inſanos prudentibus longe melio res eſſe, quam inſanis ſapientes. Sapientes quippe quum ſtultorum errata inſpicerent, ob id in melius vitam mutare ſolere. At amentes quum diſcendi capaces non ſint, ex ſapientum benefactis fructum percipere nullum. *Fulgoſ. lib. 7. cap. 2.*

Antiſthenes tutiſsimum eſſe murum, prudentiam dicebat: quod is nec collabitur, nec proditur. Nulla mœnia tam ſunt munita, quin machinis aut ſuffoſsionibus, aut (ut nihil horum) proditione capiantur. Sapientis decreta ſunt inexpugnabilia. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Iphicrates quum in amicorum ſuorum agris haberet exercitum, & nihilo minus vallum jaceret, foſſaſque probe foderet, cuidam dicenti : quid metuimus ? reſpondit : peſsimam ducis vocem ; haud quaquam putaram. Significans, rebus proſperis ſæpe numero imminere pericula non exigua, quæ nullus exſpectaſſet. Adverſus inopinatos igitur caſus caute omnia eſſe munienda. *Plut. in Græcor. Apoph.*

Socrates (a) adhortabatur ſubinde ſuos diſcipulos, ut hæc tria in omni vita ſibi pararent : ut animo ſcilicet haberent prudentiam, in lingua ſilentium, & in vultu verecundiam. *Max. ſerm. 41.*

Bion

(a) *Tit. Silentium. Tit. Verecundia.*

Bion Boryſthenites dicebat: prudentiam tanto ceteris virtutibus antecellere, quanto ceteris ſenſibus præſtaret viſus. Nam oculi prælucent toto corpori: nec ulla eſt virtus abſque prudentiâ. Nam quo modo juſtus reddet cuique ſuum, niſi prudentia demonſtret, quid cui debeatur? *Laërt. lib. 4. cap. 7.*

Iſocrates dicebat: virum frugi & prudentem debere præteritorum meminiſſe, agere præſentia, futura cavère. *Stob. ſerm.* 1.

Ageſilaus Lacedæmoniorum rex, quum pugnaretur apud Mantineam, admonuit Lacedæmonios, ut ceteris omiſsis omnibus, in unum Epaminondam intenderent vim prælii, dicens: ſolos cordatos milites auctores eſſe victoriæ. Quod quum feciſſent, victoriam nacti ſunt. Hac voce conſuluit Ageſilaus incolumitati ſuorum, qui fuerant ſine dubio manu hoſtium perituri. Simul (a) illud docuit, in bello plus habere momenti unum vere prudentem, quam turbam imprudentum. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Quum Alexander ab Athenienſibus poſceret, ſibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adeſſe Phocionem, ut quid conſuleret, proferret; ſurgens inquit: conſulo igitur, ut aut armis ſuperetis eos, aut ſuperantium amici ſitis. Compendio ſuaſit, nihil Alexandro negandum, niſi confiderent ſe iratum poſſe armis opprimere: quibus ſi ille videretur ſuperior, non eſſe provocandum animoſum juvenem, & repulſæ impatientiſsimum. *Plut. in Græcor. Apoph.*

Antiſthenes Athenienſis dicere ſolebat: ſapienti nihil eſſe novum, aut ſubitum; eo quod quicquid homini poteſt accidere, ſit tam præmeditatus, ut nunquam dicat: non putaram. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Curioſitas.

ANtoninus Pius quum Omuli viſens domum, ac miratus columnas porphyreticas quæſiſſet: unde eas habe-

(a) *Tit. Bellum.*

beret? Omulus ei reſpondit: quum in ædes alienas veneris, & ſurdus & mutus eſto. Sentiens, eum in alieno privato non oportere eſſe curioſum. *Julius Capitolinus.*

Xenocrates Chalcedonius nihil referre dicebat, utrum pedes an oculos inferas in ædes alienas: videlicet deterrens ab omni curioſitate rerum ad nos nihil attinentium. *Laërt. lib.* 4. *cap.* 2.

Veritas.

THales Mileſius philoſophus clariſsimus, quum ab amico quodam rogatus eſſet, quantum veritas diſtaret a mendacio? quantum (inquit) diſtant oculi ab auribus. Senſit vir ſapientiſsimus, non ea eſſe certa illico, quæ auribus percipimus ab aliis, qui mendaciter de rebus nugantur: ſed ea demum quæ coram oculis cernimus. *Max. ſerm.* 35.

Conſilium.

THales Mileſius olim rogatus, quid eſſet facile? alteri (ait) dare conſilium. Quis enim eſt tam ſtupidus, qui non admoneat alium? ſed ſibi pauci conſulunt. *Ex Laërt. lib.* 1.

Lacones (a) ſi quando ſtratagemate, hoc eſt, callido conſilio ſuperaſſent hoſtem, Marti bovem immolabant: ſin aperto prælio, gallum: hoc pacto conſuefacientes belli duces, ut non ſolum fortes eſſent ad prælium; verum etiam callidis conſiliis adverſus hoſtes inſtructi. Præclarius enim exiſtimabant, hoſtem ingenio citra ſanguinem dejicere, quam pugnâ plerumque utrinque cruentâ. *Plut. in Lacon.*

Euripidis dictum memorabile celebratur: (b) unicum conſilium rectum magnam militum manum vincere. Quo prudenter admonuit, non perinde referre quam numeroſum educas exercitum; ſed quantum belli rectores polleant conſilio. In bello ſiquidem plus habet momenti prudens conſilium & ſollertia, quam vires conſilii expertes. *Eraſ. lib.* 8. *Ap.* Ca-

(a) *Tit. Bellum.* (b) *Tit. Bellum.*

Catalanis optimum factu fore censentibus, si Alphonso Aragonum regi tunc adolescentulo septem viri ad gubernandam Rempub. adjungerentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates tenerent sub freno, nec donis & muneribus tangerentur; Alphonsum laudasse consilium, ac ita respondisse ferunt: si horum non dico septem, sed unum tantum dederitis, continuo illi & regimen & regnum facile concessero. Pulchre innuit, regum paucos esse consiliarios bonos. *Panor. lib.* 2. *de Reb. gest. Alphonsi.*

Innocentius Papa octavus imparem se tanto oneri animadvertens (ut auctores non contemnendi referunt) duodecim consiliarios elegit, sine quorum consilio nihil prorsus decernebat.

Alphonsus Aragonum rex sæpe numero dicere solitus est: si romanis temporibus vixisset, se constructurum fuisse templum Jovi positori; ut quum de rebus acturi in eo convenirent, prius contentionem omnem deponerent. *Panor. lib.* 3. *de Reb. gest. Alphonsi.*

Xerxes (a) Græciæ bellum indicturus, convocatis omnibus Asiæ principibus dixit: ne viderer meo tantum consilio hoc aggressus, contraxi vos; ceterum mementote, mihi parendum magis quam suadendum. Vox bis tyrannica: & quod principum conventu pro fuco abuteretur; & quod negotium multo periculosissimum, suâ unius cupiditate verius quam consilio susciperet. *Eras. lib.* 5. *Apoph.*

Bias Prienæus, (b) bono consilio duo maxime contraria esse ajebat: festinationem scilicet, & iracundiam. Homo enim iracundus, quum extra se ipsum sit, vacuus est omni consilio. *Laërt. in ejus vita.*

Dion in libris suis, qui de regno inscribuntur, dicebat: longe majora geri paucorum consilio, quam multitudine, aut viribus fortissimorum juvenum. Quod etiam Homeri sententiâ comprobatur, quum Agamemnonem inducit afferentem: longe facilius esse rem Trojanam evertere, si decem Nestores aut Ulysses in consilio haberent; quam si totidem Ajaces & Achilles fortiter dimicantes. *Ex lib.* 1. *Franci s. Senens. de Inst. Reip.*

(a) *Tit. Consilii neglectus.* (b) *Tit. Ira.*

Cicero ait : homo qui erranti comiter monſtrat viam, quaſi lumen de ſuo lumine accendat ; facit, ut nihilo minus ipſe luceat, quum illi accenderit. *Lib.* 1. *de Offic.*

Democritus Ætolorum prætor apud Livium, nullam rem eſſe tam inimicam conſiliis dicebat, quam celeritatem. Præcipitata enim conſilia, ſi in tranſverſum agantur, nullâ revocari pœnitentiâ poſſunt in melius. *Bruſ. lib.* 2. *cap.* 15.

Scipio Africanus turpe eſſe ajebat in re militari dicere non putaram. Quæ enim ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur ſummâ ratione : quum emendari poſtea vix aut nullo modo poſſent. *Valer. Max. lib.* 7. *cap.* 2.

Juſtitia, Injuſtitia.

AGeſilaus quodam tempore rogatus, utra virtus eſſet præſtantior, fortitudo an juſtitia ? graviter reſpondit: fortitudinis nullum eſſe uſum, niſi adſit juſtitia. Quod ſi omnes eſſent juſti, nihil opus eſſet fortitudine. En animum ſummo dignum duce, qui nihil præter æquum judicarit faciendum : rectèque perſpexerit, plurimum intereſſe inter audaciam & fortitudinem. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Philemon eum virum juſtum eſſe pronuntiabat, non qui injurius non eſſet ; ſed qui quum eſſe poſsit, ne ſit, cavet : neque qui parva non accipit ; ſed qui a magnis, quum poſſet, abſtinuit : neque qui omnia hæc ſervaverit ; ſed qui incorruptâ legitimâque naturâ juſtus eſſe mavult, quam videri. *Phavorinus.*

Quum Satibarzanes (a) Artaxerxis regis cubicularius, quiddam minus juſtum a rege peteret ; ſentiretque Artaxerxes, hoc illum facere ſollicitatum † triginta Daricorum millibus, quæſtori ærarii ſui mandavit, ut Daricorum † triginta millia ad ſe deferret ; & allata dedit Satibarzani dicens : accipe, nam hæc tibi quum dedero, non ero pauperior ; injuſtior autem futurus, ſi ea quæ petebas dediſſem. *Plut. in Reg. Apoph.*

P.

(a) *Tit. Rex. Tit. Judex.* † *Al.* Tribus Daricorum millibus. ‡ *Al.* Tria millia. *Videſis Cruſerium.*

P. Rutilius (a) amico cuidam rem injuſtam petenti pernegabat. Quumque is commotus per ſummam indignationem diceret: quid ergo mihi opus eſt tuâ amicitiâ, ſi quæ abs te rogo, non facis? immo (inquit Rutilius) quid mihi opus eſt tuâ amicitiâ, ſi me urgere cupis, ut in juſtitiæ leges tuâ causâ peccem? *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Quum Athenienſes eo concitati eſſent, ut Ariſtidem oſtraciſmo (id erat damnationis genus, quod teſtulis peragebatur) in exſilium agerent; ac ruſticus quidam illitteratus teſtulam ad eum deferens juſsiſſet, ut Ariſtidis nomen inſcriberet: noſti ne (inquit Ariſtides) Ariſtidem? (b) Quum ille negaſſet ſe noſſe; moleſte tamen ferre, quod Juſtus cognomine diceretur: ſiluit Ariſtides, & nomen ſuum inſcripſit teſtulæ, ac reddidit. (c) Tam leni animo ferebat injuſtam damnationem. Graviſsimum autem vitæ innocenter actæ teſtimonium fuit, e tantâ multitudine neminem exſtitiſſe, qui aliud objiceret quam Juſti cognomen, quod ipſe tamen ſibi non impoſuerat. *Plut. in Græcor. Apoph.*

„ Inviſa eſt hominibus (d) juſtitia: quia videlicet quum „ intelligant ſe homines frequenter peccaturos, cupiunt im„ pune peccare; & quæ volunt, quamvis injuſta ſint, ſi„ bi licere. „

Ariſtoteles ait: ſicut optimum omnium animalium homo eſt, qui perfecte vivit: ſic peſsimum omniumque terrimum eſt, qui a lege judiciiſque ſecernitur. *Ex lib.* 1. *Franciſ. Senenſ. de Inſt. Reip.*

Alexander Macedo (e) Olympiadi matri plurimum eum urgenti, ut inſontem quemdam occideret; poſcentemque id per menſes novem quibus eum in utero geſtaverat, humaniſsime reſpondit: aliam, parens optima, de me quamvis mercedem poſce: hominis enim vita nullo beneficio compenſatur. Vera quidem eſt tragica illa ſententia, & animo ac mente ſemper recenſenda ab his qui imperant: ſanguine humano abſtine, quicumque regnas. *Ex lib.* 3. *Franc. Senenſ. de Inſt. Reipub.*

(a) *Tit. Sup.* (b) *Tit. Perſecutiones bonorum.* (c) *Tit. Patientia.* (d) *Juſtitia malis inviſa.* (e) *Tit. Judex.*

Crudelitas.

AUguſtus Cæſar audiens, inter pueros quos in Syria Herodes crudeliſsimus Judæorum rex interfici mandaverat, filium quoque ejus interfectum, dixiſſe fertur: ſe malle ſuem quam filium Herodis eſſe. Judæus enim quum eſſet, a ſuillâ carne prohibitâ abſtinebat juxta legem. *Macrob. 2. Satur. cap. 4.*

Caligula imperator, ut aliâ omni in re, ita verbis quoque ſceleratus fuit; perſæpe repetens: oderint, dum metuant. Optabat etiam populum Romanum unam habere tantum cervicem, ut uno ictu omnes interficere ſimul poſſet. *Fulgoſ. lib. 9. cap.* 11.

Agrippina quum juſſu Neronis occideretur, ac Centurio ferrum in mortem diſtringeret, ventrem oſtendens clamabat: hunc percute: hic eſt ferro fodiendus, qui portentum illud genuit. *Suetonius.*

Nero quum incendiſſet urbem, ſpectabat dicens: ſe flammæ pulchritudine delectari: ac interim ſuam canebat haloſim; hoc eſt, Trojanæ urbis excidium, quod deſcripſerat. *Suetonius.*

Præclara eſt illa Julii Cæſaris ſententia, quam crebris ſermonibus uſurpare ſolebat: miſeram comitem ſenectutis eſſe, priſtinæ crudelitatis memoriam. *Ex Franciſ. Senenſ. lib.* 3. *de Inſt. Reipub.*

Uſura, Fœnus.

EX Catone Cenſorio quum quiſpiam percontaretur, quid in re domeſtica maxime expediret? reſpondit: bene paſcere, bene veſtire, & bene agrum colere. Et illi qui quæſierat, quid fœnerari? Cato: quid hominem, inquit, occidere? Non minus igitur fœneratorem peccare cenſuit, quam homicidam. *Cicer. lib. 2. de Offic.*

Alphonſus Aragonum rex fœneratores, utpote labores mortalium depaſcentes, Harpyjas vocare ſolitus erat. Quem-

ad-

admodum enim Virgilianæ illæ Harpyjæ raptu vivebant: ſic hodie fœneratores ex pauperum laboribus magnas per nefas opes reponunt ſibi & ſuis. *Panor. lib.* 4.

Idem audiens, illicito lucro hominibus inſidias a fœneratoribus ſtrui: fœnus nihil aliud ſibi, quam animæ funus videri dixit. Damnavit autem univerſam fœnerandi rationem: quæ plane eſt contra naturæ regulam, quum ex nihilo nihil gignatur. *Panor. lib.* 3. *de Reb. geſt. Alphon.*

Lyſander quum egregius ſimulandi artifex evaſiſſet, ac pleraque quæ crudeliter & avare gerebat, callidis fucis ornaret, juſtum non alia re quam utilitate & commodo metiens, fatebatur quidem veritatem mendacio præſtantiorem eſſe; ſed utriuſque dignitatem ac pretium utilitate æſtimandum. Invertit vir improbus philoſophorum dogma, qui quod honeſtum eſt, idem volunt utile eſſe: hic quicquid eſſet utile, idem ducebat honeſtum. *Plut.*

„ Quis autem non videat, pernicioſiſsimam hanc ſen-
„ tentiam (quam verbo quidem omnes damnamus) omnes
„ pæne moribus probare? Quis enim non ubique utilita-
„ tem præfert honeſtati?„

Vectigalia.

DArius rex Xerxis pater, quum tributum indixiſſet ſubditis, arceſsitos provinciarum præfectos percontatus eſt cum aliis de rebus, tum etiam an gravia eſſent populo tributa? Quum illi reſpondiſſent eſſe mediocria, juſsit ut ſinguli dimidiam tantum partem exigerent. Quâ benevolentiâ & clementiâ admodum conciliavit ſibi ſubditorum animos, ut merito ab omnibus diligeretur. *Plut. in Reg. & Imper. Apoph.*

Trajanus imperator fiſcum, lienem vocare ſolebat; quod eo creſcente, reliqui artus omnes tabeſcerent. *Lang. in Niceph. annotatio.*

Tiberius Cæſar ſuadentibus præſidibus & quæſtoribus, onerandas tributo provincias, reſpondit: boni paſtoris eſſe, tondere pecus; non deglubere. *Ex Franc. Sen. lib.* 3. *de Inſt. Reip. Adu-*

Adulatio.

ANtiſthenes ſatius eſſe dicebat, incidere in corvos, quam in paraſitos. Hi enim viventis animum corrumpunt; illi ſolum mortui corpus. *Stob. ſerm.* 12.

Idem ajebat: ut meretrices bona omnia præter mentem & prudentiam ſuis amatoribus imprecantur: eodem modo adulatores iis, quibuſcum agunt. *Stob. ſerm.* 12.

Crates Thebanus ad opulentum adoleſcentem, quem paraſitorum comitabatur turba: adoleſcens (ait) miſeret me tuæ ſolitudinis. *Stob. ſerm.* 12.

Bion interrogatus, quod eſſet animal omnium maxime noxium? ſi de feris (inquit) percontaris, tyrannus: ſi de mitibus, adulator. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 6.

Diogenes Cynicus orationem blandam, non ex animo proficiſcentem, ſed ad gratiam compoſitam, vocare ſolebat melleum laqueum, quod blande amplectens hominem jugulet. *Laërt. lib.* 6.

Idem ajebat: in aſſentatione, veluti ſepulcro aut ſtatuâ quapiam, nomen ſolum amicitiæ inſcriptum eſſe. *Stob. ſerm.* 12.

Ariſtonymus ſæpe numero dicere ſolebat, ligna dum augent ignem, conſumi ab ipſo: opes dum alunt adulatores, ab eis ipſis perire. *Stob. ſerm.* 12.

Sigiſmundus imperator, aſſentatores ſe veluti peſtes odiſſe quum diceret; Brunonius Veronenſis reſpondit: tamen nullum genus hominum magis amas quam adulatores. Tum Sigiſmundus: vincis ſane, inquit. Ita enim naturâ comparatum eſt, ut quum vitandos eſſe adulatores dicimus, tunc maxime illis hæreamus. Nam nec tu tamdiu mecum fuiſſes, niſi meis moribus blandiri aſſueviſſes. *Æneas Syl. de Dict. Sigiſm. & Friderici imper.*

Alphonſus Aragonum & Siciliæ rex, adulatores lupis haud abſimiles eſſe dicebat. Nam quemadmodum lupi titillando & ſcalpendo aſinos vorare ſoliti eſſent: ita adulatores ad perniciem principum, blanditiis ſimul ac mendaciis intendere. *Anton. Panor. de Reb. geſt. Alphon. lib.* 3.

Antigonus rex admirantibus, quam ob rem tanti faceret

ret Zenonem? reſpondit: quoniam quum multa a me acceperit, nunquam tamen emollitus eſt. Ejus mortem quum audiſſet, ingemuit dicens: quale theatrum perdidi! Erat enim Zenon acerrimi judicii, & ab aſſentando alieniſsimus. *Laërt. lib. 7. cap.* 1.

Quum Peſcennio Nigro imperatori creato quidam panegyricum recitare vellet, imperator dixiſſe fertur: ſcribe laudes Marii, vel Hannibalis, vel alicujus ducis optimi vitâ functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irriſio eſt, maxime imperatores, a quibus ſperatur; qui timentur; qui præſtare publice poſſunt; qui necare; qui proſcribere: ſe autem vivum placere velle; mortuum etiam laudari. *Ælius Spartian.*

Diogenes vulgo canis dicebatur. Sunt autem canum multa genera: ſunt enim venatorii, ſunt aucupatorii, ſunt cuſtodes ovium & ædium, ſunt qui habentur in deliciis. Ergo percontanti qualis ipſe canis eſſet? lepide reſpondit; eſuriens, Melitæus: ſatur, Moloſſeus: quod cibi appetens blandiretur; ſaturatus morderet. *Laërt. lib. 6.*

Vera eſt illa Q. Curtii ſententia in elegantiſsimis illis de reb. geſtis Alexandri libris, quâ regnum ait, ſæpius ab aſſentatoribus quam ab hoſtibus everti. *Ex lib.* 5. *de Inſt. Reipub. Franciſ. Senenſ.*

Detractio.

DEmoſthenes, calumniam aliquantiſper quidem audientium opinione confirmari; progreſſu vero temporis nihil ipſa imbecillius eſſe dicebat. *Stob. ſerm.* 40.

Medius ex Alexandri paraſitis unus ſolebat alios adhortari, ne metuerent quodvis crimen in quemvis intendere. Adjecitque ſcelerato præcepto cauſam: ut maxime (inquit) ſanet vulnus qui delatus eſt; manet tamen cicatrix. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Quum quidam Platoni narraſſet, nonnullos eſſe qui ipſum maledictis infectarentur: at ego (inquit) ſic vivam, ut illis non habeatur fides. *Melliſ. ſerm. 69.*

Ari-

Ariſtoteles Stagirites Calliſthenem diſcipulum liberioris linguæ hominem, Homerico verſiculo admonere voluit:

Talia nate loquens, haud multo tempore vives.

Laërt. lib. 5. *cap.* 5.

Thales Mileſius admonere ſolitus erat, ut ita loquamur cum amicis, ne ſermo nos in jus vocet. Quo docere voluit, caute de abſentibus etiam coram amicis loquendum eſſe: ne nos apud alios deferant, & noſtra loquacitas vergat nobis in magnum malum. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 1.

Zoilus Amphipolitanus Polycratis auditor, qui canis rhetoricus nominatus eſt, homo ſtudioſus male loquendi, quum non ſolum in Homerum, Platonem, alioſque præclaros ac magnos viros ſtilum ſtringeret; ſed ubique litibus & pernicioſis etiam contentionibus operam daret; rogante quodam erudito viro, quam ob rem de omnibus male loqueretur? quoniam (inquit) malefacere quum velim, non poſſum. Expreſsit autem hoc dicto, omnium maledicentium & detrectantium perſonam. Itaque Zoili dum non inveniunt qua ratione factis lædant, dentibus caninis & linguâ amarulentâ in bonos invehuntur. *Bruſ. lib.* 1. *cap.* 26.

Philippus Macedo dicebat: ſe ſuis conviciatoribus gratiam habere, quod ſe meliorem redderent. Ego (inquit) ſtudens illos mendacii convincere, ſi quid improbe fecerim, muto conſilium, & pœnitentiâ emendo factum. *Anton. in Meliſ. par.* 1. *ſerm.* 69.

Idem maledictis a Nicandro laceſsitus, pluribus cœpit illum donis honeſtare, quibus acceptis cœpit Nicander laudare. Ad amicos igitur converſus Philippus: videtiſne ergo (inquit) noſtrum eſſe, bene & male audire? *Bruſ. lib.* 1. *cap.* 16.

Cato ſenior, cujuſdam qui multis intemperantiæ notis inuſtus erat, probris vexatus: impar mihi tecum (ait) certandi conditio eſt. Nam ut male audire & male dicere, tibi facillimum ſimul & promtiſsimum eſt: ſic & mihi maledicere inſuave eſt & inſuetum. *Bruſ. ubi ſup.*

Auguſtus Cæſar (a) indignanti Tiberio, ac per epiſtolam etiam conquerenti apud eum de conviciatore, reſpondit:

(a) *Tit. Clementia.*

dit: ætati tuæ (mi Tiberi) noli in hac re indulgere, & nimium indignari, eo quod ſint qui male de me loquantur. Satis eſt enim ſi hoc habemus, ne quis male facere poſsit. *Bruſ.*

Domitianus imperator quum homines mordaces atque maledicos haberet odio; ſemper tamen eos dicere ſolebat pejores eſſe, qui maledicis aures præberent neque reprehenderent, quam ipſos maledicos. *Bruſ. lib.* 1. *cap.* 16.

Chilon Lacedæmonius mortuis nequaquam maledicendum eſſe dicebat: quando quidem ignavum eſſe videretur, eos linguâ inceſſere qui reſpondere non poſſent. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 4.

Alphonſus Aragonum rex audiens a ſuis, quantum maledictis proſcinderetur ab inimicis ſuis, reſpondit: in hujuſmodi injuriis non quid dicatur, ſed a quo dicatur, in primis animadvertendum eſt. *Panor. de Rebus geſtis Alphon.*

Convicium.

SOcrates cuidam admiranti, quod nihil in eum commoveretur a quo conviciis inceſſebatur: mihi (inquit) non maledicit: quando quidem ea quæ dicit, mihi non adſunt, nec in me hærent. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Vetus comœdia ſolebat nominatim in cives convicia jacere. Horum libertatem quum plerique metuerent, Socrates dicebat: expedire, ut quis ſe met illis ſciens ac volens ſubjiceret. Nam ſi quid dixerint in nos merito reprehendendum, admoniti corrigemus, & profuerint: ſin falſum convicium in nos jaculabuntur, nihil ad nos. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

M. Servilius diſſuaſurus legem quam fecerat M. Pinarius: dic mihi M. Pinari (inquit) ſi contra te dixero, num mihi maledicturus es, ut ceteris ſoles? Ut ſementem (inquit Pinarius) feceris, ita & metes. Per allegoriam minitans, illum male auditurum, ſi male diceret. *Eraſ. lib.* 6. *Apoph.*

Men-

Mendacium.

ARiſtoteles interrogatus, quid lucri facerent mendaces? ut vera (inquit) loquentibus non credatur. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 1.

Perſæ dicebant, duo eſſe peccata inter homines turpia: quorum primum eſt, debitorem eſſe; alterum, mentiri. Conjunxerunt autem hæc duo, ideo nimirum, quod unum raro ſit ſine altero. Qui enim ære alieno obſtricti ſunt, pollicentur in dies ſe ſatisfacturos: nec tamen præſtant, quod promiſſum eſt ſemel ac iterum. *Herodotus.*

Gratitudo. Ingratitudo.

FUrnius Antonii partes ſecutus fuerat. At poſtea quam victoria ceſsit Auguſto, metuens ſibi, ſubornavit filium qui a victore veniam peteret. Petiit, & impetravit. Tum Furnius his verbis gratias Cæſari egit: hæc una (o Cæſar) abs te mihi facta eſt injuria: effeciſti, ut mihi & vivendum & moriendum ſit ingrato. Significans tantam eſſe ejus beneficii magnitudinem, ut nulla ex parte par eſſet referendæ gratiæ. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Veteranus quidam, quum vocatus in jus periclitaretur, adiit in publico Cæſarem Auguſtum, rogans ut ſibi vellet adeſſe. Cæſar e comitatu ſuo ſelectum illico dedit, eique litigatorem commendavit. Hic miles vociferans: at non ego (Cæſar) periclitante te Actiaco bello, vicarium quæſivi; ſed pro te ipſe pugnavi: ſimulque detexit cicatrices. Erubuit Cæſar, atque ipſe deſcendit in advocationem, veritus ne non modo ſuperbus, verum etiam ingratus videretur. *Eraſ. lib.* 4. *Apoph.*

Diogenes Cynicus quærenti, quid apud homines celerius ſeneſceret? beneficium, inquit. Dici enim vix poteſt, quanta accepti beneficii apud pleroſque ſit oblivio. *Stob.*

Ariſtides cognomento juſtus, quum ſanctiſsimâ ſuâ gubernatione Rempub. Athenienſium plurimum auxiſſet, nullam

lam aliam a civibus ingratis retulit gratiam, quam ut oſtraciſmo (eſt autem damnationis genus, quod teſtulis peragebatur) damnaretur. De cujus juſtitiâ & morte, *Plut. in Græcor. Reg. & Imp. Apoph.*

Plato nominare ſolebat Ariſtotelem mulum. Quid autem hoc ſibi nomen voluerit, ex eo liquet, quia mulus quum ſaturatus eſt lacte materno, calcibus petit matrem. Significabat igitur Plato, involuto quodam ſermone, ingratitudinem Ariſtotelis. Etenim is, quum maxima philoſophiæ ſemina a Platone accepiſſet, ſcholam contra Platonem aperuit, & in Peripato cum ſuis familiaribus & diſcipulis adverſus eum pugnavit, Platonis perpetuus adverſarius eſſe cupiens. *Ælianus lib.* 4. *de Var. hiſt.*

Ariſtoteles interrogatus, cur reliquiſſet Athenas? reſpondit: quoniam noluiſſet committere, ut Athenienſes bis peccarent in philoſophiam. Notavit autem magnam Athenienſium ingratitudinem, qui philoſophos de patriæ ſalute plurimum ſollicitos, ac de Athenienſium Repub. bene meritos non accuſarunt tantum, ſed damnarunt etiam: ſubobſcure taxans Socratis mortem, & ſuum quoque periculum. *Ælianus lib.* 3. *de Var. hiſt.*

Beneficia Dei.

SImonides, rogante quodam ut ſibi conſcriberet encomium, & gratiam ſe relaturum inquiente, argentum autem non dante: duas (reſpondit) arcas domi habeo; unam quidem gratiarum, alteram argenti. Et quum neceſsitas exigit, gratiarum quidem arcam aperiens, ſemper vacuam invenio: alteram vero ſolum commodam mihi ad res vitæ neceſſarias. Longe aliter Deus: qui quum nullius egeat, ſolam a nobis animi gratitudinem requirit. *Stob. ſerm.* 8. *de Injuſtitia.*

Fuit Ægyptiorum mos, eorum caſtâ religione diutius obſervatus, ut ante numinum ædes ac templa hydria aquæ poneretur, ut intrantes conſpergerentur, procumbenteſque ſublatis ad cælum manibus divinæ majeſtati gratias agerent,

rent, quod munere ſaluberrimæ aquæ affecti fuiſſent. Hinc Thales Mileſius aquam rerum omnium principium poſuit. Mortalium namque natura facilius cujuſque rei indigentiam, quam aquæ ferre poteſt. Sunt autem innumerabiles aquarum virtutes, partim manifeſtâ, partim abditâ & obſcurâ ratione: veluti de Arcadiæ fonte dicitur (quem Clitorium accolæ appellant) qui vini odium ejus latices haurientibus quam primum facit, eoſque abſtemios reddit. Scribit præterea Pomponius coſmographus, unam ex Fortunatis inſulis ſingulari duorum fontium ingenio inſignem eſſe: alterum enim qui guſtaverint, riſu ſolvuntur; ejuſmodi autem morbo affectis remedium eſt, ex altero bibere. Et certe res miranda mihi videtur, omnium fere morborum medicas aquas a Deo Opt. Max. mortalibus eſſe traditas: quæ non pigmentis, antidotis, & amaris dilutionibus ægrotos excrucient, non igne aut ferro lacerent; ſed ſuaviſsima ablutione priſtinam valetudinem reſtituant. Et denique id præſtant, quod Aſclepiades officium optimi medici eſſe dixit, ut ſcilicet tuto, celeriter, & jucunde curent. Hæc igitur, & ſimilia naturæ beneficia, omnium largitori Deo accepta ferre debemus. *Ex Franc. Senenſ. lib. 7. de Inſt. Reip.*

Juramentum.

ISocrates, ſacramentum oblatum duabus de cauſis fide firmandum eſſe ſuadebat: vel ut te ipſum turpi ſuſpicione liberes, vel ut amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum vero gratiâ, etſi juſtam cauſam haberet, non per deos jurandum dicebat. Quid hic Chriſtiani homines paſsim perjurantes reſpondebunt? *Stob. ſerm.* 25.

Alexander ſtatuerat Lampſacum diruere. Ad id tendenti, quum Anaximenes Alexandri præceptor veniret obviam extra muros, deprecaturus ſuæ civitatis perniciem, Alexander ſuſpicans quid eſſet petiturus: juro (inquit) me non facturum quod petet Anaximenes. Peto (inquit) ut Lampſacum diruas. Captus fuit Alexander, & jurejurando compulſus eſt ſervare, quos demoliri ſtatuerat. *Eraſ. lib. 7. Apoph.*

Ora-

Oratio.

SOcrates humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent: quoniam ii demum ſcirent, quid unicuique eſſet utile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare melius foret. Etenim denſiſsimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentem errorem cæcas precationes tuas ſpargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiſcis, qui plures peſſum dederunt: regna tecum ipſa volvis, quorum exitus ſæpe numero miſerabiles cernuntur: ſplendidis conjugiis injicis manus: at hæc ut aliquando illuſtrant; ita nonnumquam funditus domos evertunt. Deſine igitur (ſtulta) futuris malorum tuorum cauſis, quaſi feliciſsimis rebus inhiare; teque totam cæleſtium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſsima poſſunt. *Valer. Max. lib. 7. cap. 2.*

Bias, eos qui ſibi mentem a Deo bonam largiri precarentur, nec tamen diſciplinam capeſſerent, parum cordatos eſſe dicebat: quando nec ut pictor quiſquam bonus evadat, dari ſibi a Deo bonos colores & lineam exoptat; quin magis artem perdiſcit: ſicut nec votis proficit, qui muſicus eſſe cupit, niſi artem conſectetur. Adeo nihil prodeſt circa preces occupari, niſi recte vivendi ſtudio tenearis. *Stobæus.*

Idem quum aliquando cum impiis ac ſceleroſis hominibus navi veheretur, & in ſummo mari omnes periclitarentur, impiis deorum opem implorantibus: ſilete (inquit Bias) ne dii vos nebulones hic navigare ſentiant. Deus enim impiorum precibus irritatus, magis ad vindictam quam ad opitulandum flectitur. *Laërt. lib. 1. cap. 6.*

Lacones commune hoc proverbium ſemper in ore habuerunt: admotâ manu Fortunam eſſe implorandam. Quo innuere voluerunt, fruſtra invocari deos, niſi addens induſtriam, manum rotæ admoveris etiam. *Plut. in Lacon.*

Diogenes Cynicus ſtomachabatur in eos, qui pro bo-

na

na valetudine ſacrificarent, & in ipſo ſacro epulis immodicis ſe met ingurgitantes, facerent bonæ valetudini contraria. *Laërt. lib. 6.*

„ His autem ſimiles eſſe videntur, qui implacabiles cum „ aliis inimicitias gerentes, quotidie orant: dimitte nobis „ debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. „

Obedientia.

AGeſilaus quum ſecum haberet Xenophontem, juſsit ut filios ſuos arceſſeret Lacedæmonem, docendos artem omnium pulcherrimam, videlicet imperare, & parere imperio. *Plut. in Lacon.*

Idem rogatus, quo pacto Spartanorum Reſpublica præ ceteris, ſecundis rebus floreret? quoniam (inquit) plus ceteris in hoc ſe exercent, ut pariter imperare, & parere ſciant. Quæ duæ res a civibus excludunt ſeditiones, & tuentur concordiam. *Ibidem.*

Scipio major in Sicilia percontanti cuidam, qua re fretus claſſem educere pararet in Africam? (a) oſtendit viros armatos trecentos ſeſe exercentes; præterea turrim excelſam mari imminentem, & ait: nullus horum eſt, qui non conſcensâ turri ſe met in mare præcipitaturus ſit, ſi juſſero. Sentiens non perinde ferre, quam numeroſam educas multitudinem, modo fortis dux educat exercitatos, & dicto audientes. *Plut. in Rom. Apoph.*

Zeno Cittieus philoſophus (b) celebratiſsimam Heſiodi ſententiam ſolebat invertere. Quum enim ille primas tribuat ei qui per ſe ſapiat, ſecundas qui recte admonenti obtemperet; Zeno ordine inverſo ſic pronuntiabat:

Optimus ille quidem, qui paret recta monenti.

Sed probus ille quoque eſt, qui noverit omnia per ſe.

Addebatque cauſam: quod qui ex ſe noſſet omnia, nihil haberet præter intelligentiam; at qui recte monenti pareret, præter intelligentiam, haberet etiam effectum: nam parere dicitur, qui quod didicit optimum, etiam facit. *Laërt. lib. 7. cap. 1.*

Apud

(a) *Tit. Exercitatio.* (b) *Tit. Conſilium.*

Apud Lacedæmonios juventus diſcebat quidem litteras ad uſum: ſed ceteras diſciplinas exoticas ejiciebant. Illorum enim eruditio erat, parere magiſtratibus, (a) & patientem eſſe laborum, & in prælio vincere aut mori. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Ad Theopompum quum quidam dixiſſet, ideo ſervari Spartanorum Rempub. quod reges ſcirent imperare: immo potius (ait) quod cives ſciant parere. *Plut. in Lacon Apoph.*

Liberalitas.

THeophraſtus interrogatus, quidnam vitam conſervaret humanam? reſpondit: beneficentia. *Stob. ſerm.* 41.

Anaxilaus rex interrogatus, quid eſſet in regno beatiſſimum? reſpondit: nunquam vinci beneficiis. *Phavor. Camer.*

Philippus Macedoniæ rex quum Thebis obſes eſſet, Philonis Thebani hoſpitio uſus eſt, multiſque inſuper ab eo beneficiis affectus. Is quum viciſsim a Philippo nihil muneris vellet accipere: ne me (inquit Philippus) beneficentiâ ſuperatum hac laude ſpolies, quod hactenus a nemine beneficiis victus fuerim. O animum imperio dignum! Pulchrius exiſtimavit benefaciendo, quam potentiâ vincere. *Plut. in Apoph. Reg. & Imp.*

Veſpaſianus junior ſuper cœnam aliquando recordatus, quod eo die nemini quicquam præſtitiſſet, memorandam illam vocem edidit: amici, diem perdidi. Laudanda ſane principis beneficentia tam peculiaris: qui omne tempus ſe perdidiſſe putabat, quo amicis bene meritis ſuum non præſtitiſſet officium. *Sueton. in vita Titi Veſpaſ.*

Alphonſo Aragonum regi quum a quodam deferrentur aureorum decem millia, dixiſſetque qui forte aderat, eâ dumtaxat ſummâ ſe divitem & beatum fore: accipe (rex inquit) quantacumque ea eſt, & beatus eſto. *Panor. lib.* 4. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem quum audiſſet, Veſpaſianum Cæſarem eam diem ſe perdidiſſe ſolitum dicere, in qua nihil quicquam alicui

(a) *Tit. Patientia.*

donaſſet : egiſſe gratias dicitur Deo Opt. Max. quod eo modo nec diem ipſe perdidiſſet. *Panor. lib.*2. *de Reb. geſt. Alph.*

Perillus quidam ex amicorum Alexandri numero quum filiabus dotem petiſſet, quinquaginta quidem talenta illum accipere juſsit. Sed quum ille dixiſſet decem ſatis eſſe: tibi (inquit) accipere; ſed mihi nequaquam ſatis eſt dare. *Plut. in Apoph.*

Avaritia.

BIon ſophiſta, avaritiam dicebat omnis improbitatis eſſe metropolim. *Stob. ſerm.* 8. *de Induſtria.*

Idem Boryſthenites, divites ſordidos dicebat ita facultatum ſuarum curam habere, quaſi eſſent propriæ: rurſum ex iis nihil capere utilitatis, quaſi eſſent alienæ. *Laërt.lib.*4.*cap.*7.

Idem in divitem quemdam ſordidum ita locutus eſt: hic facultates ſuas non poſsidet; ſed ipſum poſsident facultates. *Laërt. ibidem.*

Chilon philoſophus ſapientiſsimus dicere ſolebat, hominum bonitatem ita auro probari, quemadmodum aurum lydio lapide. *Fulgoſ. lib.* 7. *cap.* 2.

Anacharſis quum rogaſſet quemdam, quanta eſſet ſpiſſitudo navium? reſpondit: quattuor digitorum. Tantillum (ait Anacharſis) a morte ſunt, qui avaritiâ & lucri cupiditate irritati, pernavigant maria, incerti de reditu. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 9.

Socrati tribuitur illud: nec a mortuo petendum colloquium, nec ab avaro beneficium. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Plato ad quemdam accumulandæ pecuniæ ſemper incumbentem: o improbe (dixit) ne poſſeſsioni augendæ ſtudeas; ſed minuendæ cupiditati. *Stob. ſerm.* 8. *de Induſtria.*

Demonax quoſdam eſſe diceba., qui non in hac præſenti vita viverent; ſed magno ſtudio ſe præpararent, quaſi alteram vitam ſint acturi, non hanc præſentem. Notavit autem inſatiabilem eorum hominum avaritiam, quibus nil ſufficit: quaſi poſt mortem etiam uſui ſint nobis per fraudem comparatæ divitiæ. *Max. ſerm.* 12.

Alphonſus Aragonum rex dicere ſolebat: a diis olim Jove, Neptuno, Plutone omnia trifariam partita fuiſſe, & ſuâ quemque ſorte parteque contentum agere. At hominibus hodie nec quod ſatis, nec quod minus eſſet, ſatis eſſe. Notavit avaritiæ & habendi deſiderium omnibus innatum. Pauci enim ſunt, qui ſuâ ſorte contenti vivere cupiant. *Panor. lib. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Bion inquiebat, divitiis operam dantes ridiculos eſſe: quum eas porrigat fortuna, illiberalitas ſervet, benignitas auferat. *Stob. ſerm.* 91.

Idem dicere ſolebat, non minus moleſtum eſſe calvis, quam comatis pilos velli. Oſtendere autem hoc dicto voluit, paria pauperum divitumque tormenta eſſe. *Bruſ. lib.* 2. *cap.* 26.

Democritus eos qui naturalibus divitiis contenti eſſent, multo ditiores eſſe iis dicebat, qui quum multa poſsideant, plura tamen concupiſcunt. Illis enim nihil deeſt: iis plura quam poſsident. *Max. ſerm.* 12.

Epicurus ad Pitocleam: Si vis (inquit) Pitoclea, te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt. *Bruſ. lib.* 2. *cap.* 26.

¶ *Vide etiam Tit.* Divitiæ. *Tit.* Liberalitas. *Tit.* Paupertas.

Divitiæ, divites.

ANacreon poëta, poſtea quam a Polycrate tyranno quinque talentorum accepiſſet munus, inſomnes duas egit noctes; indeque cogitatione ſollicitus, reddidit ea dicens: non tanti ea ſibi eſſe, ut tantâ curâ vexari vellet. *Bruſ. lib.* 5. *cap.* 17.

Bias Prieneus beatum eſſe dicebat ex vulgi opinione, qui opes ex animi ſententia aſſequeretur: verum multo beatiorem qui ne deſideraret quidem. *Stobæus.*

Epictetus interrogatus, quis eſſet inter homines dives? cui (inquit) ſatis eſt quod habet. *Stobæus.*

Socrates interroganti, quiſnam ei videretur ditiſsimus? reſpondit: qui pauciſsimis contentus eſt. *Anton. in Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 37.

Diogenes Cynicus dicebat, divitias nihil aliud esse quam velamenta malitiæ. Divites enim quum aliis nihilo sint meliores, tamen peccant licentius. *Laërt. lib. 6.*

Socrates conspiciens hominem prædivitem & arrogantem, sed nulla virtute præditum: hic (inquit) equus est argento circumtectus. Solent enim equi stragulis, phaleris, ac bullis argenteis exornari; quum interim tamen nihil aliud sint quam equi.

Idem: nec equo sine freno; nec divitiis sine ratione tuto quis uti poterit. *Stob. serm.* 3.

Cicero lusit in quemdam, qui quum prius habitus esset stultissimus, post adeptam hæreditatem primus rogabatur sententiam: cujus (inquit) hæreditas, quam vocant sapientiam. *Eras. lib.* 4. *Apoph.*

Paupertas.

PLato felicem & beatam esse eam civitatem inquit, in qua istæ voces, Meum, & Non meum, proferri non audiantur. Eo quod communibus (quoad fieri potest) rebus, quæ quidem alicujus æstimationis sunt, uti cives debeant. *Stob. serm.* 12.

Socrates dicere solitus est, eum esse diis simillimum, qui quam pauciſsimis egeret; quum dii omnino nullius egeant rei. At vulgus divites diis proximos existimat, quorum deliciis nihil satis est. *Laërt. lib.* 2.

Idem per forum obambulans, quum aspiceret mercium copiam, quæ illhic vendebantur, ita secum loqui consuevit: quam multis rebus ego non egeo! Aſt alii cruciantur animo ita cogitantes: quam multa mihi desunt! *Brus. lib.* 5. *cap.* 22.

In hanc autem sententiam usurpabat (Socrates) versus Jambicos poëtæ nescio cujus:

Argentea isthæc vasa simul, ac purpura,
Tragœdiarum accommoda histrionibus
Sunt: ad beatam conferunt vitam nihil.

Laërt. lib. 2.

Sci-

Scipionem minorem narrant, annis quinquaginta quattuor quibus vixit, nihil emiſſe, nihil vendidiſſe, nihil ædificaſſe: libras autem argenti triginta tres, auri duas in amplâ domo reliquiſſe: idque quum potitus eſſet Carthagine, militeſque ditaſſet plus ceteris ducibus omnibus. *Plut. in Rom. Apoph.*

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator interrogatus, quam ob rem ſtatuiſſet, ut ad ædium culmen imponendum fabri ſecuri uterentur; ad fores vero addendas ſolâ ferrâ, nec ullo alio inſtrumento? ut (inquit) cives mediocritatem in omnibus quæ in ædes inferunt, ſequantur: neque quicquam habeant earum rerum, quæ apud alios ſunt admirationi. Videbatur enim parum decorum eſſe, ſi per oſtium rude ſupellex inferretur exotica, pretio cara, arte operoſa, &c. *Plut. in Lacon.*

Democritus audiens quemdam de paupertate ſua conquerentem: ſi non multa (inquit) deſideres, pauca tibi multa videbuntur. Deſiderium enim contractum, paupertatem divitiis æquipollentem reddet. *Anton. in Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 33.

Socrates ab Archelao vocatus, ut qui ipſum ditare vellet, ei renuntiari juſsit: quod farinæ chœnices quattuor obolo venirent Athenis, & fontes aquam funderent. Nam ſi res meæ (dicebat) mihi non ſufficiunt; at ego ipſis ſufficio: & ſic etiam ipſe mihi. *Stob. ſerm.* 95. *ex Arriani ſcriptis.*

Ariſtides ille juſtus, quum dives quidam paupertatem ei objiceret, dixit: mihi quidem nihil adfert mali paupertas; tibi vero divitiæ non paucas perturbationes. *Anton. in Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 33.

Diogenes paupertatem appellabat virtutem quæ per ſe diſcitur. Divitibus opus eſt multis præceptis, ut frugaliter vivant; ut corpus exerceant laboribus; ne corporis ambitioſo cultu delectentur; aliaque innumera, quæ omnia ſe ipſam docet paupertas. *Stob. ſerm.* 93.

Idem paupertatem eſſe dicebat, ſubſidium ad philoſophiam. Nam quæ philoſophia verbis perſuadere conatur, ea paupertatem in ipſis cogere. *Stob. ubi ſupra.*

Apollonius dicere ſolebat, paupertatem ſecundum na-

turam nequaquam turpem esse: turpi autem de causa pauperem esse, dedecus & flagitium esse indignissimum. *Anton. part.* 1. *serm.* 33.

Diogenes Cynicus quum jam in dolio habitaret, accessit ad eum Alexander rex, & hunc in modum ait: adsum (o Diogenes) tibi subventurus, quando quidem video te multis egentem. Cui Diogenes: uter nostrûm pluribus eget? ego qui ultra peram & pallium nihil desidero; an tu qui non contentus patrio regno, tot periculis te met objicis, ut latius imperes; adeo ut vix totus orbis tuæ cupiditati videatur satis futurus? *Laërt. lib. 6.*

Democritus interrogatus, quo modo quis dives fieri posset? si (inquit) cupiditatum pauper erit. *Max. serm.* 12.

¶ *Vide etiam quattuor Titulos præcedentes, scilicet*, Liberalitas, Avaritia, Divitiæ, Paupertas.

Fortitudo.

LAcæna quædam quum filium audisset in acie cecidisse, ait:

Plorentur timidi, mi infletus humabere nate,
Et matre hac vere dignus es, & patriâ.

Plut. in Lacæn. Apoph.

Altera quædam, filium qui deserto loco fugerat, hostis crudelitatem metuens, interemit dicens: haud meum est hoc germen, quod adeo a vitâ abhorret semel amittendâ. *Plut. ubi supra.*

Quædam sepeliebat filium: ad eam quum vilis aniculа quædam accessisset dicens; heu fortunam! illa subjecit: per Geminos (inquit) bonam quidem arbitror: (a) siquidem cujus gratiâ filium peperi, videlicet ut pro Sparta moretur, id mihi contigit. Fortissima mulier aniculæ deplorationem vertit in gratulationem. *Plut. in Lacæn.*

Paullina uxor Senecæ quum mariti mortem jam imminentem graviter ferret, Seneca ad illam: cave (ait) hanc meam mortem amplius ut contumelioſam defleas: ne vel te

(a) *Tit. Pietas in patriam.*

te nimis amaſſe, vel gloriæ meæ invidiſſe videaris. *Ex vita Senecæ per incertum auctorem.*

Antiſthenes dicebat, (a) virtutem ſibi ſufficere ad felicitatem: nec ullâ re opus habere niſi robore Socratico. Socrates autem (b) ad omnium rerum patientiam obduruerat. Imbecillitas vero corporis impedit frequenter uſum virtutis. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Ageſilaus quum arderet podagræ doloribus, eumque Carneades inviſiſſet, atque exiret triſtis: mane (inquit) Carneade: nihil enim illhinc huc pervenit, oſtenſo pectore. Sentiens pedes quidem dolere; ſed animum dolore vacuum eſſe. *Plut. in Lacon.*

Sylla quum poſt occupatam Rempub. ſenatum coëgiſſet, ſententiaſque rogaret, ut Marius hoſtis Reip. judicaretur, nullis audentibus obviam ire, ſolus Scævola ſententiam dicere voluit. Quin etiam truculentius minitanti Syllæ: licet (inquit) mihi agmina militum quibus curiam circumſediſti oſtentes, nunquam efficies, ut propter exilem ſenilemque ſanguinem meum, Marium a quo urbs & Italia conſervata eſt, hoſtem judicem. *Bruſ. lib. 2. cap.* 1.

Audacia.

ISocrates (c) inter amicos dicere ſolitus eſt, ſe quidem docere decem minis: ceterum qui ipſum docuiſſet audaciam, mercedis loco daturum decem millia. Nam animi timiditas, reddebat Iſocratem ad dicendum inutilem. *Eraſ. lib. 8. Apoph.*

Archidamus conſpiciens filium ſuum cum Athenienſibus juveniliter atque temere congredientem: aut viribus (inquit) adde, aut animis adime. Docens periculoſam eſſe audaciam, ſi vires non ſuppetant ſpiritibus. *Plut. in Lacon.*

Cato ſenior, quibuſdam efferentibus hominem inconſulte audacem, & in rebus bellicis ſtrenuum, ait: plurimum referre, utrum quis virtutem magno æſtimet, an vitam non magni faciat. Sentiens, non, eos ſtatim eſſe for-

(a) *Tit. Virtus.* (b) *Tit. Patientia.* (c) *Tit. Eloquentia.*

fortes, qui quovis modo vitam contemnunt; ſed qui tanti faciunt virtutem, ut hujuſmodi gratiâ vitam alioqui caram negligant. *Eraſ. lib. 5. Apoph.*

Magnanimitas.

GAllorum legati, ad Alexandrum regem profecti ut ejus pacem & amicitiam peterent, interrogati ab Alexandro, quam ob cauſam ipſius amicitiam eo tempore poſtularent? putans eos dicturos, ejus rei præpotentes ipſius vires cauſam eſſe; ſubridentes reſponderunt: nihil aliud ſe metuere, niſi ne in ipſorum caput cælum rueret: & tamen ingentis animi regum amicitiam magni facere. *Fulgoſ. lib. 6.*

Fabius Maximus, quoniam cum Hannibale confligere detrectabat, ſed morâ copias illius & pecuniarum & commeatus egentes attenuabat, ſequens illum per aſpera montuoſaque, ac ſubinde obiter ſeſe opponens, a nonnullis per ludibrium dicebatur Hannibalis pædagogus. Hoc convicio nihil commotus, pergebat ſuum inſtitutum ſequi, dicens apud amicos: (a) qui dicteria conviciaque metuebat, eum ſibi videri timidiorem iis qui fugiunt hoſtes. Senſit, hoc turpius eſſe timiditatis vitium, quo levius eſt periculum. Nihil autem levius dictis: quæ qui formidat, quo modo ſuſtinebit hoſtium impetum? *Plut. in Rom. Apoph.*

Quum Darius innumera Parmenioni vellet dare talenta, Aſiamque ex æquo dividere; dixiſſetque Parmenio: ego quidem accepiſſem, ſi Alexander eſſem: ego (inquit) per Jovem, ſi Parmenio. Sed Dario reſpondit: nec terram duos ſoles, nec Aſiam duos reges tolerare. *Plut. in Apoph.*

Patientia.

AUlicus quidam injuriarum palatinarum patientiſsimus, quum a quodam rogaretur, quo modo rariſsimam rem

(a) *Tit. Timor. Tit. Detractio.*

rem in aula conſecutus eſſet ? injurias (inquit) accipiendo, & gratias agendo. *Senec. lib. 2. de Ira.*

Pittacus prudentum virorum eſſe dixit, ne quid mali fiat, cavere: fortium autem, id quod factum eſt, moderate ferre. *Stob. ſerm.* 18.

Bion Boryſtenites ajebat, magnum malum eſſe, non poſſe ferre malum: abſque hoc enim nulli poteſt eſſe vita ſuavis. *Laërt. lib. 4. cap. 7.*

Proſperitas. Proſperitatis moderatio.

ARchidamus Ageſilai filius, poſt conflictum apud Cheroneam habitum, quum a Philippo rege Macedonum litteras accepiſſet acerbius ſcriptas, hunc in modum reſcripſit: ſi metiaris umbram tuam, haud quaquam reperies illam majorem factam, quam erat ante victoriam. Graviter admonens, non eſſe prudentis, ob fortunæ ſucceſſum intumeſcere; quum ipſe ſit nihilo major. *Plut. in Lacon.*

Philoſophiæ ſummam Epictetus duobus verbis comprehendere ſolitus eſt: Suſtine, & Abſtine. Quorum prius admonet, ut mala quæ incurrunt æquo animo toleremus: poſterius, ut a voluptatibus temperemus. Ita enim fiet, ut nec adverſis dejiciamur, nec proſperis corrumpamur. *Gelli. lib. 17. cap. 19.*

Democritus, illum qui ſiniſtram fortunam ferre nequeat, ne dexteram quidem poſſe ferre dicebat. *Anton. in Meliſ. part. 1. ſerm. 70.*

M. Antoninus Verus, Romanorum imperator dicebat: difficile eſſe in maximâ licentiâ moderari ſibi, & cupiditatibus quaſi frenos imponere. *Herodianus lib. 1.*

Otho imperator Romanorum jam moriens, vocavit ad ſe Coccejum fratris filium, quem ſic admonuit: o fili, habuiſſe te patruum Cæſarem nec prorſus obliviſcaris, nec admodum memineris. Docere autem voluit adoleſcentem, ubique moderandum eſſe animum: ut ſi cogitaret ſe patruum habuiſſe imperatorem, virtutem amplecteretur, ne dehoneſtamento eſſet anteceſſoribus: & interim tamen non adeo ſuperbiret, ut alios præ ſe contemneret.

Pit-

Pittacus Mytilenæus optime conſtitutam eſſe domum pronuntiavit, cui ſuperfluum nihil abundet, & neceſſarium nihil deſit. *Stob. ſerm.* 83.

Xenophon dicebat, tunc maxime colendos eſſe deos, quum homini res ſunt ſecundæ: ut quum incideret neceſſitas, confidenter illos imploremus, utpote benevolos jam & amicos. Recte Xenophon. Sed vulgus hominum contra facit. In felicitate, profunda eſt divorum oblivio: quum urget calamitas, tum demum ad illos confugimus. *Eraſ. lib.* 7. *Apoph.*

Epaminondas, quum alias ſolitus eſſet uncto corpore hilarique vultu prodire in publicum, poſtridie ejus diei quo feliciter pugnatum eſt in Leuctris, proceſsit ſqualidus ac ſubmiſſus. Amicis autem ſciſcitantibus, ecquid illi moleſti accidiſſet? nihil, inquit; ſed heri ſenſi me plus æquo mihi placuiſſe: ejus gaudii intemperantiam hodie caſtigo. *Plut. in Græc. Apoph.*

Admonebat Chilon Lacedæmonius, ſecundis rebus elato non applaudendum, nec arridendum. Infelix enim felicitas eſt, quæ hominem reddit inſolentiorem; eoque non plauſum meretur, ſed lacrimas. *Laert. lib.* 1. *cap.* 4.

Adverſitas.

ROmulus infelicitatem hominibus plurimum prodeſſe dicebat: eo quod in rebus adverſis doceamur de rebus antea nobis ignotis. Vix enim homo ſapit niſi quæ expertus eſt. *Max. lib.* 18.

Demetrius dicere ſolebat, nihil ſibi videri infelicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi: quod oporteat talem hominem, aut ſibi ignotum eſſe, ut qui nunquam ſui periculum fecerit; aut diis inviſum, quem præterierint velut ignavum ad fortunæ conflictum. *Stob. ſerm.* 18.

Alexander, poſtea quam ex diuturno morbo convaluit, nihilo ſe deterius affectum eſſe dixit. Admonuit enim nos (inquit) ægritudo, ne altum ſaperemus, utpote mortales. *Stob. ſerm.* 19.

Vo-

Voluptas. Deliciæ.

SCiſcitaſſe quemdam legimus ab Ageſilao Lacedæmoniorum rege, quid Spartæ attuliſſent Lycurgi leges? voluptatum (inquit) contemtum. Videlicet indicans, eam demum Rempub. eſſe ſalvam, in qua leges ſub optimo principe omnes voluptates arcent. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Pythagoras ajebat, in civitates primum irrepſiſſe delicias, mox ſaturitatem, deinde violentiam, poſtremo exitium. *Laërt. lib. 7. cap. 1.*

Architas Tarentinus nullam peſtem in mundo capitaliorem eſſe dicebat, quam corporis voluptatem. Hinc enim patriæ proditiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſcuntur. Nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impellat. Stupra vero & adulteria, & omne flagitium nullis aliis illecebris excitantur, niſi voluptate. *Cicero in Catone Majore.*

Diogenes inviſerat Lacedæmonam. Inde Athenas reverſum quidam percontabantur, ut fit: quo iret, & unde veniret? a viris (inquit) ad feminas. Notans Athenienſium deliciis effeminatos mores; quum Lacedæmonii dure inſtituerentur. *Laërt. lib. 6.*

Idem, eos qui per luxum in coquos, nepotes, ſcorta, & adulatores facultates ſuas profunderent, ſimiles dicebat arboribus per præcipitia naſcentibus, quarum fructus homo non guſtaret, ſed a corvis & vulturibus ederentur. Sentiens, eos qui gulæ ventrique ſerviunt, non eſſe homines. *Ibid.*

Heraclitus philoſophus in ſeditione rogatus, ut apud populum ſententiam diceret, quo pacto civitas redigi poſſet in concordiam? conſcenſo ſuggeſto, popoſcit calicem aquæ frigidæ, & paullulum farinæ inſperſit; mox deglectione admiſcuit; ideſt vel pulegii ſilveſtris, vel leguminis genus: deinde epoto calice diſceſſit, nec verbum addidit: hoc pacto innuens, ita demum civitatem carituram ſeditionibus, ſi repudiatis deliciis aſſueſcerent parvo contenti eſſe. *Eraſ. lib. 8. Apoph.*

Ari-

Ariſtoteles Stagirita ſemper admonebat ut voluptates contemplemur, non venientes, ſed abeuntes: hoc eſt, non a fronte, ſed a tergo. Venientes enim fucatâ ſpecie blandiuntur; abeuntes autem pœnitentiam ac dolorem relinquunt. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 1.

Dionyſius ſophiſta familiaribus dicere conſuevit: mel ſummo digito, non cavâ manu eſſe guſtandum. Sentiens, voluptates quam parciſsime admittendas. *Philoſtratus in Sophi.*

Arceſilaus Scytha percontanti, quî fieret ut ab aliis ſectis multi deficerent ad Epicureos; ab Epicureis nulli deficerent ad alios? quoniam (inquit) ex viris galli fiunt; ex gallis viri nequaquam. Sentiens, homines eſſe proniores ad voluptatem, quam ad virtutem. Gallos dixit ſacerdotes Cybeles eviratos. Porro voluptatem amplecti feminarum eſt potius, quam virorum. *Laërt. lib.* 4. *cap.* 6.

Philoxenus Erixius collum longius ſibi, quam gruibus fieri exoptabat, ut in guſtu magis oblectaretur. *Ariſtot. in Ethicis.*

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, omnem unguentorum uſum e medio ſuſtulit: non ob id tantum, quod oleum odoribus vitiatum, nullum haberet uſum; ſed ut omnem luxum Reipub. pernicioſum eſſe oſtenderet. *Plutarch. in Lacon.*

Quum Perſæ (quoniam regionem habebant montuoſam aſperamque) cuperent eam campeſtri ac molliore commutare, non paſſus eſt Cyrus, dicens: quemadmodum plantas ac ſemina, ſic hominum mores ad regionis habitum immutari. Sentiens ſe velle duros homines, & laboribus accommodos. Nam mollis ac fertilis regio molles & ignavos reddit homines. *Plut. in Reg. Apoph.*

Xerxes iratus Babyloniis, quod a ſe defeciſſent, poſtea quam illos in poteſtatem ſuam redegerat, interdixit ne ferrent arma; ſed pſalteriis & tibiis canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, ac ſinuoſis tunicis uterentur: quo voluptatibus evirati, non molirentur denuo defectionem. *Plut. in Reg. Apoph.*

Monachus quidam Ægyptius (a) interrogatus, cur toties

(a) *Tit. Ira.*

ties voluptates ſibi ſubtraheret? ideo ſubtraho (reſpondit) ut iræ cauſam, & occaſionem præcidam. Scio enim illam ſemper de voluptatibus belligerare, mentemque meam perturbare, & cognitionem ipſam fugare. *Niceph. lib.* 11. *cap.* 43. *Eccleſ. hiſt. ex Evagrio.*

Antiſthenes voluptatem in tantum exſecrabatur, ut diceret: ſe malle inſanire, quam voluptate affici. Inſaniam enim aufert medicus: voluptas quum æque mentem eripiat homini, vix ſanabile malum eſt. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

¶ *Vide etiam ſequentem Tit.* Luxus. *Tit.* Parſimonia. *Tit.* Gula.

Luxus.

AGeſilaus quum in Aſia domus contignationem ex quadratis trabibus factam aſpexiſſet, ædium herum rogavit: num apud illos quadrata naſcerentur ligna? eo negante, ſed rotunda dicente arte quadrari: quid igitur (inquit) ſi quadrata eſſent, rotunda faceretis? Notavit autem luxum, & pretioſam illam in ædificandis ædibus ſollertiam. *Bruſ. lib.* 3. *ex Lacon. Plut.*

Alexander Macedonum rex Darii regiam ingreſſus, quum vidiſſet ſublime cubiculum, & in eo ſtratum, menſas, ceteraque omnia mirifico ornatu inſtructa: hoccine (inquit) erat imperare? Sentiens, non eſſe regium hujuſmodi deliciis indulgere. *Plut. in Alex. vita.*

Idem, lectum ingreſſus, excuſsis accurate palliis, dicere ſolebat: num quid hic delicatum, aut ſuperfluum mater addidit? Adeo abhorrebat a muliebribus deliciis. *Ibid.*

Ægrotanti Pompejo medicus præſcripſerat, ut turdis veſceretur. Quumque ii quibus datum eſſet negotium, negarent inveniri (non enim erat tempus, quo genus hoc avium capi ſolet) admonuit aliquis apud Lucullum inveniri poſſe, qui turdos toto anno ſolebat alere: ita ne (inquit Pompejus) niſi deditus deliciis eſſet Lucullus, nequaquam viveret Pompejus? contemtoque medico, cibis parabilibus uſus eſt. O vere maſculum animum, quo nec vitam qui-

quidem deliciis acceptam ferre ſuſtinuit! *Plut. in Rom. Apoph.*

Tiberius Cæſar Attilio Butæ, viro prætorio, quum is ad inopiam per luxum ac ſocordiam redactus, fateretur ac deploraret paupertatem ſuam: ſero (inquit) experrectus es. Dormiunt temulentiæ ac luxui dediti, verius quam vivunt. Nam vita, vigilia eſt. *Senec. in Epiſtolis.*

Heliogabalus adhuc privatus, quum luxurioſus omnibuſque voluptatibus prædítus eſſet, reprehenſus a quodam qui dicebat: an non times, vir luxurioſiſsime, ne poſt tot delicias pauper fias? Quid melius, inquit, quam ut ipſe mihi hæres ſim uxoris meæ? *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 3.

Idem dicere ſolebat, ſe nolle filios; ne quis frugi ſibi naſceretur. O naturæ portentum verius quam homo! *Ibid.*

Eques quidam ingens patrimonium per luxum ac libidinem abſorbuerat, ac inſuper magnam æris alieni vim contraxerat. Pro hoc intercedentibus quibuſdam apud Alphonſum Aragoniæ regem, ne ſaltem quæ debebat, corpore luere cogeretur; Alphonſus reſpondit: ſi tantam pecuniam vel in ſui regis obſequio, vel patriæ commodis, vel ſublevandis propinquis impendiſſet, audirem: nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt ut luat corpore. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Q. Metellus devictâ jam Carthagine, ſapientiſsime in ſenatu neſcire ſe dixit, plus ne boni vel mali Reipub. illa victoria attuliſſet. Quoniam ut pacem reſtituendo, profuiſſet: ita Hannibalem ſubmovendo, non nihil nocuiſſet. Ejus enim tranſitu in Italiam, dormientem populi Romani virtutem excitatam; metuique debere, ne acri æmulo liberata, in eumdem ſomnum revolveretur. *Val. Max. lib.* 7. *cap.* 2.

¶ *Vide etiam Tit.* Voluptas. *Tit.* Gula. *Tit.* Parſimonia. *Tit.* Abſtinentia.

Parſimonia, Frugalitas.

ANteas Scytharum rex ad Philippum hæc ſcripſit: tu quidem viris Macedonibus, qui bella gerere didicerunt, imperas; ego vero Scythis, qui cum fame & ſiti pu-

pugnare poſſunt. Quum autem equum fricaret, Philippi oratores interrogavit: num id Philippus faceret? illis vero reſpondentibus, minime: & quo (inquit) modo contra me bellum movere poteſt? *Plut. in Apoph.*

Gula.

DIogenes dicebat: in quibus ædibus magna eſſet ciborum copia, in iiſdem multos mures eſſe & feles ſolere. Sic ea corpora quæ multum cibi caperent, multos morbos contrahere ſolere. *Max. ſerm.* 27.

Plato ille ſapiens generoſum conſpicatus adoleſcentulum, patrimonio conſumto, ad fores pandochii panem edentem & aquam bibentem: ſi (inquit) ſic moderate prandiſſes, nunquam ſic cœnares. *Max. ſerm.* 61.

Abſtinentia.

DEmocritus dicebat, in capiendo cibo omnem celeritatem abeſſe oportere. Hoc enim caninum eſt: magiſque beſtiam, quam hominem decet. *Max. ſerm.* 27.

Socrates quum admoneretur ab amico, quod excepturus hoſpites admodum tenuem feciſſet apparatum: ſi boni ſunt (inquit) ſatis erit; ſi minus, plus ſatis. *Laërt. in ejus vita.*

Darius in fuga, quum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucundius. Nunquam autem, vel perraro ſitiens biberat. *Cicer. lib.* 1. *Tuſc. quæſt.*

Artaxerxes, quum in fugâ quadam, direpto illius commeatu, aridis ficis, & hordeaceo pane veſceretur: dii boni (inquit) hujuſmodi voluptatis hactenus inexpertus fui. *Plut. in Reg. & Imp. Apoph.*

Socrates dicere ſolebat, multos in hoc vivere, ut ederent & biberent: ſe autem contra, ob id bibere & edere, ut viveret; quod his rebus non ad voluptatem uteretur:

tur : quando quidem natura paucis contenta ſit. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Idem pro foribus deambulanti contentius uſque ad veſperam, quum prætereuntium quiſpiam dixiſſet : quid agis Socrates ? obſonium mihi (inquit) comparo in cœnam. De fame ſentiens, quam agitatione corporis acuebat.

Timotheus Cononis filius, dux Athenienſium, vocatus a Platone in convivium, quum frugaliter tractatus eſſet, poſtridie conveniens Platonem : vos, o Plato, melius cœnatis (dixiſſe fertur) ſequenti die quam præſenti. Innuit autem, iis qui frugaliter cœnarent, ſequentem diem multo lætiorem eſſe, quum nullo crapulæ vel ebrietatis dolore cruciarentur : verum eos qui laute, & immoderatius cœnarent, diebus ſequentibus gravari, ac cruciari cibo ac potu nondum concocto ex vitio ſtomachi. *Æl. lib.* 2. *de Var. hiſt.*

Thaſiorum gens ut copiâ rerum abundabat, præcipue vini præſtantiâ nobilis ; ita deliciis erat addictior. Per horum agros cum exercitu proficiſcenti Ageſilao, Thaſii honoris gratiâ miſerunt farinas, anſeres, bellaria, liba ex melle condita, & item omnis generis omnia maximi pretii tum eſculenta, tum poculenta. At ille præter farinas, nihil accepit: reliqua domum referri juſsit ab his qui attulerunt, tanquam ſibi ſuiſque prorſus inutilia. Ceterum quum illi precibus & obteſtationibus omnino urgerent ut caperet xenia, juſsit ea inter Helotes diſtribui. Erat id apud Lacedæmonios mancipiorum genus. Ejus facti cauſam ſciſcitantibus reſpondit: (a) non decere qui virtutis ac fortitudinis ſtudio tenerentur, id genus deliciarum recipere : propterea quod iſtiuſmodi rebus ineſcarentur ingenio ſervili nati ; quæ oporteret a liberis procul abeſſe. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Lyſandro Spartiatæ in Joniam proficiſcenti, hoſpites quos habebat in Jonia, cum aliis multis etiam bovem & placentam dono miſerunt. Qui placentam contemplatus, rogabat : quidnam illud cupediarum eſſet? Cui quum is qui attulerat, reſponderet : ex melle, & caſeo, aliiſque qui-

(a) *Tit. Deliciæ. Tit. Luxus.*

quibuſdam confectum eſſe: ſed hoc (inquit Lyſander) iis date qui noverunt. Non enim hic eſt liberi & ingenui hominis cibus. *Æl. lib.* 3. *de Var. hiſt.*

Epaminondas tam tenui victu utebatur, ut aliquando vocatus ad cœnam a vicino, quum reperiſſet bellariorum, obſoniorum, & unguentorum apparatum, confeſtim abierit, dicens: ego te ſacrificare putabam; non deliciari & illudere. *Plut. in Græcis Apoph.*

Socrates dicebat: eos qui ſe ad continentiam ac frugalitatem exercuiſſent, & longe plus habere voluptatis ac minus dolorum, quam qui ſummâ curâ undique pararent oblectamenta: quod voluptates intemperantium, præter animi ſibi male conſcii cruciatum, præter infamiam ac paupertatem, frequenter ipſi etiam corpori plus adferant moleſtiæ, quam delectationis; contra, quæ ſunt optima, eadem fiunt jucundiſsima, ſi quis aſſueverit. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 5.

Democritus dicebat, cœnas lautas & ſumtuoſas ſuppeditare poteſt fortuna: at contra, faciles & quæ ſufficiant neceſsitati, temperantia. *Stobæus.*

Ptolemæus rex, quum Ægyptum peragraret, nec ejus milites adhuc eum cum cibariis aſſecuti eſſent, eſuriens admodum, panem e tugurio paſtorali arreptum magnâ cum aviditate comedit, juravitque in omni vitâ nihil ſuavius eo pane comediſſe. *Ex Franc. Senenſ. lib.* 5. *de Inſt. Reip.*

Epicurus etiam voluptatis aſſertor, elegantes opiparaſque dapes aſpernabatur, & libros ſuos omnes oleribus ac pomis referſit, dixitque; veſcendum eſſe vilibus cibis, quod paratiores eſſent: fercula enim illa lautiora, & exquiſita pulmenta, ingenti curâ & nimiâ ac miſerabili impensâ præparantur; majoremque moleſtiam quæritando faciunt, quam voluptatem veſcendo. *Ubi ſupra.*

Quum regina quædam illud haberet ſtudio, ut aſſidue mitteret Alexandro obſonia, bellariaque per talium rerum coquos magnâ arte parata; Alexander ait: ſe ipſum habere meliores obſoniorum artifices: ad prandium quidem, nocturnum iter; ad cœnam vero, tenue prandium. *Plut. in Reg. & Imp. Apoph.*

Julianus Romanorum imperator coquos omnes ejecit e

palatio. Rogatus autem, cur hoc feciſſet? non opus eſt coquis, ait: quod ſimpliciſsimis cibis contentus eſſe poſſum. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Sobrietas, Ebrietas.

ARchidamo quum polliceretur quidam vinum ſuave: quorſum (inquit) opus? quando quidem & plus abſumetur, & quæ fortes decent viros, ea reddet inutiliora. O vere maſculinum animum, & omnium deliciarum contemtorem! *Plut. in Lacon.*

Percontanti cuidam, quam ob rem Spartiatæ parciſsime biberent? ne (inquit Leotychidas) pro nobis alii; ſed nos potius pro aliis conſultemus. Salſiſsime notans, vinoſos non eſſe ad conſultandum idoneos: ſalubrium enim conſiliorum parens eſt ſobrietas. *Plut.*

Cyrus ſenior, quum ad hoſpitem divertiſſet rogaretque, quid ſibi cœnæ vellet apponi? reſpondit: panem tantum; & ſperare ſe prope fluentem aquæ rivulum cœnaturum. *Guido Bituri.*

Peſcennius Niger militibus vinum ab eo petentibus: Nilum habetis (inquit) & vinum quæritis? Docuit autem, vinolentiam militibus ceu peſtem fugiendam eſſe: qui tum demum ad res gerendas promti ſunt, quum ratio mero non pervertitur. *Bruſ. lib.* 4. *cap.* 15. *ex Spartiano.*

Fridericus imperator, ſtudioſiſsimus temperantiæ ac ſobrietatis cultor fuiſſe dicitur: qui quum audiſſet, Leonoram uxorem (quæ paternâ in domo nunquam vinum guſtarat) facile filios parituram, ſi in Germaniâ tam frigidâ regione vinum biberet; dixiſſe fertur: malle ſe ſterilem uxorem habere, quam vinoſam. Non ignoravit autem imperator fortiſsimus, quam multa vinolentiam mala comitentur; & tum præſertim, quum femineum genus nimio vino obruitur. *Æneas Sylv. lib.* 2. *Comm. de Reb. geſt. Alph.*

Alphonſus Aragonum rex interrogatus, cur vino dilutiſsimo ſitim expleret? reſpondit: vino ſapientiam obſcurari; ideoque non decere regem, ut hoc immodicâ compo-

potatione in animo extinguat, ſine quo imperatoris ac regis nomen rite tueri non poſsit. *Panor. lib.* 2. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem ab amico rogatus, cur adeo ebrietatis vitium damnaret? quia furorem (inquit) & libidinem, ebrietatis filios eſſe haud ignoro. *Panor. ubi ſupra.*

Anacharſis dicebat, vitem ferre tres botros: primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium moleſtiæ. Sentiens, parcum vini uſum eſſe jucundum, quia ſedat ſitim: largiorem, gignere temulentiam: largiſsimum, parere rixas, cædes, ac morbos. Simile eſt huic quod alibi dictum eſt. Primum craterem pertinere ad ſitim, alterum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad inſaniam. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 9.

Caſtitas.

THales Mileſius interrogatus, quiſnam felix dicendus eſſet? qui corpore (inquit) ſanus eſt, animo vero caſtus. *Laërt. lib.* 1.

Alexander Magnus (a) quum Darii filias haberet captivas, demiſsis oculis eas ſalutabat; idque raro, ſibi metuens ab illarum inſigni formâ. Apud familiares autem dicere ſolebat: dolores oculorum ſunt Perſicæ puellæ. *Plut. in ejus vita.*

Antiochus tertius, (b) quum Dianæ ſacerdotem vidiſſet ſupra modum eleganti formâ; continuo ſolvit Epheſo, veritus ne vis amoris aliquid ipſum facere compelleret, quod fas non eſſet. *Plut. in Reg. Apoph.*

Clementia.

ALexander quum Poro Indorum regi victo obtuliſſet, ſe daturum quidquid peteret: Porus, quum ut regaliter tractaretur, petiiſſet; ſubridens Alexander: faciam

(a) *Tit. Occaſiones.* (d) *Tit. Sup.*

hoc (ait) non tuâ ; ſed meâ causâ. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 13.

Idem tantæ fuit clementiæ , ut Darius invidens precaretur a diis , ut aut ſuperare poſſet clementiâ Alexandrum; aut ſi is regno ſpoliaretur , ſolus Alexander in Perſarum regno imperaret. *Bruſ. ubi ſupra.*

Porſena demiratus egregium animum Mucii Scævolæ (qui iratus dexteræ ſuæ , quod in ſtringendo ferro erraſſet , foculo impoſitam exuri paſſus eſt) dixit illi : revertere ad tuos Muci , eiſque refer , te quum vitam meam petieris , a me vitâ donatum. *Livius.*

M. Bibulus (a) quum in Syria duos egregiæ indolis filios amiſiſſet , a Gabinianis militibus occiſos , & horum interfectores Cleopatra ad eum vinctos miſiſſet , ut in filiorum interfectores pro arbitrio ſuo animadverteret ; ille protinus intactos remiſit ad Cleopatram. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

Cato ſenior (b) admonebat eos qui potentes eſſent , ut parce uterentur ſuâ poteſtate ; quo ſemper uti poſſent. Sentiens , potentiam clementiâ & comitate fieri diuturnam ; ferociâ brevem. *Plut. in Rom. Apoph.*

Chilon docuit , (c) potentiæ adjungendam manſuetudinem , ut a ſuis non tam metu extorqueat , quam impetret reverentiâ. Reverentiæ comes eſt amor , metus , odium. Amari autem non ſolum honeſtius eſt , ſed etiam tutius. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 4.

Titus Veſpaſianus Romanorum imperator , fratrem Domitianum inſidias molientem non eſt ultus; ſed his verbis admonuit : quid opus te parricidio petere , quod me volente obventurum eſt ? immo quod jam habes , imperii particeps ? Haud temere in Chriſtiano reperies tantum manſuetudinis. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Hadrianus (d) imperator creatus , adeo contemſit inimicos , ut uni (quem habuerat capitalem) forte obvio dixerit : evaſiſti. Principibus , in privatis offenſis debet eſſe ſatis , potuiſſe ulciſci. *Dion.*

Theodoſius junior (e) tam admirabili fuit ingenii lenitate , ut quum ab amicis rogaretur , quam ob rem nemi-

(a) *Tit. Dilectio inimicorum.* (b) *Tit. Proſperitatis moderatio.* (c) *Tit. Sup.* (d) *Tit. Judex. Tit. Proſperitatis moderatio.* (e) *T. Dilectio inimicorum.*

minem eorum a quibus lædebatur, ſupplicio capitis afficeret? utinam (inquit) mihi liceret & mortuos ad vitam revocare. Ad privatas injurias oportet principem eſſe facilem ad ignoſcendum: in eos qui lædunt Rempub. eſſe ſeverum. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Alphonſus Aragonum rex (a) interrogatus, cur erga omnes etiam male meritos, tam humanus ac manſuetus eſſet? reſpondit: ſe quidem juſtitiâ bonis gratum eſſe; malis autem clementiâ. Et alias dicebat: nihil magis adverſariorum animos flectere, quam placabilitatis & manſuetudinis nomen. *Panor. lib.* 2. *&* 3. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem (b) quum Cajetam urbem pertinaciter obſideret, & eos forte quos oppidani tanquam bello inutiles expuliſſent, ut commeatum diutius in urbe haberent (erant autem ſenes decrepiti, mulieres, puellæ, infantes); ab his abſtinere ſuos milites juſsit. Verum milites quum ægre hoc tuliſſent: malo (inquit rex) Cajetâ & Cajetanis nunquam potiri, quam homines imbelles, & innocentem juventutem tam fœde, tamque crudeliter trucidando vincere. Cum viris enim, non cum mulieribus mihi dimicatio eſt. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Carolus Francorum rex in bello Britannico ſuperatus, ac militibus & pecuniâ jam exhauſtus, quum per legatos peteret ab Alphonſo Aragonum rege (cujus provincias ab anteceſſoribus quidem acceperat, ſed non ſalvo jure) ne contra ſe bello jam protritum ſuſcitaret aliquod bellum, infortunio occaſionem dante; reſpondit Alphonſus: (c) non eſt, quod ſibi hoc tempore timeat Carolus: ego enim quod majores mei in Caroli ſummâ felicitate non petierunt, in ejus calamitate petere nolo. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem quum Picentiæ agrum Surrentinum depopulari jure bellico cogeretur, ſæpe numero ingemuiſſe fertur. Verum quum oppidanos pertinaciores animadverteret: videte (inquit) qui urbem inhabitatis inimicam mihi, ne veſtra pertinacia id efficiat, quod poſtea meâ lenitate & clementiâ corrigi non poſsit. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Aurelianus Romanorum imperator quum Tyanam ve-

(a) *Tit. Sup.* (b) *Tit. Magnanimitas.* (c) *Tit. Sup.*

niſſet, eamque occluſam reperiſſet, iratus dixit: canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites erecti ſunt in ſpem prædæ: & Heradamon Tyanenſis, metu ne cum ceteris occideretur, prodidit civitatem. Qua captâ, Aurelianus Heradamonem patriæ proditorem occidit. Militibus ex Cæſaris promiſſo direptionem oppidi flagitantibus, reſpondit: agite: canem me negavi relicturum; canes omnes occidite. Hoc pacto & proditori mercedem rependit, & militum avaritiam eluſit. *Eraſ. ex Vopiſco.*

Alphonſus Aragonum rex, non tam quod hoſtes vincere & ſciret & poſſet gloriabatur, quam quod victis conſulere didiciſſet. Illud quidem fortunæ interdum munus eſſe; hoc autem ſemper ſuum. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem quum in obſidione Stephani, centuriones ac milites qui maledixerant regi, poſt captam urbem clementer tractaſſet, caſtigatus a ſuis qui omnes morte damnandos judicarent, reſpondit: ſe malle ex clementiâ & humanitate erga hoſtes, quam ex victoriâ laudem adipiſci. *Panor. lib. 3. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Quum paſſer futurus accipitri præda, in ſinum Xenocratis philoſophi volaſſet, eum humaniter defendit, dicens: non oportere ſupplicem prodere. *Guido Bitur.*

„ Hoc exemplum ſpem eorum alit, qui ad Dei præ-
„ ſidium ſupplices in calamitate confugiunt. „

Manſuetudo.

QUidam a Socrate ſalutatus, non reſalutavit: ſed hoc nequaquam moleſte tulit Socrates. Amicis autem admirantibus, & ob hominis incivilitatem indignantibus dixit: ſi quis nos præteriret, pejus affectus corpore quam nos ſumus, nequaquam ilii ſuccenſeremus: cur igitur illi ſuccenſeam, qui pejus affectus eſt animo quam nos ſumus? *Eraſ. lib. 8. Apoph.*

Idem cuidam admiranti, quod conviciis nihil in eum commoveretur, a quo conviciis inceſſebatur: mihi (inquit) non maledicit; quando quidem ea quæ dicit, mihi

non

non adſunt, neque in me hærent. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Idem, quum in viâ quidam illi per laſciviam calcem impegiſſet, admirantibus quod id pateretur: quid facerem? inquit. Illis hortantibus ut vocaret hominem in jus: ridiculum, inquit: ſi quis aſinus me calce percuſiſſet, diceretis mihi, voca illum in jus? Nihil putabat intereſſe inter aſinum & hominem brutum, nullâque virtute præditum: ac vehementer abſurdum videri, non pati ab homine, quod ab animante bruto paſſurus ſis. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 1.

Idem quum Xantippem diu rixantem tuliſſet in ædibus, ac tandem feſſus conſediſſet ante fores, illa magis irritata quiete viri, de feneſtrâ perfudit eum lotio. Ridentibus qui præteribant, & ipſe Socrates arridebat, dicens: facile divinabam, poſt tantum tonitruum ſecuturam eſſe pluviam. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 1.

Idem colapho percuſſus a quodam in viâ, nihil aliud reſpondit, quam quod homines neſcirent, quando prodire deberent cum galeâ. *Bruſ. lib.* 5. *cap.* 1.

Demoſthenes a quodam conviciis laceſsitus: nolim (inquit) tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo qui vincitur, ipſo victore melior eſt. *Stob. ſerm.* 17.

Phocionem quum pro concione dicentem quidam petulantiſsime maledicus interpellaret, multis conviciis in illum debacchans; omiſit quod cœperat, locumque dedit maledico. Poſtea quam ille vix dicendi feciſſet finem, Phocion reverſus in ſuggeſtum, placido vultu perinde quaſi nihil eſſet dictum, cœptam orationem perſecutus eſt. De pedeſtribus (inquit) copiis audiſtis: ſupereſt, ut de velitibus ac levis armaturæ milite dicam. *Plut.*

Lacones (a) quum deos comprecantur, hoc votis addunt, ut poſsint injuriam pati: quod neminem judicarent ad gerendum imperium, aut alioqui magnas res obeundas idoneum, qui quavis injuriâ commoveretur. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Quum ex militibus quidam in Antigonum convicia jactarent, ignorantes illum prope eſſe; tentorio virgâ patefa-

(a) *Tit. Patientia.*

facto : flebitis (inquit) nisi longius remoti male de nobis dicetis. *Plut. in Apoph.*

Chilon Lacedæmonius fratri querenti, quod Ephorus ipse non crearetur, quum ille esset : ego (inquit) injuriam ferre novi; tu non. Sensit, sine patientiâ nullam esse prudentiam : quæ virtus ad moderandam Rempub. maxime necessaria est. *Laërt. in ejus vita.*

Iracundia.

ISocrates dicere solebat : improbi hominis quasi taciturni canis silentium, magis quam vocem timendam esse. *Max. serm.* 20.

Heraclitus Ephesius dicebat, injuriam magis extinguendam quam incendium. Ex levissimis offensis, si negligantur, nascuntur atroces tragœdiæ. Sed ad restinguendum incendium accurrunt omnes : glisceuti vero simultati citius addunt irritamenta. *Ex Laërt. lib. 9. cap.* 1.

Plato auditores admonebat, ut iratos ebriosque se in speculo contemplarentur. Nam quum faciem suam furibundam per omnia phrenetico similem viderent, eo dedecore territi, in posterum ab iracundiâ facile sibi temperaturos. *Fulgos. lib. 7. cap.* 2.

Chilon dicebat, vincendam iram; quod is affectus sit ceteris potentior : quam superare fortius est, quam hostem armatum dejicere; nec minus exitii mortalibus sit ab irâ, quam ab hoste. *Laërt.*

Diogeni (a) de non irascendo accurate differenti, adolescens quidam protervus, veluti periculum faciens an re præstaret ea quæ docebat, inspuit in faciem. Tulit hoc leniter ac sapienter : non quidem (inquit) irascor; sed dubito tamen, an irasci oporteat. *Laërt. lib. 6.*

Architas quum in agro comperisset, quosdam e famulis admisisse quiddam, sentiens se commotiorem in illos, nihil quidem tum fecit; tantum abiens : fortunati (inquit) estis, quod irascor vobis. *Cicer. lib.* 4. *Tusc. quæst.*

Pla-

(a) *Tit. Doctor.*

Plato interrogatus, quo indicio cognoſceretur ſapiens? reſpondit: ſapiens quum vituperatur, non iraſcitur: quum laudatur, non extollitur. *Laërt. in ejus vita.*

Idem iratus ſervo, quum eum caſtigare pararet, & forte interveniret Xenocrates: flagella (inquit) hunc puerum: nam ipſe ſum iratus. Sibi diffiſus eſt homo philoſophus, ſentiens animi commotionem. At vulgus hominum tum maxime punit, quum iraſcitur. *Laërt. lib.* 3.

Ariſtoteles dicebat: perinde ac fumus oculos incommodat, & aſpectum ita conturbat, ut nec ea nobis videndi poteſtas fiat quæ ſunt ante pedes: ita obortâ irâ, rationi caligo ſuffunditur, ut ſe delinquere nullâ cogitatione deprehendere poſsit. *Stob. ſerm.* 18.

Demonax, quum a quodam cui imperator exercitum commiſerat interrogaretur: quonam pacto delegatam provinciam quam optime gerere poſſet? ſi (inquit) iracundiâ vacaris. Iram ſenſit vir prudentiſsimus ad omnem functionem inutilem eſſe. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Cato ſenior, iratum ab inſano nullâ aliâ re differre dicebat, quam morâ temporis: ſentiens iram eſſe brevem inſaniam. *Plut. & Stob. ſerm.* 18.

Athenodoro philoſopho cauſatione ſenectutis flagitanti, ut ſibi liceret redire domum; Auguſtus conceſsit. At quum ille Cæſari dixiſſet, vale; volens aliquod philoſopho dignum monumentum apud illum deponere, adjecit: (a) Cæſar, quum fueris iratus, ne quid dixeris feceriſve, prius quam Græcarum litterarum viginti quattuor nomina apud te recenſueris. Cæſar autem philoſophi dexteram amplexus: adhuc (inquit) te præſente mihi opus eſt; totumque etiam annum apud ſe detinuit. *Plut. in Rom. Apoph.*

Modeſtia.

ANtalcidas olim rogatus a quodam, quo pacto quis maxime placere poſſet hominibus: ſi (inquit) loquatur illis jucundiſsime; præſtet autem utiliſsima. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Chi-

(a) *Tit. Conſilium.*

Chilonis Lacedæmonii dictum eſt: ita moderandam vitam, ut nec inferioribus ſis terrori; nec ſuperioribus deſpectui. Metui a ſubditis, tyrannicum eſt: negligentiæ vero eſt, ſic agere, ut a majoribus contemnaris. Mediocritas igitur hic maxima eſt. Auſonii carmen ſic habet:

Nolo minor me timeat, deſpiciatque major.

Ex Laërt. lib. 1. *cap.* 4.

Scipio junior, quum legatus mitteretur ad Carthaginienſes, unum tantum comitem Panætium philoſophum & amicum ſecum habuit, & famulos quinque: quorum uno in peregrinatione defuncto, alium emere noluit; ſed e Roma unum in defuncti locum arceſsivit. (a) Potuiſſet Scipio multis comitatus viris & ſervis legationem ſuam abſolvere pro Romanorum conſuetudine. Verum ne ceteris oſtentationis & ſuperbiæ exemplum eſſet, his contentus, Reipub. negotia expedire voluit. *Plut. in Rom. Apoph.*

Alphonſus Aragonum rex (b) admonitus ab amico, ne nimium lenis erga ſuos eſſet, & ob id in contemtum apud ſuos incideret: magis (ait) hoc cavendum mihi eſt, ne nimia mihi ſeveritas conciliet invidiam. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Socrates admonebat ſuos diſcipulos, ut tria præcipue in omni vitâ haberent: in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in linguâ ſilentium. *Max. ſerm.* 41.

¶ *Vide etiam Tit.* Affabilitas. *Tit.* Decorum. *Tit.* Manſuetudo. *Tit.* Linguæ moderatio.

Decorum.

THemiſtocles quum ad mare deſcendiſſet, ut occiſorum Perſarum ſtragem inſpiceret, poſtea quam vidit interfectorum ſparſos torques, & armillas aureas, ad amicum converſus ait: tu qui Themiſtocles non es, iſta collige. *Fulgoſ. lib.* 6.

Alexandrum, quum levitate & curſu plurimum præſtaret, hortante patre Philippo in Olympiis ut curreret, recuſavit dicens: facerem equidem (mi pater) perlibenter, ſi

(a) *Tit. Contra faſtum & luxum.* (b) *Tit. Lenitas.*

ſi cum regibus currendum foret. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 33.

Quum Socrati Lyſias orationem, quam in ejus defenſionem compoſuerat, recitaſſet: (a) præclara (inquit) & elegans oratio eſt; ſed non convenit Socrati. Erat enim forenſi inſtituto aptior, quam philoſopho ac tali philoſopho. Rurſus Lyſiæ percontanti, cur ſi bonam judicaret orationem, putaret ſibi non convenire? non ne (inquit) fieri poteſt, ut amictus aut calceus elegans ſit ac pulcher, qui tamen alicui non conveniat? *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Affabilitas.

ARtaxerxes Cyri frater, cognomento Memor, (b) non ſolum ſe ipſum affabilem præbuit adire volentibus; verum uxorem quoque legitimam juſsit, ſublatis currûs aulæis vehi, ut iis qui eam conventam vellent, etiam in itinere pateret aditus. *Plut. in Reg. Apoph.*

Hadrianus imperator (c) in colloquiis etiam humillimorum mire civilis erat: eoſque deteſtari ſolebat, qui hanc humanitatis voluptatem ipſi inviderent, hoc prætextu quod dicerent; principis majeſtatem ubique ſervandam. *Dion. in ejus vita.*

Socrates dicere ſolebat: neque vinum auſterum aptum eſſe potioni; neque mores agreſtes hominum converſationi. *Stob. ſerm.* 2. *de Imprudentia.*

¶ *Vide etiam ſup. Tit.* Modeſtia.

Linguæ moderatio.

APollodorus dicebat, optimos homines in dicendo breviſsimos eſſe: linguaces autem, ſi tantum moleſtiæ caperent quantâ reliquos afficiunt, haud ſane longos ſermones habituros. *Stob. ſerm.* 34.

Leon † Euricratidis filius, cuidam de rebus haud quaquam

(a) *Tit. Eloquentia.* (b) *Tit. Proſperitas.* (c) *Tit. Proſperitas.* † *Cruſerius:* Eucratidæ. *Regius* Eurycratides. *In utriuſque autem verſione deeſt* τὺ filius.

quam inutilibus intempeſtive loquenti: o hoſpes (inquit) re opportunâ non opportune uteris. Nihil oratione melius, ſi parce promas linguæ theſaurum. *Plut. in Lacon.*

Lycurgus interroganti, quam ob rem Lacedæmonii breviloquium uſurparent? quoniam ſilentio finitimum, reſpondit. *Stob. ſerm.* 33.

Dion philoſophus, naturam probe egiſſe dicebat, quæ geminas aures, & linguam unicam nobis fabricarat: quo ad audiendum eſſemus quam ad loquendum promtiores. *Stob.*

Iſocrates orator, quum locutuleïus quidam nomine Careon in diſciplinam ejus recipi vellet, duplicem mercedem poſtulavit. Illi vero cauſam interroganti dixit: alteram quidem peto; ut loqui diſcas; alteram ut tacere. *Stob. ubi ſupra.*

Thales Mileſius dicere ſolitus eſt, multa verba nequaquam arguere hominem ſapientem. Sapiens enim non niſi quum res poſtulaverit, loquetur; & paucis ſuam abſolvet ſententiam. Stultus autem non habitâ ullâ ratione loci, temporis, perſonarum &c. ſuâ loquacitate omnia effutiet. *Eraſ. lib. 7. Apoph.*

Chilon dicebat, non committendum, ut lingua præcurreret animum. Admonens, prius cogitandum quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba: neſcit enim vox miſſa reverti. Cogitatio prior poteſt corrigi poſteriore, ut habet proverbium; vox non item. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 4.

Idem præcipiebat, linguam cum alias ſemper, tum præcipue in conviviis continendam: quod illhic cibus & potus invitet ad intemperantiam. Porro ubi plus eſt periculi, ibi major eſt adhibenda cautio. *Ibidem.*

Anacharſis interrogatus, quid eſſet in homine peſsimum? quid optimum? reſpondit: lingua. Sentiens, idem membrum plurimam adferre utilitatem, ſi rectâ ratione gubernetur; peſtilentiſsimum vero eſſe, ſi ſecus. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 9.

Zeno dicere ſolebat, (a) ſatius eſſe labi pedibus quam linguâ: eoque convivia quantum poterat vitabat, quod ibi ſolutus vino, & aliorum fabulis provocatus, facilius labi poſſet. *Laërt. lib.* 7. *cap.* 1.

Idem

(a) *Tit. Occaſiones malorum.*

Idem ad Ariſtonem diſcipulum multa temere garrientem, quædam etiam præcipitanter confidenterque: fieri (inquit) non poteſt, quin te pater ebrius proſeminarit. Oderat futilem loquacitatem, ipſe in dictis tum brevis, tum gravis. *Ibidem.*

Theocritus Chius, quum Anaximenes eſſet dicturus, ita præfatus eſt: incipit verborum flumen, mentis gutta. Significans, illum eſſe multiloquum; ſed minime ſapientem. *Stob. ſerm.* 34.

Secretum. Silentium.

THales Mileſius frequenter dicere ſolebat: vide ne te in jus vocet ſermo contra conjunctos tibi ac ſocios dictus. Senſit vir ſapientiſsimus, amicis non adeo fidendum eſſe, ut committamus eis arcana: ut inde effutiant magnâ noſtrâ infamiâ & ignominiâ. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 1.

Philippiades poëta comicus, Lyſimacho cum primis carus fuit & familiaris: cui quum Lyſimachus offerret liberalitatem ſuam, ac frequenter diceret: quid vis tibi impartiam rerum mearum? quodcumque volens (inquit) modo ne arcani quippiam. Significans, eſſe periculoſum noſſe magnatum arcana: quorum ſi quid effutias, actum eſt de capite. *Bruſ. lib. 6. cap.* 10.

Metellus Macedonicus, quum omnia proprio & ſubito conſilio ageret, rogatus ab amico, quidnam acturus eſſet? tunicam (inquit) meam exurerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. *Plin. cap.* 61. *de Viris illuſtr.*

Chilon rogatus, quid eſſet difficile? arcanum (inquit) reticere. Tanta eſt linguæ, omnium maxime volubilis, incontinentia: quum alioqui nihil videatur facilius quam ſilere. *Laërt.*

Ariſtoteles inſignis ille philoſophus dicere ſolitus eſt: qui ſilere non novit, is nec loqui admodum ſciet. Nam quærente quodam, quæ res homini in vita eſſet difficillima? ait: ſilere tacenda. *Stob.*

Idem interrogatus a quodam, quis arcanum ſermonem con-

continere poſſet? reſpondit : qui carbonem quoque ignitum linguâ retinere poteſt. *Anton. in Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 73.

Apud Lacedæmonios, ad publica convivia ingredientibus, qui natu erat maximus ſingulis oſtendebat fores, dicens: per has nullus egreditur ſermo. Admonens, nihil effutiendum ſi quid liberius dictum eſſet in convivio. Hunc morem inſtituit Lycurgus. *Plut.*

Hiero, arcana denuntiantes, injuriam facere dicebat eis etiam quibus enuntiarent. Odimus enim non ſolum eos qui effutierint; verum eos etiam, qui quæ nolumus audierint. *Max. ſerm.* 20.

Tiberius Cæſar (a) quum quodam tempore percontaretur, cur ſua conſilia non cum aliorum quoque (qui ei non male vellent) conſiliis communicaret? reſpondit : principis animum nemini, aut paucis cognitum eſſe oportere. Senſit autem, non omnia credenda iis qui ſe amicos eſſe venditant : quibus quum aliquid ſecreti commiſeris, temere rimarum pleni effutiunt; non cogitantes, principes loquaculorum garrulitate ſæpe numero aut periclitari, aut prodi prorſus. *Dion.*

Archidamus cuidam qui vitio vertebat Hecateo rhetori omnium clariſsimo, quod adhibitus ad ipſorum convivium nihil dixiſſet; videris mihi neſcire (inquit) quod is qui dicendi novit artem, etiam dicendi norit opportunitatem. Sic periti bellatoris eſt, non minus ſcire fugiendi artem, quam pugnandi. *Plut. in Lacon.*

Quum dives quidam filium adoleſcentulum ad Socratem miſiſſet, ut indolem illius inſpiceret; ac pædagogus diceret : pater ad te (o Socrates) miſit filium, ut eum videres. Tum Socrates ad puerum : loquere igitur (inquit) adoleſcens, ut te videam. Significans, ingenium hominis non tam in vultu relucere, quam in oratione : quod hæc ſit certiſsimum, minimeque mendax animi ſpeculum. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Democritus quum animadvertiſſet quemdam multa imperite diſputantem : hic (inquit) non dicendi peritus mihi videtur; ſed omnino tacendi imperitus. *Max. ſerm.* 20.

Ze-

(a) *Tit. Rex.*

Zeno Cyttieus, Ptolemæi legatis qui multos eruditos ad convivium invitarant percontantibus, quid de ipso regi suo essent renuntiaturi? ait: (a) vidisse vos senem, qui in convivio tacere noverit. Quum enim ceteri ad ostentationem multa dixissent, unus Zeno perpetuum tenuit silentium. *Laërt. lib. 7. cap.* 1.

Simonides dicere solebat, nunquam se pœnituisse silentii; sermonis autem sæpius. *Max. serm.* 20.

Xenocrates singulas diei partes dividens in actiones certas, suam etiam silentio partem reddebat. Docens, silentii rationes ubique adhibendas esse. *Max. serm.* 20.

Aristoteles philosophus Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum mittens, monuit: ut cum eo quam rarissime, aut quam jucundissime loqueretur. Quo scilicet apud regias aures, vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. *Plut. in Alex.*

Apollonius dicebat: quum in alios atque alios errores & pericula homines labi palam sit; mirum, quantam securitatem præstare possit taciturnitas. *Stob.*

Demarathus in confessu quodam rogatus, utrum ob stultitiam, aut sermonis inopiam sileret? atqui stultus (inquit) ne possit quidem silere. Quidam hoc præclarum existimant, si nunquam sileant; quum id sit certissimum fatuitatis argumentum: ut contra, silentium (ubi loquendi tempus non est) prudentiæ signum est. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Epaminondas Thebanus, audiendi potius quam loquendi cupidum esse hominem debere putabat: quod sciret, ex audiendo, doctrinam; ex loquacitate autem, pœnitentiam nasci. *Brus. lib.* 1. *cap. 6.*

Quum Catoni qui post dictus est Uticensis, etiam num puero vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec a quoquam audiri volebat) ait: carpant taciturnitatem; modo vitam probent. Et addidit: tum demum abrumpam hoc meum silentium, quum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Plut. & Brus. lib. 6. cap. 6.*

Ve-

(a) *Tit. Senex.*

Verecundia, Pudor.

CLeanthes Aſsius, cuidam illi probri causâ objicienti quod eſſet timidus: ideo (inquit) minimum pecco. Bona eſt timiditas quæ deterret a turpibus, & reddit hominem circumſpectum. *Laërt. lib. 7. cap.* 1.

Xenophanes Lagi filius, quum ipſi Hermoneus timiditatem objiceret, quod nollet ſecum teſſeris ludere: fateor (inquit) me non ſolum meticuloſum; verum etiam vehementer meticuloſum, ſed adverſus inhoneſta. Honeſta formidoloſitas eſt, quæ deterret a turpibus. *Plut. de Vitioſa verecundia.*

Diogenes Cynicus philoſophus adoleſcenti cuidam erubeſcenti, atque ob id perturbato: bono animo ſis (inquit) fili: iſtiuſmodi eſt virtutis tinctura. *Laërt. in ejus vita.*

Democriti præclara ſententia hæc eſt: malum (etiam ſi ſolus fueris) nec dixeris, nec feceris. Diſce autem, te ipſum multo magis quam alios revereri. *Stob. ſerm.* 29.

Cato ſenior ajebat, ſibi magis placere juvenes qui rubeſcerent, quam qui palleſcerent: quod rubor arguat probam indolem; pallor non item. *Plut. in Rom. Apoph.*

Ornatus corporis & veſtium.

LYcurgus Lacedæmoniorum legislator ſubmovit tingendi artificium, veluti ſenſus adulationem. Etenim dum color blanditur oculis, natura rei corrumpitur. In ſummâ (a) cunctis ornandorum lenocinio corporum artificibus Spartanâ urbe interdixit; ut qui malis artibus bonas artes corrumperent: propterea quod hujuſmodi deliciis cives a ſalubribus ac ſeriis exercitamentis avocarentur. *Plut.*

Ageſilaus (b) quum audiret quemdam mirari, cur rex cum ceteris Lacedæmoniis tam frugali cibo veſtituque uteretur? pro hac frugalitate (inquit) optimam meſſem metimus, libertatem. Quo dicto oſtendere voluit, (c) nihil æque

(a) *T. Contra delicias.* (b) *Tit. Frugalitas. T. Libertas.* (c) *Tit. Voluptas.*

æque libertati contrarium esse ac voluptatem. *Plutarch. in Lacon. Apoph.*

Cajus Sulpicius Gallus (a) uxorem repudiavit, quod aperto capite fuisset foris; lex (inquiens) tibi meos unius præfinit oculos, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato: his esto speciosa: aliis velle videri formosam, in suspicione & in crimine hæreat necesse est. *Eras. lib. 6. Apoph.*

Philonis uxor interrogata, (b) quam ob rem sola ex aliis in conventu non gestaret ornatum aureum? dixit: quoniam pro ornamento, mariti virtus mihi sufficit. *Stob. serm. 72.*

Pambo, *vel ut alii dicunt*, Pambus quidam (c) apud Athanasium, quum Alexandriæ esset, vidisset que mulierem maximo vestitus apparatu superbientem, flevit. At interrogatus, cur tantopere lacrimas effunderet? respondit: duæ res sunt quæ me movent: una quidem, quæ est hujus mulieris perditio; altera vero quod ego qui nomen Christiani profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentiâ, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus. *Socrates Eccles. hist. lib. 4. cap. 18.*

„ Hoc exemplo castigare se possunt quicumque nimium „ desides & negligentes in pietatis & virtutis officio sunt: „ quum sæculi homines in fragilium & caducarum rerum „ studio tantopere ferveant. „

Quum Dionysius Siciliæ tyrannus filiabus Archidami vestes splendidas multique pretii dono misisset, recusavit accipere, dicens: vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videantur. Intellexit vir prudens virgines nullo cultu melius ornari, quam simplici. Porro sericis, gemmis, & auro dehonestari magis quam ornari: propterea quod vestium luxus arguit animum parum sobrium; & intuentium animos ad libidinem sollicitat citius, quam ad honestam opinionem. Decet autem (d) ut virgo tota & undique virgo sit, nec ullâ ex parte det corruptæ mentis significationem. *Plut. in Lacon.*

Augustus Cæsar, quantum potuit, indumentorum luxu-

(a) *Tit. Uxor.* (b) *Tit. Sup.* (c) *Tit. Virtutis modus.* (d) *Tit. Castitas.*

riam habuit odio. Cujus dictum erat vulgatiſsimum : veſtitus inſignis ac mollis , ſuperbiæ vexillum eſt , niduſque luxuriæ. *Sueton.*

Alexander Severus (a) Romanorum imperator , quum humili veſtitu contentus ſæpe numero incederet , reprehenſus ob id ab aulicis ſuis , reſpondit: imperatoriam majeſtatem conſtare virtute ; non corporis cultu. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 13.

Idem gemmas omnes quas reperiit in palatio vendidit, & aurum in ærarium contulit dicens : viris gemmas uſui non eſſe ; matronas autem regias contentas eſſe debere uno reticulo , ac inauribus , & baccato monili , & coronâ in qua ſacrificarent , & unico pallio auro ſparſo , & cyclade, quæ plus ſex unciis auri non haberet. Hic cultus hodie vix ſufficit negotiatorum uxoribus. *Ælius Lamprid.*

Flavio Veſpaſiano quum adoleſcens quidam gratias ageret pro impetratâ præfecturâ ; (b) quoniam unguento fragrabat , & nutu contemtus eſt , & graviter increpitus: mallem (inquit Veſpaſianus) allium oboluiſſet. Mox & litteras conceſſas revocavit. *Sueton. in ejus vita.*

Pulchritudo , Deformitas.

SOcrates docuit , animorum formam magis amandam quam corporum : eamque voluptatem quam in nobis gignit conſpecta formoſa facies , ad longe pulchriorem ſed latentem animi ſpeciem eſſe transferendam. Verum , ut hanc videamus , philoſophicis oculis opus eſſe. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Ariſtoteles pulchritudinem dicebat quavis epiſtolâ efficaciorem ad commendationem. Sunt qui hoc aſcribant Diogeni.

Eamdem Socrates appellavit exigui temporis tyrannidem : quod formæ gratia mox defloreſcat. Plato , naturæ prærogativam : quod paucis contingat. Theophraſtus , ſilentem fraudem : quod abſque verbis perſuadeat. Theocritus,

(a) *Tit. Rex.* (b) *Contra delicias.*

tus, eburneum detrimentum : quod gratia quidem ſit aſpectui ; ſed multorum incommodorum cauſa. Carneades, regnum abſque ſatellitio : quod formoſi impetrent quidquid volunt, nullâ adhibitâ vi. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 1. *Stob. lib.* 63. *Bruſ. lib.* 2. *cap.* 44.

Iſocrates, eos qui pulchrum habent corpus, animam autem malam, dicebat, optimam habere navim, gubernatorem autem malum. *Anton. in Meliſ. part.* 1. *ſerm.* 60.

Superbia.

SOcrates quum videret Alcibiadem ob divitias elatum animum gerere, & ob agrorum multitudinem ſuperbire, adduxit ad locum in quo tabula quædam ambitum terræ complectens ſuſpenſa erat, & eum rogavit, ut Atticam ibi requireret. Quam quum inveniſſet, ſuos fundos eum juſsit oſtendere ; & quum reſpondiſſet, nuſquam ibi pictos eſſe : horum (inquit Socrates) poſſeſsione te effers, qui nulla pars ſunt terræ ? Illudens hoc dicterio Alcibiadis ſtultitiam, qui ſuperbiebat in iis rebus quæ fluxæ ſunt, & cum mundo interire ſolent. *Ælian. lib.* 3. *de Var. hiſt.*

Ambitio.

PHavorinus homines partim eſſe ridiculos, partim odioſos, partim miſerabiles dixit. Ridiculos quidem, qui ambitioſe ad majora aſpirant : odioſos, qui eà conſequuntur : miſerabiles autem, qui ſpe falluntur : quando quidem in iis rebus quas ardenter exquiſierunt, nihil minus invenerunt quam quod ſe adepturos ſperabant. *Stob. ſerm.* 2. *de Prudentia.*

Timon ille cognomento Miſanthropos, id eſt, hominum exoſor, elementa malorum eſſe dixit, avaritiam, & ambitionem. (a) Quemadmodum enim ex primis illis & ſecundis principiis generantur naturaliter omnia : ſic ex ava-

(a) *Tit. Avaritia.*

ritia & ambitione omnia vitia progenerantur alia. *Stob. ſerm.* 8. *de Injuſtitia.*

Bion Boryſthenites (a) percontanti, quis eſſet maxime anxius? qui in maximis (inquit) rebus cupit eſſe fortunatus. Is enim mille curis diſtorquetur, ut aſſequatur ardua; & aſſequutus, æque torquetur ne amittat. *Laërt. lib.* 4. *cap.* 7.

Joannes viceſsimus ejus nominis pontifex maximus, quum immodice a quodam laudaretur, ad ſuos converſus ait: licet multa glorioſe a me facta fingat; nihilo minus tamen hac laude plurimum oblector. Hæc vox ſatis indicat, quanta laudis, & gloriæ cupido imis hominum viſceribus infixa ſit: quando illos non modo vera, ſed etiam falſa & ficta laus & gloria delectat. *Æneas Sylv. lib.* 1. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Quum genethliaci Chaldæi Agrippinæ matri Neronis reſpondiſſent, imperaturum quidem filium, ſed occiſurum matrem: occidat (inquit) modo imperet. Tam impotens erat in femina dominandi ſitis: & habuit quod optavit, quamvis ſuo malo. *Sueton.*

Socrates quum videret Antiſthenem, attritam partem veſtis ſemper in conſpectum protendere: (b) quin deſinis (inquit) arrogantius ſuperbiam tuam nobis prodere? Vidit philoſophus ſapientiſsimus, Antiſthenem magis gloriari veſtitu attritiſsimo quo laudem quærebat, quam alios qui holoſerico, vel auro etiam aut argento veſtiti in publicum prodire conſueverant, ab omni ſuperbiâ alieni. *Laërt.*

Diogenes, quum vidiſſet Olympiam & Rhodiacos quoſdam adoleſcentes pretioſis magnificiſque veſtibus amictos, cum riſu inquit: hoc nihil eſt præter faſtum. Deinde quum incideret in Lacedæmonios laceris ſqualentibuſque tunicis amictos: hic (inquit) alius eſt faſtus. Vidit autem philoſophus, ſuperbum animum non ſemper in ſplendido & ornatiſsimo veſtitu, ſed in ſordibus etiam eſſe: dum homines opulentiſsimi ſæpe numero viliſsimo veſtitu incedentes, hominum ex eo laudem ſuperbientes venentur. *Ælian. lib.* 9. *de Var. hiſt.*

Cyneas ut Pyrrhum a belli ſtudio revocaret, ſic per otium

(a) *Tit. Sup.* (b) *Contra hypochriſim.*

otium cum illo collocutus est: Romani feruntur bellacissimi; sed his superatis, quid deinde agemus, Pyrrhe? Tum Italiam, inquit Pyrrhus, totam occupabimus. Hic denuo Cyneas: quid Italiâ subactâ? Sicilia (inquit Pyrrhus) proxima est. Tum Cyneas: num hic erit militiæ finis? nequaquam (inquit Pyrrhus) sed hæc tantum præludia sunt ad res majores. Supereſt Lybia, & Carthago. Recte, inquit Cyneas: nam his potitus, facile & Macedoniam recipies, & Græciæ dominaberis. Sed deletis omnibus, quid tandem faciemus? Hic arridens Pyrrhus: tum (inquit) otium agemus, o beate; & quotidie Cothon erit; noſque invicem oblectabimus. Tum Cyneas: at quid vetat, o rex, quo minus nunc jam iſto otio, iſto Cothone & mutuis ſermonibus perfruamur? Nunc enim citra negotium ſuppetit nobis ea facultas, quam per ſanguinem, per moleſtias, per pericula tum noſtra tum aliorum ſequimur, incerti an aſſecuturi. Oſtendit facile reſponſio hæc cupiditatis humanæ morbum: qui facit, ut ſemper irrequietis moribus homines circumagantur; nec otium aut quietem dominandi libidine pati poſsint. *Ex Eraſ. Apoph.*

Honor. Gloria.

SOcrates dicebat, ad gloriam compendiariâ viâ pervenire poſſe eos, qui tales eſſent, quales videri vellent. *Bruſ. lib.* 1. *cap.* 18.

Ageſilaum Lacedæmoniorum regem (a) quum quidam interrogaſſet: qua ratione perpetuam ſibi gloriam parare poſſet? ſi mortem contemſeris, ait. Nihil enim præclaræ rei gerere eum, cujus animum mortis metus occupavit. *Plut. in Apoph.*

Alphonſus Aragonum rex, amico ac familiari cuidam ſuadenti ut tranquille & voluptuoſe, dum poſſet, vitam ageret; nec corpus tot tantiſque periculis objectaret; reſpondiſſe dicitur: non temere a Romanis illis quidem ſapientioribus conſtitutum fuiſſe, ut Honoris templo Virtu-

(a) *Tit. Fortitudo.*

tis templum conjunctum eſſet, in quod niſi per Virtutis templum introire nemini liceret. Ut intelligerent mortales, ad honoris faſtigium non voluptatum viâ, quæ deliciis ac illecebris affluens eſſet; ſed virtutis, illâ quidem aſperâ & ſalebroſâ, enitendum eſſe. *Panor. lib.* 1. *de Reb. geſtis Alphonſi.*

Sigiſmundus imperator (a) promiſſa veterano militi exigenti quum diceret: at immoderata fuit tua petitio; reſpondit miles: poteras negare quum peterem; nunc autem ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, negare non potes. Tum Sigiſmundus: ſi ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum (inquit) quam famæ jacturam ſubibo. *Æneas Syl. lib.* 3. *Comment. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Ageſilao Lacedæmoniorum regi, quum nationes quæ tum Græciam incolebant, decreviſſent in clariſsimis quibuſque civitatibus honoris causâ ſtatuas erigi, reſcripſit illis hunc in modum: mei nulla ſit imago, nec ficta, nec picta, nec ullo alio artificio parata. Negligebat adulationes hominum vir prudentiſsimus, malens inſculpi prudentum & bonorum hominum pectoribus, quam inanibus ſtatuis. *Eraſ. lib.* 1. *Apoph.*

Alphonſus Aragonum rex, quum renuntiatum eſſet a Ludovico Podio, quemdam in Venetorum navalibus eſſe, qui illa una cum armamentario quod intus erat, exurere pollicitaretur, ſi ſibi duo millia aureorum a rege promitterentur; conatuſque illius facile ceſſuros affirmanti, reſpondit: nequaquam inſidiis; ſed aut virtute vincendum eſſe, aut nunquam. Ex hac enim re non aliam ſibi laudem ſperandam eſſe, quam ejus qui Dianæ Epheſiæ templum incendiſſet: cujus nomen totius Aſiæ decreto e memoria hominum oblitteratum traditur. *Panor. lib.* 3. *de Reb. geſt. Alph.*

Africanus Socraticum Xenophontem in manibus ſemper habebat: cujus in primis laudabat illud, quod diceret, eoſdem labores non eſſe æque grandes imperatori ac militi; quod ipſe honos laborem leviorem faceret imperatorum. *Cicero lib.* 2. *Tuſcul.*

Laus

(a) *Tit. Veritas. Fiaes.*

Laus humana.

ANtagenes, quum audiſſet quantum ab hominibus ſubinde laudaretur, dixit: quum multi me laudant, tum me nullius pretii eſſe judico; quum pauci, bonum & egregium virum me eſſe puto. *Max. ſerm.* 43.

Hector Nivianus a patre laudatus ob ſingulares animi virtutes: lætus ſum (inquit) laudari me abs te, pater, laudato viro. A malis enim laudari, non laus; ſed dedecus eſſe putatur. *Cicero Lucejo.*

Antiſthenes Athenienſium philoſophus, quum audiſſet, ab improbis quibuſdam ſe laudatum eſſe: vereor (inquit) ne quid imprudens fecerim mali. Sentiens, a talibus neminem laudari, niſi ob inſignia malefacta. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

Ageſilaus Lacedæmoniorum rex dicebat: non minus laudatoris inſpiciendos eſſe mores, quam ejus qui laudatur. Significans perraro contingere, ut aliquis, quæ moribus ſuis contraria ſint, laudare velit. *Fulg. lib. 7. cap.* 2.

Humilitas.

SYtho, (a) Athenienſibus ob res feliciter geſtas ipſum admirantibus ac prædicantibus, quod Cotyn regem interemiſſet: diis (inquit) habenda eſt gratia, quibus auctoribus hoc factum præclare geſtum eſt: nam ipſe nihil aliud, quam manum & operam meam commodavi. Eventus rei in manu Dei eſt; & huic debetur gratia, ſi quid feliciter ceſſerit: ſed interim vult noſtram operam accedere. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

¶ *Vide etiam Tit. ſequentem, & Tit.* Superbia. *Tit.* Ambitio.

Cognitio ſui.

SOcrates dicebat, ſi quis in theatro coriarios ſurgere juberet, eos ſolum ſurrecturos: ſimiliter ſi fabros ærarios,

(a) *Tit. Gratitudo.*

rios, textores, aut alios generatim. Si vero prudentes aut juſtos, hic omnes exſurrecturos fore. Eſt enim hoc in primis in vita damnoſum, quod quum hominum pars maxima ſtulta ſit, ſapere tamen ſibi videantur. *Stob. ſerm.* 21.

Diogenes interrogatus, quidnam in totâ rerum naturâ exſiſteret difficillimum? noſſe ſe ipſum, inquit. Multa enim propter amorem ſui ſibi quemque ſumere ſolitum. *Anton. in Meliſ. part.* 2. *ſerm.* 75.

Æſopus unumquemque noſtrum duas ferre ajebat peras, alteram ante nos, alteram a tergo. Et in anteriorem quidem alienos errores condere; in poſteriorem vero noſtros: ideoque non videri a nobis. *Stob. ſerm.* 21.

Demoſthenes omnium facillimum eſſe dicebat, ſe ipſum decipere. Quod enim unuſquiſque cupit, id etiam animum inducit, & ſibi perſuadet. Res autem ipſæ frequenter non ita ſe habent.

Simonides quum convivio quodam exciperetur, in quo Pauſanias etiam erat, juſſus aliquid a ſapientiæ præceptis depromere, ſtatim dixiſſe ad Pauſaniam fertur: (a) memento te hominem eſſe. *Ælian. lib. 6. de Var. hiſt.*

Philippus Macedoniæ rex, quum in Chæroneâ Athenienſes viciſſet, animum elatum ratione compeſcuit: & ne quid poſthac per contumeliam & faſtum committeret, hoc conſtituit; ut quotidie in aurora excitaretur e ſomno his verbis: (b) ſurge rex, & hominem te eſſe cogita. *Stob. ſerm.* 19.

Philemon dicere ſolebat: (c) homo quum ſis, id fac ſemper intelligas. *Stob. ſerm.* 19.

Amor ſui; contraque Odium ſui.

PRodicus ajebat: cupiditatem geminatam, amorem eſſe; amorem vero geminatum, inſaniam fieri. *Stob. ſerm.* 62.

Dorotheus Thebæus monachus quotidie lapides ad mare colligebat, annuatimque fabricabat hoſpitium ægrotis. Huic laboranti quidam dixit, cur ita conficis corpus tuum? Cui

(a) *Tit. Homo.* (b) *Tit. Sup.* (c) *Tit. Sup.*

Cui ille: quia me (inquit) illud occidit. *Sozom. in tripart. hiſt. lib.* 8. *cap.* 1.

Abnegatio ſui.

SOcrates quum poſt ſudorem e palæſtra collectum, videret alios ad potum confugere ut ſitim explerent, ipſe bibere ſolus noluit. Verum quum interrogaretur, cur bibere nollet? ne conſueſcam (inquit) obſequi affectibus. Senſit vir prudentiſsimus, non minus hoc opus exercitatione conſtare, quam ceteras artes.

Quum Megabates † Spithridatis filius, eximiâ formâ adoleſcens, Ageſilaum adiiſſet aliquando ſalutandi gratiâ, ac juxta Perſarum morem oſculum offerret, quod ab eo videretur admodum amari; Ageſilaus avertit vultum, refugiens oſculum. Ceterum quum erubuiſſet ille, ratus ſe contemtui fuiſſe, ac deinceps ſalutaret eum eminus; rex pœnitens vitati oſculi, finxit ſe mirari, quid accidiſſet Megabati, quod ipſum non ſalutaret oſculo? Familiares reſponderunt: ipſe fuiſti in cauſa (o rex) qui venientem non exceperis, ſed formoſi baſium exhorrueris. Alioqui nunc quoque perſuaderi poterit, ut tibi veniat ad oſculum, tantum ne rurſus fugias. Hic poſtea quam Ageſilaus aliquandiu tacitus ſuo cum animo cogitaſſet: non eſt (inquit) opus ut illi reditum perſuadeatis: nam ego mihi ſic videor affectus, ut malim hujuſmodi rebus ſuperior eſſe, quam adverſariorum urbem fortibus viris inſtructiſsimam per vim capere. Præſtantius enim duco, ut quis ſibi ipſi ſervet ſuam libertatem, quam ut alii libertatem adimat. O virum (a) gerendo in alios imperio idoneum, qui ſuis cupiditatibus imperare poſſet! Quis non miretur tam philoſophicum in homine militari judicium? Intellexit (b) neminem eſſe liberum, qui ſerviret cupiditatibus. Intellexit nullum eſſe imperium ſpecioſius, quam ſi quis animo ſuo poſſet imperare. *Eraſ. in Apoph.*

De-

† *Cruſerius in Apopht. Lacon. Verſione Megabatem non* Spithridatis, *quemadmodum poſt Raphaëlem Regium, Granatenſis; ſed* Mithridatis *filium facit. Videſis Plut. loco cit.* (a) *Tit. Rex.* (b) *Tit. Libertas.*

Democritus dicere ſolebat, (a) virilem non æſtimare eum ſolum, qui armis ceteros præcelleret; ſed & qui cum voluptatibus pugnam capeſſens, ſpecioſam reportaſſet victoriam. *Stobæus.*

Fridericus imperator victis in Hungariâ Gunzienſibus, magnum (inquit) actum eſt opus. Nunc autem majus reſtat, ut ſcilicet vincamus nos met ipſos, atque avaritiæ & ulciſcendi cupiditati frenos imponamus. *Æneas Sylv. lib. 2. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Socrates philoſophus dicere ſolebat: parum ſibi videri, naturæ ſecreta ſpeculari, & vitæ noſtræ rationem negligere. Quid enim nobis prodeſt abdita quædam naturæ rimari, ſi rationem quæ appetitum noſtrum regere debet, quaque a mutis animalibus diſcernimur, negligimus? Quid turpius ac fœdius eſſe poteſt, quam videre hominem doctiſsimum libidine inflammatum, furentem irâ, omnia rabide appetentem, inexplebili cupiditate incenſum, adeo ut quo magis res adſunt, eo magis egere videatur? *Ex Franc. Senenſ. lib. 2. de Inſtit. Reip.*

Libertas vera & falſa. Servituſque vera & falſa.

DIogenes interrogatus, quid eſſet in vita optimum? libertas, inquit. At vere liber non eſt, qui ſervit vitiis. Nec liber eſſe poteſt, qui multis eget. Plurimis autem eget avarus, ambitioſus, ac deliciis deditus. *Laërt. lib. 6.*

Ageſilaus quum audiret, quemdam admirari, cur rex cum ceteris Lacedæmoniis tam frugali cibo & veſtitu uteretur? optimam meſſem metimus (inquit) libertatem; quæ ſine frugalitate eſſe nequaquam poteſt. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Diogenes (b) quum Xeniadæ ſerviret, amici agebant de redimendo. At ille: nequaquam, inquit: an neſcitis, leones non iis ſervire a quibus aluntur; ſed altores potius ſer-

(a) *Tit. Voluptas.* (b) *Tit. Magnanimitas.*

ſervire leonibus? Nam leo ubicumque eſt, ſemper leo eſt. *Laert. lib.* 7.

Diogenes dicebat, inter ſervos ac dominos malos, præter vocabula nihil aliud intereſſe, niſi quod mancipia ſervirent dominis, domini cupiditatibus. Significans utroſque eſſe ſervos: miſeriorem tamen ſervire ſervitutem dominos, ſi ſint improbi. Nam qui ducitur affectuum arbitrio, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes. *Laert. lib.* 6.

Otium.

DIocletianus Romanorum imperator jam ſenex, (a) quum ſe imperio abdicaſſet, atque privatam vitam in villâ ſuâ inſtituiſſet, ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogatus, tanquam peſtem aliquam deteſtatus reſpondit: utinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus conſita! profecto iſtud tentandum nunquam judicaretis. *Eutropius & Cuſpinianus in conſul. fol.* 486.

Socrates dicebat, otium poſſeſsionum omnium optimam. Otium autem ſenſit, non ignaviam; ſed a tumultuoſis negotiis, & cupiditatibus, animi tranquillitatem vitiantibus, eſſe quietum. *Eraſ. lib.* 3. *Apoph.*

Curæ. Sollicitudo.

ARiſtippus validiſsimis argumentis & ſermonibus uſus hortabatur, nec de præteritis curam poſtea ſuſcipiendam, nec de futuris antea. Id enim animi bene conſtituti ſignum eſſe, & hilaris cogitationis argumentum. Jubebat autem in diem animum intendere. Solum enim (ajebat) præſens in manu noſtrâ poſitum: non præteritum, nec inſtans. Illud enim abiiſſe; hoc an eventurum ſit, incertum eſſe. *Ælian. lib.* 14. *de Var. hiſt.*

Phocion Athenienſis dicere ſolebat: multo ſatius eſſe humi cubantem vivere, ac bono quietoque animo eſſe, quam perturbatum in aureo lecto. *Stob. ſerm.* 1. *de Prudentia.*

So-

(a) *Tit. Contra ambitionem.*

Solitudo.

PYrrho Elienſis deprehenſus aliquando ſolus ac ſecum loquens, rogatus, quid ſolus ageret? meditor (inquit) eſſe probus. Sentiens ad id utilem eſſe ſolitudinem, inutilem turbam. *Laërt. lib. 6. cap.* 11.

Antiſthenes rogatus, quid emolumenti cepiſſet ex philoſophia? ut mecum (inquit) loqui, ſive vivere poſsim. Doctus, etiam ſi ſolus ſit, non ſentit tædium ſolitudinis; ſed multa præclara ſuo cum animo verſans, quaſi ſecum loquitur: indoctis moleſtiſsima eſt ſolitudo, ac etiam inutilis. *Laërt. lib. 6. cap.* 1.

TERTIA CLASSIS QUÆ PROMISCUE VARIOS continet locos.

LEX.

ANtiſthenes ſapientiſsimus Athenienſium philoſophus negabat, ſapientem virum obſtrictum eſſe legibus ab hominibus promulgatis. Intellexit vir prudentiſsimus, ſapientem obligatum eſſe virtuti, juxta cujus normam vitam inſtituit. Leges enim non omnia præſcribunt; ſed ipſa ratio docet, quid turpe, quidve honeſtum: & virtutis regula ubique oſtendit, quid viris bonis agendum ſit. *Laërt. lib. 6.*

Demoſthenes orator, civitatis animam eſſe leges dicebat. Ut enim corpus animâ carens cadit: ſic civitas nullis adminiſtrata legibus evertitur. *Max. ſerm.* 58. *& Stob.*

Plato Athenienſis (a) rogatus a Cyrenenſibus, ut ipſis leges inſcriberet ac Reipub. ſtatum componeret, recuſavit dicens: perdifficile eſſe condere leges tam felicibus. Indicans non facile obedire eos, qui nimium ſe felices eſſe putarent. *Laërt. lib.* 3.

Antiochus tertius (b) ſcripſerat civitatibus, ut ſi quid per litteras juberet fieri, quod adverſaretur legibus, ne cu-

(a) *Tit. Proſperitas.* (b) *Tit. Rex. Tit. Juſtitia.*

curarent, perinde quaſi ipſo neſcio ſcriptum eſſet. Interdum enim principes dum metuunt quoſdam offendere, ſcribunt quæ fieri nollent. Quidquid autem pugnat cum legibus, hoc inſciente principe ſcriptum eſſe putandum eſt: quippe legum defenſores, non oppugnatores eſſe debent principes. *Eraſ. lib.* 5. *Apoph. ex Plut.*

Anacharſidi illud tribuitur multo vulgatiſsimum: leges, araneorum telis eſſe ſimiles, in quibus infirmiora animalia hærerent; valentiora prærumperent. Ita leges, humiles ac tenues conſtringunt; a potentibus impune violantur. *Valer. lib.* 7. *cap.* 2.

Leges (a) ante oculos ſemper habeant magiſtratus, quibus omni ex parte parendum eſſe ſciant. Nam ſicut magiſtratibus leges, ſic legibus magiſtratus imperare debent. Verum namque eſt illud Ciceronis adagium: magiſtratum, legem eſſe loquentem; legem autem, mutum magiſtratum. *Ex Franc. Senenſ. lib.* 3. *de Inſt. Reipub.*

Philoſophia, Scientia.

ARiſtoteles Stagirita ad ſolidam parandam ſapientiam, præcipue neceſſariam eſſe naturam, doctrinam, & exercitationem ajebat. Invitâ enim Minervâ, & ingenio refragante, fruſtra etiam in rebus minimis laborabis. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 1.

Pythagoras dicebat, (b) vitam humanam ſimilem eſſe panegyri, hoc eſt, ſollemni hominum conventui, ad quem alii conveniunt certaturi, alii negotiaturi, nonnulli ſpectatores modo futuri. At ceteros quidem omnes ſollicitos; ſolum ſpectatorem tranquillum frui celebritate. Hunc ſpectatorem ajebat eſſe philoſophum, qui non ob aliud in hoc mundi theatro prodiiſſet, quam ut naturas rerum ac mores hominum contemplaretur. *Laërt. lib.* 8. *cap.* 1.

Ariſtoteles Stagirites illud amicis ac diſcipulis inter diſſerendum frequenter ſolebat ingerere: viſum accipere lumen a circumfuſo aëre; animum autem a diſciplinis libera-

(a) *Tit. Magiſtratus.* (b) *Tit. Vita. Tit. Contemplatio.*

ralibus. Sentiens, ingenium adoleſcentum diſciplinis acui, & ad reliqua philoſophiæ myſteria reddi perſpicax. *Laert. lib.* 5. *cap.* 1.

Cleanthes dicebat, homines imperitos ſolâ formâ differre a beſtiis. *Max. ſerm.* 17.

Themiſtocles expletis centum & ſeptem annis, in ipſo mortis agone dixiſſe fertur: ſe omnes ætatis dies litterarum honeſtiſsimo ac philoſophiæ ſacratiſsimo ſtudio conſumſiſſe; verum ſe dolere, quod egrederetur e vitâ, quando ex litterarum ſtudio ſapere cœpiſſet. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 31.

Demades dicere ſolebat: doctos ab indoctis tantum differre, quantum Deus ab hominibus. *Anton. ſerm.* 50. *part.* 1.

Alexander tanti fecit bonarum & laudatiſsimarum artium ſtudium, ut aperte pronuntiare auſus ſit, ſe malle doctrinâ anteire alios, quam opibus & dignitate. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 31.

Cornificia mulier Romana, quæ regnante Octaviano Cæſare claruit, dicere ſolita eſt: ſolam doctrinam liberam eſſe, in quam fortuna tela ſua figere non poſſet. *Guido Bitur.*

Alphonſus Aragonum rex, optimos conſiliarios eſſe mortuos dicebat: libros videlicet deſignans, a quibus ſine metu, ſine gratiâ, quæ noſſe cuperet, fideliter audiret. *Panor. lib.* 3. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem tantopere amavit bonarum artium ſtudia, ut perſancte affirmaret, ſe malle perdere omnia quæ poſsidebat, quam ut tantillum eruditioni decederet ſuæ. *Panor. lib.* 3. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Idem interrogatus, utrum ne armis an libris majorem gratiam deberet? reſpondit: ex libris ſe arma, & armorum jura didiciſſe. Indicans, ſe libris acceptum ferre, quæ ſciret, omnia. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Georgius Fiſcellus quum eſſet legum doctor, a Sigiſmundo Cæſare equeſtris militis inſignia ſuſcepit. Exin quum Baſileenſem ſynodum adiiſſet, conſultante de rebus arduis Sigiſmundo, dubius erat legum ne doctoribus in unum locum conjunctis, an equitibus in alium locum ſeparatis ſe ſe conjungeret. Quumque tandem ad equites inclinaret: ſtul-

te

te agis (inquit Sigiſmundus) qui litteris militiam præfers. Nam milites ego una die mille fecerim; doctorem unum mille annis non fecerim. *Æneas Syl. lib.* 4. *Comment. de Reb. geſtis Alphonſi.*

Diogenes eruditionem omnibus hoc ſermone commendabat, quod diceret, eam juvenibus adferre ſobrietatem, ſenibus ſolatium, pauperibus divitias, divitibus ornamentum: propterea quod ætatem ſua ſponte lubricam coërceat ab intemperantia, ſenectutis incommoda honeſto ſolatio mitiget, pauperibus ſit pro viatico (non enim egent eruditi), divitum fortunas ornet. *Laërt. lib.* 6.

Dionyſius junior, pulſus a tyrannide, rogatus, quid illi Plato & philoſophiæ ſtudium profuiſſet? ut tantam (inquit) fortunæ mutationem æquo animo feram. Igitur regno pulſus, factus eſt ludimagiſter. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 31.

Zeno Cittieus dicebat, pleroſque philoſophos in multis ſapere: ſed in fortuitis vulgaribuſque rebus eſſe imperitos. *Laërt. lib.* 7. *cap.* 1.

Diogenes, dicenti cuidam quem ad ſapientiæ ſtudium hortabatur; non ſum idoneus philoſophiæ: quid igitur vivis (inquit) ſi tibi nulla recte vivendi cura eſt? Non enim in hoc vivit homo, ut vivat tantum; ſed ut diſcat recte vivere. Natura gignit ad virtutem dociles, doctos non gignit. *Laërt. ubi ſup.*

Idem percontanti, quid lucri caperet ex philoſophia? ut nihil (inquit) aliud, certe hoc, quod ad omnem fortunam paratus ſum. *Laërt. lib.* 6.

Crates dicebat, philoſophiæ nullâ re opus eſſe. Eoque pecuniam depoſuit apud Trapezitam hac conditione, ut ſi liberi eſſent idiotæ, traderet eam illis; ſin philoſophi, numos diſtribueret in plebem: quod indoctis opus eſſet pecuniâ; philoſopho, nec opus, nec utilis. *Laërt. ubi ſup.*

Philippus Macedonum rex Alexandrum filium hortabatur, ut auſcultaret Ariſtoteli, cui traditus erat inſtituendus, daretque operam philoſophiæ. Ne (inquit) multa committas, quæ me feciſſe nunc pœnitet. *Plut. in Apoph. reg. & imper.*

Ariſtippus dicebat, ſatius eſſe fieri mendicum, quam in-

indoctum: quod ille tantum pecuniis egeat; hic eruditione. Nihilo minus homo eſt, cui deeſt pecunia: at homo non eſt, cui deeſt eruditio. Præterea cui deeſt pecunia, petit ab obviis: cui deeſt ſapientia, nullum ſollicitat, ut accipiat. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 8.

Idem interrogatus, in quo differunt docti ab indoctis? quo (inquit) equi domiti ab indomitis. Quemadmodum enim equus indomitus ad omnem uſum incommodus eſt: ita quoque homo, niſi eruditione & artium ſtudio emolliatur. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 8.

Idem cuidam percontanti, quare eſſet melior evaſurus filius, ſi eum curaret litteris erudiendum? ut nihil aliud (inquit) certe in theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem. *Laërt. lib.* 2. *cap.* 8.

Quum audiviſſet Alphonſus ex ſuis, quemdam Hiſpaniæ regem dixiſſe, non decere principes viros ſcire litteras, exclamavit: eam vocem bovis eſſe, non hominis. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Ariſtoteles Stagirita dicebat, eruditionem in proſperis eſſe ornamentum; in adverſis refugium. *Laërt. lib.* 5. *cap.* 1.

Divinus ille Plato, eum demum in vita beatum pronuntiari dixit, cui in ſenectute contigiſſet, ſapientiam veraſque de rebus opiniones aſſequi poſſe. *Cicero de finibus lib.* 5.

Ariſtippus percontanti, qua re differret ſapiens ab indocto? mitte (inquit) ambos nudos ad homines ignotos, & videbis. Significavit ſapientem ſecum in pectore circumferre, quo ſe commendet quibuslibet. *Max. ſerm.* 17.

Antiſthenes interrogatus, quidnam utilitatis ex philoſophiæ hauſiſſet ſtudio? ut mecum (inquit) loqui, ſive vivere poſsim. Senſit vir prudentiſsimus, doctum & eruditum hominem nunquam eſſe ſolum; qui etiam in ſolitudine habet quod animo volvat, quod legat, & quaſi ſecum loquatur. *Laërt. lib.* 6. *cap.* 1.

Plato interrogatus, quidnam inter peritum & imperítum intereſſet? quod inter medicum (ait) atque ægrotum. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 9.

Ariſtoteles interrogatus, qua re differrent docti ab indoctis?

ctis? qua vivi (inquit) a mortuis. Sentiens hominem abſque litteris ſtatuam eſſe verius, quam hominem. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 3.

Theophraſtus dicere ſolebat, virum eruditione præclarum ubique invenire patriam, & in alienis locis nunquam peregrinum eſſe. Eruditio enim quum in omni vitæ genere plurimum emolumenti adferat, non poteſt non ubique maximo eſſe in pretio. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 31.

Ab Alphonſo Aragonum rege quum quidam ſciſcitaretur, quo modo in tot divitiis pauper effici poſſet? reſpondit: ſi ſapientia venditaretur. Quo dicto oſtendere voluit, ſe pluris ſapientiam rerumque cognitionem facere, quam divitias & regnum. *Panor. in proœmio, lib.* 3. *de Reb. geſtis Alphonſi.*

Idem, ſapientiam Dei filiam appellare ſolitus eſt; eamque ſolam rerum omnium eſſe immortalem, atque ex omni genere animantium ſoli homini conceſſam. *Panor. ibid.*

Plato philoſophorum ille princeps, eam ſcientiam quæ a juſtitia remota eſt, calliditatem potius quam ſapientiam appellandam dicere ſolebat. *Cicero de Officiis, lib.* 1.

Eloquentia.

DEmonax Phavorini dictionem, ut nimium compoſitam ſolebat arguere ridicule. Quod quum is ægre tuliſſet, ait: ut philoſophum veſtis neglectior; ita oratio decet inaffectata. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Phocion Athenienſis quum in concione ſederet, ſeorſum acceſsit quidam qui diceret: videris cogitabundus, o Phocion. Recte quidem conjectas, reſpondit: cogito enim, ſi quid queam detrahere his, quæ dicturus ſum apud Athenienſes. *Plut. in Græc. Apoph.*

Agatharchus pictor ſeſe jactabat de pingendi celeritate, quum Zeuxis diutius immoraretur operi. At Zeuxis reſpondit: ea quæ cito fiunt, cito perire: contra, quæ paullatim exactâ curâ abſolverentur, ætatem ferre. Juxta Valerium ita reſpondit: diu pingo, quia pingo æternitati. Cito

nata, cito pereunt: diu elaborata, ferunt ætatem. Beta cito naſcitur; buxus paullatim. *Eraſ. lib. 6. Apoph.*

„ Hoc ad munus dicendi ſcribendique referri optime „ poteſt; ut videlicet ſuſpectum habeamus, quidquid ce- „ lerrime fit. „

Alphonſus Aragonum rex, quum aliquando tibicines obſtreperent, Ciceronis lucubrationes accipiens: abite (inquit) muſici, abite: adeſt enim qui dulciora nobiſcum loquatur Cicero, Romanæ fons eloquentiæ. *Panor. & Æn. Syl.*

Polemon ſophiſta, hiſtrionem tragœdiarum qui in Olympiis, o Juppiter! pronuntiarat, oſtensâ terrâ; & o terra! manu in cælum projectâ; ſubmovit a præmiis (præſidebat enim ei certamini) dicens: hic manu commiſit ſoloeciſmum. *Ex Philoſtrato.*

Domitius Afer Manlium Suram multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus jactantem, togam dejicientem ac reponentem, non agere dixit, ſed ſatagere. Actio enim oratoris eſt: ſatagit autem, qui fruſtra miſereque conatur. *Bruſ. lib. 4. cap. 31.*

M. Callidius Gallum accuſavit, M. Tullio defendente: quumque accuſator affirmaret, ſe teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturum, ſibi a reo fuiſſe præparatum venenum; ſed interim rem tam atrocem remiſſo vultu, languidâ voce, ac reliquo geſtu parum concitato pronuntiaret; M. Tullius: tu (inquit) niſi fingeres, M. Callidi, ſic ageres? Ex actione colligens, illum non ex animo loqui. Fictio enim debet eſſe quam ſimillima veritati. *Eraſ. lib. 4. Apoph.*

Quum nuntius quidam gaudio geſtiens, porrectâque manu ad Alexandrum accurreret, rem proſpere geſtam narraturus: quid mihi (bone vir) magis nuntiabis, niſi nunties Homerum revixiſſe? Significans (a) omnium rerum geſtarum gloriam abolendam, niſi contingeret talis præco, qualis fuit Homerus. *Plut. in Apoph. reg. & imper.*

Alphonſus, quum inter peregrinandum forte ad eum locum, unde Sulmo poterat deſpici, pervèniſſet; an ea Ovidii (cujus poëmate mirum in modum afficiebatur) patria

(a) *Tit. Ambitio.*

tria eſſet, interrogavit? Quumque intelligeret natale Naſonis ſolum eſſe, urbem ſalutavit, gratiaſque genio loci egit, in quo talis olim poëta genitus eſſet, de cujus laudibus nemo ſatis fari poſſet. Ego ſane (inquit) huic regioni (quæ non parva regni Neapolitani, nec contemnenda pars eſt) libenter ceſſerim, ſi temporibus meis datum eſſet, hunc poëtam ut haberet: quem mortuum pluris faciam, quam dominatum Apuliæ. *Panor. de Rebus geſtis Alphonſi.*

Pericles Xantippi filius quum publice dicturus prodiret, in primis ſe optare dicebat, ne inſolens verbum excideret, quod populum piaſve aures lædere poſſet, aut ſuæ etiam voluntati contrarium eſſet. Non ignoravit ſane vir prudentiſsimus ac eloquentiſsimus, (a) quam labilis lubricaque ſit lingua humana, quæ ſæpe numero limites ſuos egreſſa, in multa rerum pericula hominem etiam nolentem rapiat, ac in mortem quoque aliquando præcipitet. *Ælianus lib. 4. de Var. hiſt.*

Lacones Cteſiphontem ejecerunt, qui ſe profitebatur de quavis re totum diem poſſe dicere, dicentes: boni oratoris eſſe, ſermonem habere rebus parem. Nullâ in re juſtius putarunt adhibendam frugalitatem, quam in oratione: quam Heſiodus non aliter quam pretioſum theſaurum parciſsime cenſet eſſe depromendam ad uſum, non ad oſtentationem. *Plut. in Lacon. Apoph.*

† Lambotus cuidam apud ipſum prolixiore utenti ſermone: quid mihi (inquit) de re puſillâ longa texis procœmia? Quanta res eſt, tantam oportet & orationem eſſe qua uteris. Eſt hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi ſermone, quam cauſa poſtulat longiore: adeo nuſquam non placebat eis frugalitas. *Ibidem.*

Venerunt ad Cleomenem Samiorum oratores, hortaturi ut cum Polycrate bellum ſuſciperet. Id quum feciſſent oratione plus æquo prolixa, reſpondit in hunc modum: quæ primo loco dixiſtis, non memini; & ob id non media quidem intelligo: quæ vero dixiſtis omnium poſtrema, non probo. Admonuit, multiloquium non ſolum moleſtum

(a) *Tit. Linguæ moderatio.* † *Al.* Labatus.

esse audienti; verum etiam ad persuadendum inutile, præsertim apud principes, tum variis curis occupatos, tum auribus fastidiosis. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Sophistâ quodam de fortitudine multa differente, risit Cleomenes. At Sophistæ dicenti, quid rides Cleomenes, audiens de fortitudine differentem, præsertim quum sis rex? quoniam (inquit) amice, (a) si hirundo de fortitudine loqueretur, idem facerem quod nunc facio: sin aquila, magno silentio auscultarem. Visum est ineptum, quemquam de magnitudine magnificis uti verbis, qui ipse nihil fortiter gessisset unquam; neque aliud posset, quam in hirundinis morem garrire. *Ibid.*

Quum rhetorem eo nomine apud Agesilaum Lacedæmoniorum regem laudasset quidam, quod res specie exiguas magno verborum ornatu amplificare posset: ego (inquit rex) ne sutorem arbitror bonum, qui parvo pedi magnos calceos inducat. Quo innuit, inanem loquacitatem nullibi probandam esse. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Zeno, eleganter ac polite loquentium sermones ajebat esse similes pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, atque undique scripturam habenti more numismatis; nihilo tamen esse meliorem. Rursus, qui magis studerent utilia dicere quam nitida, similes esse dicebat tetradrachmis, temere ac ruditer percussis: quæ sæpe picturatis illis numis præponderarent. In numo non spectatur elegantia sculpturæ, sed pondus ac materia: ita non refert quam sit elegans oratio, sed quam gravis & utilis. *Laërt. lib. 7. cap. 1.*

Demetrius Phalereus, quantum in bello valeret ferrum, tantum dicebat in Repub. valere orationem. Illhic enim res geritur viribus, hic persuasione. *Laërt. lib. 5. cap. 5.*

Chrysippus Stoicus dicere solebat, cogitationem orationis esse fontem. Nihil autem aliud hoc dicterio significasse videtur, quam negotium omne prius probe examinandum esse, de quo dicturus es: & tum demum orationem nervis omnibus absolutam struere te posse. *Stob. serm. 1. de Prudentia.*

Demosthenes (b) interrogatus, quo modo orator factus es-

(a) *Tit. Doctor qualis esse debeat.* (b) *Tit. Studium.*

eſſet? reſpondit : dum plus olei, quam vini abſumerem. *Bruſ. lib.* 4. *cap.* 31.

Pyrrhus Epirotarum rex dicere ſolebat, plures urbes ſuo imperio additas oratione Cyneæ oratoris ac legati, quam ſuis armis. *Ex Valer. Max. Bruſ. lib.* 4. *cap.* 31.

Iſocrates interrogatus, quid eſſet rhetorica? ex parvis (inquit) magna facere, ex magnis parva. Eſt enim hæc nonnulla rhetorices pars, amplificare, & extenuare: quâ de re diligenter præcepit Fabius. Sed præſtigii genus eſt, quod reſpondit Iſocrates. Quin illud potius artis eſt, quæ magna ſunt ita tractare, ut auditori quoque magna videantur, & contra. *Eraſ. lib.* 8. *Apoph.*

Demoſthenes quum audiret oratorem quemdam immodice vociferantem: non (inquit) quod magnum eſt, bene eſt; ſed quod bene eſt, magnum eſt. *Eraſ. lib.* 4. *Apoph.*

Cicero, oratores qui inter dicendum vociferantur, dicebat claudis eſſe ſimiles; qui ſic ad clamorem, ut illi ad equos confugerent. Hoc genus homines & hodie videre eſt: qui quum ſentiunt ſe causâ inferiores, ad furioſa jurgia confugiunt; ut quoniam rationibus perſuadere non poſſunt, improbitate metuque extorqueant. *Plut. in Rom. Apoph.*

M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ patrum tribuebat ætas, vir naturâ peracutus & prudens, diſertos (ait) ſe vidiſſe multos; eloquentem omnino neminem. Inſidebat videlicet in ejus mente ſpecies eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsâ non videbat. *Cicer. in Orat. ad Brutum.*

Lectio.

ALphonſus Aragonum rex, Capuæ laborans adversâ valetudine, medicis multa medicamenta adhibentibus in graviſsimo morbo, Q. Curtii hiſtorias de Alexandri Magni rebus geſtis deſcriptas legere cœpit: cujus lectione delectatus, quum omnem morbi improbitatem ſuperaſſet, ſanitati reſtitutus: vale (inquit) Avicena, valeat Hippocrates, & alii medici; & vivat Curtius, reſtitutor ſanitatis meæ. *Panor. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Ariſtippus cuidam jactanti ſe, quod eſſet multiplicis eruditionis, quaſi nihil non didiciſſet: quemadmodum (inquit) non hi qui plurimum edunt excernuntque, melius valent his qui ſumunt quantum opus eſt: ita (a) non qui plurima, ſed qui utilia legerunt, ſtudioſi & eruditi ſunt habendi. Graviter taxavit eos, qui tumultuariâ immodicâque lectione ſe met ingurgitant; neque ea quæ legunt, trajiciunt in animum, ſed tantum reponunt in memoriâ. Quare nec doctiores evadunt, neque meliores. *Laërt. lib. 2. cap. 8.*

Alphonſus Aragonum rex, quum aliquando de jacturâ rerum pretioſarum ſermo haberetur, perſancte affirmaſſe dicitur, malle ſe gemmas, uniones, margaritas ſuas, quæ quidem eſſent in orbem omnem terrarum diffamatiſſimæ, quam libros qualeſcumque perditum iri. *Panor. lib. 4. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Studium.

SAlvius Julianus ſolitus eſt dicere: ſi alterum pedem in ſepulcro haberem, adhuc tamen addiſcere vellem.

Ariſtoteles Stagirites frequenter dicere ſolebat: artium radices ſatis quidem eſſe amaras, ſed dulciſsimum adferre fructum. *Laërt. lib. 5. cap. 5.*

Solon ille Salaminius, qui inter Græciæ ſapientes non poſtremi nominis fuit, gloriari ſolebat, ſe aliquid quotidie addiſcentem, ſenem fieri. Tanta enim homini ſapientiſsimo inerat diſcendi cupiditas, ut ſenex jam gravatus, non minus philoſophiæ incumberet, quam quum adoleſcens ac juvenis fuiſſet. Sciebat enim hæc ſtudia magnum ſenectutis ſolatium eſſe. *Cicero in Catone Majore.*

Exercitatio.

DEmonax (b) quemdam infeliciter declamantem admonuit, ut ſe ſe diligenter exerceret. Quumque is reſpon-dif-

(a) *Tit. Studium.* (b) *Tit. Eloquentia.*

disset; nunquam apud me non declamo: nihil igitur mirum (inquit) si dicis inepte, qui hactenus semper stulto auditore solitus sis uti. *Eras. lib.* 8. *Apoph.*

Pollio dicebat: commode agendo, factum est (a) ut minus commode: quia scilicet assiduitate nimiâ facilitas magis quam facultas; nec fiducia, sed temeritas paratur. *Eras. lib.* 8. *Apoph.*

Consuetudo.

SOcrates Alcibiadi demiranti, quod Xantippen supra modum rixosam domi perpeteretur: ego (inquit) jam pridem his sic assuevi, ut non magis offendar, quam si rotæ, quæ aquam educit, stridorem audiam. Nam is stridor molestissimus est insuetis: his vero qui quotidie audiunt, molestus non est. *Laërt. in vita Socratis.*

Pythagoras familiares suos hortabatur, ut optimum vivendi genus sibi deligerent. Quamvis enim laboriosissimum esset; consuetudine tamen jucundum fore. *Stob. serm.* 27.

Necessitas.

PIttacus Mitylenæus talem necessitatis vim esse dicebat, ut nec dii ipsi reluctari possint. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 5.

Thales Milesius olim interrogatus, quid esset in totâ rerum naturâ robustissimum? respondit: necessitas. Superat enim omnia. *Laërt. lib.* 1. *cap.* 1.

Architas quum Eratosthenis Mercurium legisset, hunc versum protulit: necessitas omnia docuit. Quid enim illa non inveniret? *Stob. serm.* 93.

Plato necessitatis leges tam duras esse dicebat, ut nec Deus violare possit. *Brus. lib.* 4. *cap.* 26.

Pheraulas apud Xenophontem: nullum (ait) præstantiorem doctorem esse necessitate. *Brus. lib.* 4. *cap.* 26.

(a) *Tit. Sup.*

Experientia.

QUum Zeno in ſcholis differens, acutiſsimis rationibus probaret, nullum eſſe motum nec eſſe poſſe, Diogenes ſurgens cœpit inambulare. Id admiratus Zeno: quid (inquit) agis Diogenes? confuto (inquit) tuas rationes. Taxans interim inanem ingenii oſtentationem; ſimulque docens, quavis probabili & apparente ratione longe fortiorem eſſe experientiam. *Laërt. lib. 6.*

Ageſilaus (a) quum miro eſſet amore erga liberos quos parvulos habebat, fertur in ſecretiore ædium parte, arundine pro equo conſcensâ, cum illis aliquando luſiſſe. Quumque ab amico in hoc ludo deprehenſus eſſet, rogavit illum familiariter, ne quod viderat alicui narraret, donec ipſe parens liberorum eſſet effectus. Sapienter judicans vix quemquam de re aliquâ certum poſſe ferre judicium, quam expertus non eſſet. *Eraſ. lib.* 1. *Apoph.*

Vita.

ARiſtides philoſophus, qui ob peculiares virtutes Juſtus cognominatus eſt, interrogatus, quatenus deceat hominem vivere? tantiſper (ait) dum deprehendat emori præſtare, quam in tot calamitatibus vivere. *Stobæus.*

Theophraſtus accuſaſſe naturam dicitur, quod cervis, & cornicibus vitam diuturnam (quorum id nihil intereſſet); hominibus vero, quorum maxime interfuiſſet, exiguam dediſſet: quorum ætas, ſi potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur. *Bruſ. lib. 3. cap.* 31.

Pyrrho Elienſis philoſophus admirari ſolebat illud Homeri verſiculum præ ceteris:

Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum:

quod videlicet aliis defluentibus, alia ſuccedant. Sentiens in rebus humanis nihil eſſe diuturnum, aut ſtabile. *Laert. lib. 9. cap.* 11.

Phi-

(a) *Tit. Amor.*

Philoſophus quidam interrogatus, qualis eſſet hominis vita? quum parumper ſe oſtendiſſet, mox ſe abſcondit. Quo indicare voluit, momentaneam ac perbrevem eſſe hominum vitam. *Rodolphus lib.* 1. *cap.* 24. *de Inventione.*

Octavianus Auguſtus Romanorum imperator, quum ſentiret imminere mortem, admiſſos amicos percontabatur, ecquid ipſis videretur mimum vitæ ſat commode tranſegiſſe? quum enim ab auguſto imperio ad pulverem ſe, depoſitâ imperatoris perſonâ, redactum eſſe cerneret; vitam hanc fabulæ ſimillimam eſſe hac interrogatione deſignavit. *Ex Suet.*

Pericles, qui tot præclaras res geſsit apud Athenienſes, magiſtrum habuit Anaxagoram: cujus præceptis fertur frequentiſsime uſus, non modo in rebus urbanis, verum etiam bellicis. In quibus quum eſſet intentus, audiretque, Anaxagoram diuturnæ vitæ tædio per inediam mortem ſibi conſcire, ad eum confeſtim advolavit, & ſupplex precibus lacrimiſque oravit, ut ſi non ſibi, ſaltem Pericli vivere vellet, quem conſiliorum ſocium in Repub. optaret. *Ex Franc. Senenſ. lib.* 2. *de Inſtitutione Reipub.*

Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor
Morbuſque. Multi ſunt humandi liberi,
Rurſus creandi: morſque eſt finita omnibus:
Quæ generi humano angorem nequicquam afferunt:
Reddenda eſt terræ terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges: ſic jubet neceſsitas.

Euripides apud Cicer. lib. 3. *Tuſcul.*

Mors.

FRidericus Romanorum imperator, interrogatus aliquando, quid homini optimum poſsit contingere? reſpondit: bonus in hac vita exitus. Senſit autem juxta Solonis elogium, neminem ante finem beatum prædicandum. *Æneas Sylv. lib.* 4. *Comment. in Res geſt. Alphonſi.*

Antigonus videns militem quemdam, alioquí ſtrenuum & ad pericula promtum, parum bene affecto corpore, rogavit, quid palleret? Illo confeſſo morbum occultum, juſſit

ſit medicis, ut ſi qua fieri poſſent, adhiberent remedia. At miles jam morbo liber, cœpit detrectare pugnam, minuſque promte ſe met objicere periculis. Rex admiratus interrogavit illum, quænam eſſet mutati animi cauſa? Tum miles: tu ipſe (inquit) in causâ fuiſti. Quum enim afflicte vivercm, non magnopere metuebam tali vitæ: nunc quum tuâ operâ mihi vita facta ſit carior, magis caveo ne pereat. *Eraſ. lib. 4. Apoph.*

Epicurus dicere ſolebat, contra cetera omnia aliquod tutum inveniri poſſe: at contra mortem, omnes nos inhabitare urbem immunitam. *Max. ſerm. 36.*

Muſonius interrogatus, quis optime extremum diem claudere poſſet? qui ſemper (reſpondit) poſtremum vitæ diem ſibi inſtare propoſuerit. *Ibidem.*

Olim in divitum epulis apud Ægyptios unuſquiſpiam cadaver ligneum, ſed quam proxime ad verum effictum oſtendebat ſingulis, dicens: in hunc intuens pota, & oblecta te, talis poſt mortem futurus. *Herodotus lib. 3.*

† Lochadus Poliænidæ filius, Sironis pater, nuntianti quod e filiis ipſius alter interiiſſet: olim ſciebam (inquit) illi moriendum eſſe. Nihil illi viſum eſt novæ rei, ſi mortalis natus moreretur: nec magis referre, paullo ſerius aut citius vitâ diſcederet, quum omnino brevi foret decedendum. *Plut. in Lacon.*

Conſtantinus imperator, quum Hormiſdæ Perſæ urbis Romæ magnitudinem, atque omnium ædificiorum magnificentiam oſtendiſſet; peteretque, ut quid de eâ ſentiret paucis enuntiaret, reſpondit: ex tanta re, quanta ei oſtendebatur, nihil eum delectaſſe magis, neque eſſe ex quo majorem fructum conſequi poſſet, quam quod ex iis quæ viderat, verum eſſe comprehenderet, in urbe Roma (quamquam amplitudine, opibuſque alias antecederet urbes) ſicut in ceteris orbis terrarum locis, homines etiam mori. *Fulgoſ. lib. 7. cap. 2.*

Ariſtoteles dicebat: ſæpe numero e vita migrare eſſe optimum, veluti e convivio, non ſitibundum, nec temulentum. *Stobæus.*

Eu-

† *Cruſerius habet*: Lochagus. *Sed* Lochadus. *etiam legitur in ſæpe laudata Regii verſione.*

Eucritus Chius quærenti ex eo, uter esse mallet, Crœsus an Socrates? respondit: vivens, mallem esse Crœsus; e vita discedens, Socrates. Indicavit autem, beatam esse philosophorum post hanc vitam conditionem: divites autem, licet bonis omnibus in præsenti vitâ abundent; post mortem tamen ob inique paratas opes, ac male collocatas, cruciandos dæmonibus dari. *Stobæus.*

„ Eadem nunc cupiditas multos tenet: qui vitam Epi-
„ curi; mortem D. Franciſci optant. Verum ut Paullus
„ ait: finis hominum erit ſecundum opera ipſorum. „

Severus Romanorum imperator, quum ſenio jam confectus, urnam ſibi præparaſſet, ut in ea mortuus ſepeliretur, paullo ante quam decederet e vitâ, eamdem ad ſe perferri juſsit, manibuſque contrectavit: tu (inquiens) virum capies, quem totus orbis terrarum capere nunquam potuit. *Dion Nicæus, & Xiphilinus in ejus vita.*

Fuit Saladinus princeps Ægyptius (id quod vix alicui perſuaderi poſsit) dum vixit longe clariſsimus. Namque imperii ſui fines in primis auxit: & feliciſsime diu rerum potitus, Hieroſolymis captis, Chriſtianorum quoque opes valde in oriente oppreſsit. Ille vero moriens in ſummâ rerum felicitate, teſtamento ſuo præcepit, ut interula tunica linea quam geſtare ſolebat, vertici prælongæ haſtæ affigeretur; exclamaretque aſsidue qui lanceam gereret, hanc unam eſse reliquam tunicam, quæ illi ex tantis opibus tantoque imperio ſuperfuiſſet. O vocem præclaram, dignamque in primis, quam inſolentiſsimi principe frequentiſsime in animo repetant! nobis omnibus vita functis, nihil omnino ſupereſſe, niſi ſi quid bene ſancteque geſſerimus. *Joannes Baptiſta Egnatius lib. 7. cap. 2.*

Alexandri mater Olympias, quum audiſſet filii cadaver inſepultum fuiſſe abjectum, inter lamenta dixit: o fili, tu qui ſtudebas cæli particeps eſse, huc toto impetu properans; ne iis quidem potiri potuiſti, quæ ſunt mortalium omnium communia, terrâ ac ſepulturâ? Alexander vivus ambiebat divinos honores: defuncto, nec ille contigit ultimus honos; quem quivis homo perſolvit homini quamlibet humili. Narrant enim Q. Curtius, & Plu-

tar-

tarchus Alexandri corpus multis diebus inſepultum jacuiſſe, ob graves procerum concertationes de ſucceſsione principatus.

Maſſagetæ & Derbices, propinquos cognatoſque quum ad multam ſenectutem venerint, vel aliquo caſu morti appropinquant, jugulatos ante magno epularum apparatu comedunt: ajuntque id facere, quod peſsimam hominum fortunam arbitrantur a vermibus devorari. *Ex Franc. Senenſ. lib. 5. de Inſtitutione Reip.*

Dionyſius, quum quidam ex ejus aſſentatoribus Damocles commemoraret in ſermone copias ejus, opes, majeſtatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuiſſe: viſne igitur (inquit) Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eamdem deguſtare, & fortunam experiri meam? Quum ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo magnificis operibus picto; abacoſque complures ornavit argento, auroque cælato: tum ad menſam eximiâ formâ pueros delectos juſsit conſiſtere, eoſque nutum ejus intuentes diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ; incendebantur odores; menſæ conquiſitiſsimis epulis exſtruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc autem medio apparatu, fulgentem gladium e lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti juſsit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos miniſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum; nec manum porrigebat in menſam: jam ipſæ defluebant coronæ. Denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet eſſe. Satiſne videtur declaraſſe Dionyſius, nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquid terroris impendeat? *Cic. lib. 5. Tuſc.*

Pœnitentia.

ALexander Macedo, inſtructâ jam ad prælium acie, quum cerneret militem quemdam id temporis amentum telo adaptantem; ut inutilem ſubmovit ab exercitu: qui id temporis appararet arma, quum his utendi tempus adeſſet. *Plut. in Apoph.*

„ Huic

„ Huic ignavo, & improvido militi ſimiles videntur eſ-
„ ſe, qui tum demum ad ſe redire & novam vitam in-
„ choare parant, quum ante actæ vitæ præmia percipienda
„ eſſent, videlicet ſub ipſam extremi ſpiritus horam. „

Felicitas, ſive ultimus humanæ vitæ finis.

SOcrates interrogatus, quid eſſet felicitas? voluptas (inquit) quam nulla pœnitudo conſequitur. *Stob. ſerm.* 101.

Bias Prieneus, beatum quidem eum eſſe dicebat, qui & dives eſſet, & cupitis potiretur. Verum qui ita animo ſuo imperaſſet, ut nihil deſideraret, eum longe beatiorem fore. *Max. ſerm.* 3. *de Caſtitate.*

Quum ex Socrate eſſet quæſitum, an Archelaum Perdiccæ filium, qui tum fortunatiſsimus habebatur, beatum putaret? haud ſcio, inquit: nunquam enim cum eo locutus ſum. Ain tu? an tu aliter id ſcire non potes? nullo modo. Tu igitur ne de Perſarum quidem rege magno potes dicere, beatus ne ſit? An ego poſſum, quum ignorem quam ſit doctus, quam vir bonus? Quid? tu in eo ſitam beatam vitam putas? Ita prorſus exiſtimo: bonos, beatos; improbos, miſeros. Miſer ergo Archelaus? Certe, ſi injuſtus. *Cicer. lib.* 5. *Tuſcul.*

Diogenes Cynicus Alexandro roganti ut diceret, ſi quid ei opus eſſet? nunc quidem paullulum (inquit) a ſole abſis. Officiebat videlicet apricanti. Et is quidem diſputare ſolebat, quantum regem Perſarum vitâ fortunâque ſuperaret? Sibi nihil deeſſe; illi nihil ſatis unquam fore. Se ejus voluptates non deſiderare, quibus ille nunquam ſatiari poſſet: ſuas eum conſequi nullo modo poſſe. *Cic. lib.* 5. *Tuſc.*

Theodoricus Colonienſis Eccleſiæ pontifex, prudentia & auctoritate inter electores imperii facile princeps, quærenti Sigiſmundo Cæſari, quonam pacto felicitatem conſequi poſſet? inter mortales (ait) fruſtra requiris. Petenti rurſum, ad cæleſtem illam quo itinere pergeret? recta, inquit. Inſtanti igitur, quid agens rectâ vaderet? ſi vitam tuam ita inſtitueris duxeriſque (inquit) ut facturum te promi-

miſiſti, dum calculus, aut podagra, ſive alia valetudo adverſa acrius te compreſsit. Docuit autem, morbum incitare nos ad capeſſendam meliorem vitam. *Æneas Sylv. lib.* 2. *Comment. de Reb. geſt. Alphonſi.*

Alphonſus rex, quum exempla priſcorum Chriſtianorum Senecam legendo evolveret, quem propemodum pro orthodoxo ſunt amplexi, rogatus a Davolo aulicorum præcipuo, cur animus mortalium ita immenſus atque inſatiabilis foret? reſpondit rex: animum hominis a Deo profectum non prius conquieſcere, quam eo rediret unde profectus eſſet. Eſſe proculdubio animum noſtrum Dei & æternitatis capacem: propterea nec impleri, nec ſatiari poſſe his rebus quæ fluxæ & incertæ eſſent; ſed Deum ipſum veluti naturalem ſedem, & ſuum quodam modo perfectum bonum appetere, hoc eſt, ſolidum & perfectum bonum. *Panor. lib.* 1. *de Reb. geſt. Alphonſi.*

Qui ſcopum non attingunt, hi vulgo fruſtrati dicuntur. At Diogenes negavit illos fruſtrari, qui aberrarent a ſcopo: ſed eos qui curas ſuas ad voluptatem, velut ad ſcopum dirigerent. Nam ab his petunt beatitudinem, per quam veniant in ſummam miſeriam. *Laërt. lib. 6.*

Quum quis Socrati diceret, magnum eſſe, compotem eorum fieri quæ cuperet, reſpondit: ſed multo majus eſt, ne cupere quidem. *Ælian. lib. 6. de Var. hiſt.*

LAUS DEO.

SE-

SERIES LOCORUM
EO ORDINE
QUO IN PRIMO TOMO COLLOCANTUR.

PRIMA CLASSIS
titulorum ad diverſos perſonarum ſtatus pertinentium.

Deus. Pag. 1
Dei providentia. 3
Gratia Dei, ſive divinum auxilium. 9
Dei beneficia. 10
Divinorum beneficiorum abuſus. 14
Dei opificium. Dei cognitio ex mundi fabrica. 15
Homo. 21
Mulier. 21
Anima. 21
Affectus, ſive paſsiones animi. 24
Senectus, & ſenex. 26
Vir, & Uxor. 26
Pater & Filius. Filiorum educatio. 27
Doctor, & Auditor. 29
Dominus. Servus. 33
Incipientium ſtatus. 34
Proficientium. 34
Perfectorum ſtatus. 36
Rex. Princeps. 39
Judex. Magiſtratus. 43
Potens. Potentia. 45
Nobiles. Ignobiles. 47
Vulgus. Vulgi errores, & opiniones. 47

SECUNDA CLASSIS
de virtutibus & vitiis.

Virtus. 49
Virtus partim facilis, partim difficilis. 53
Intentio recta in virtutis opere. 54
Voluntarium in virtute. 56
Conſcientia bona & mala. 56
Peccatum. Peccati mala, & cruciatus. 57
Peccati occaſiones eſſe vitandas. 60
Peccatum, hoc eſt, improbo-

borum hominum contubernia fugienda; contraque bonorum appetenda. 61
Peccantium multitudo, sive corrupti sæculi mores. 63
Peccatorum excusatio. 67
Tentatio, quæ ad peccandum sollicitat. 67
Fides. 69
Credulitas. 69
Spes. Desperatio. 70
Amor in communi. 70
Amor sui, sive cupiditas. 71
Amor mundi, rerumque labentium; contraque contemtus earum. 72
Zelus ex virtute. 79
Amor proximi; contraque Odium. 80
Amor inimicorum. 81
Amicitia vera & falsa. 82
Pax, Concordia. 83
Bellum. 84
Misericordia. Eleemosina. 87
Consolatio mœstorum. 88
Admonitio, sive castigatio. 104
Invidia. 107
Iners otium: contraque moderatio, vel immoderata occupatio. 107
Exemplum virtutis: quod & aliis præbere, & in aliis imitari debemus. 111
Fama. Infamia. 112
Judicium temerarium. 113
Prudentia. 113
Imprudentia. Ignorantia. 115
Consilium. 116
De justa rerum æstimatione. 116
Justitia. Injustitia. 117
Crudelitas. 118
Detractio: Maledicentia, ejusdemque contemtus. 118
Adulatio. Contraque, Libertas admonendi. 119
Religio. 123
Gratitudo. Ingratitudo. 124
Oratio. 126
Contemplatio naturæ. 126
Obedientia. Inobedientia. 133
Mendacium. 134
Liberalitas. Beneficentia. 134
Avaritia. Prodigalitas. 145
Divitiæ, Divites. 148
Paupertas. 153
Fortitudo. 163
Timor, & Audacia. 173
Magnanimitas. Pusillanimitas. 174
Constantia. Inconstantia. 176
Fortuna. Fortunæ inconstantia. Fortunæ utriusque comparatio. 178
Fortunæ utriusque contemtus, & moderatio. 183
Adversitas. Tribulatio. 187
Persecutiones bonorum virorum. 190
Exsilium. 191
Patientia, Impatientia. Præparatio animi ad adversa ferenda. 194
Perseverantia. 200
Labor, & Industria. 201

Tem-

Temperantia, Intemperantia. 201
Voluptas. 202
Luxus. 206
Frugalitas, & parsimonia luxui contraria. 210
Abstinentia. 215
Gula. 216
Sobrietas, Ebrietas. 218
Mansuetudo, Clementia. 220
Ira. 230
Modestia. 240
Linguæ moderatio. 242
Recreatio, sive Relaxatio animi. 242
Verecundia, Pudor. 242
Ornatus corporis & vestium. 243
Superbia. 244
Ambitio. 245
De vera & falsa gloria. 247
Hypocrisis. 247
Cognitio, & exploratio sui. 248
Victoria sui: quam quidam mortificationem, vel abnegationem sui vocant. 250
Libertas vera & falsa; itemque vera & falsa servitus. 254
Tranquillitas vera & falsa. 256
Solitudo. 257

TERTIA CLASSIS
peregrina quædam continens.

Sapiens, Sapientia. 260
Philosophia. 262
De utili & inutili scientia. 269
Curiositas probanda, & improbanda. 271
Eloquentia. 273
Studium, & discendi ardor. 278
Lectio. 281
Exercitatio. 285
Veritas. 285
Lex. 286
Natura. 287
Consuetudo bona & mala. 287
Vita. 289
Mors. 303
Tempus. 307
Felicitas vera & falsa. 308
Beatarum mentium felicitas. 320

SERIES LOCORUM
SECUNDI TOMI
EO ORDINE QUO TRACTANTUR.

PRIMA CLASSIS
in qua ponuntur tituli ad diversa genera statuum & personarum spectantes.

Deus. 321
Dei Providentia, & Justitia. 322
Dei opificium. 328
Anima rationalis. 328
Affectus & passiones animæ. 331
Adolescentia, Senectus. 333
Vir & uxor. Matrimonium. 333
Pater, Filius, Filiorum educatio. 335
Doctor & Auditor. 339
Proficientium status. 341
Sacerdos. 350
Rex, Princeps. 351
Judex, Magistratus. 361
Acceptio personarum. 365
Respublica. 367
Potentes, Potentia. 368

SECUNDA CLASSIS
quæ communia virtutum & vitiorum loca complectitur.

Virtus. 369
Vera & falsa virtus. 370
Virtus in medio. 372
Virtus quo modo facilis. 372
Tentatio. 373
Conscientia bona & mala. 373
Societas bonorum. 376
Amor sui. 377
Dilectio erga inimicos. 377
Amicitia vera & falsa. 382
Pax, Concordia. 386
Bellum. 386
Seditio, Factio. 386
Consolatio afflictorum. 388
Admonitio, Castigatio. 391
Invidia. 397
Inertia; contraque Diligentia. 398
Benevolentia civium captanda, & malevolentia fugienda. 399

Prudentia. 401
Juſtitia. 402
Uſura. 402
Reſtitutio. 405
Contumelia, Convicium. 405
Adulatio; contraque Libertas admonendi. 406
Religio. 427
Sacrificium, Oblatio. 427
Pietas in patriam. 428
Obſervantia in majores. 428
Gratitudo in Deum. 429
Contemplatio. 429
Juramentum. 430
Mendacium. 430
Obedientia. 431
Liberalitas. 431
Avaritia, Prodigalitas. 431
Divitiæ, Divites. 433
Paupertas. 434
Fortitudo. 435
Fortunæ inconſtantia. 436
Fortunæ utriuſque contemtus & moderatio. 437
Proſperitas. 440
Adverſitas. 441
Perſecutiones contra viros bonos. 441
Patientia, Impatientia. 441
Conſtantia. 444
Temperantia, Intemperantia. 445
Luxus. 445
Abſtinentia. 446
Gula. 448
Ebrietas. 448
Caſtitas, Cœlibatus. 449
Clementia, Manſuetudo. 451
Manſuetudo, Ira. 451
Recreatio, ſive Relaxatio animi. 460
Cognitio ſui. 461
Abnegatio ſui, vel affectuum cohibitio, ſive continentia. 463
Quies, ſive tranquillitas animi. 467
Inquietudo animi, Curæ, Diſtractio. 471
Modeſtia. 472
Linguæ moderatio. 473
Ornatus veſtium. 474
Verecundia, Pudor. 474
Philoſophia. 481
Poëtice. 483
Curioſitas improbanda. 486
Ambitio; contraque honoris contemtus. 491
Honor. 492
Hypocriſis. 492
Eloquentia. 493
Studium ſcientiæ, diſcendi ardor. 495
Veritas. 497
Conſuetudo. 497
Tempus. 498
Vita. 498
Mors. 499
Inferorum regio. 501
Beatarum mentium regio. 502
Felicitas vera & falſa. 503
Mixtus ex diverſis ſententiis locus. 506

SERIES LOCORUM
TERTII TOMI
EODEM ORDINE QUO TRACTANTUR.

PRIMA CLASSIS
quæ a Deo Opt. Max. incipiens, diverſorum ſtatuum perſonas complectitur.

Deus. 508
Dei providentia. 509
Opificium Dei. 510
Chriſtus. 511
Sanctus. 511
Homo. 512
Mulier. 514
Anima. 514
Liberum arbitrium. 516
Affectus. 516
Pueritia, & adoleſcentia. 516
Senectus. 516
Vir & Uxor. 518
Pater, Filius. Filiorum educatio. 522
Dominus. Servus. 525
Magiſter. Diſcipulus. 526
Doctor & auditor. 526
De Prælatis & eorum reſidentia. 527
Rex. 528
Magiſtratus, Judex. 538
Munera quæ excæcant judices. 542
Reſpublica. 544
Potentes, Potentia. 547
Nobilis, Nobilitas. 547
Vulgus. 549

SECUNDA CLASSIS
in qua virtutum & vitiorum loci collocantur.

Virtus. 552
Intentio in opere virtutis. 554
Virtutis modus, videlicet ut recte quæ recta ſunt exſequamur. 555
Conſcientia bona & mala. 555
Vitium. Peccatum. 556
Occaſiones peccatorum. 557
Societas bonorum aut malorum. 557
Tentatio. 558
Blaſphemia. 558
Spes. 558
Amor.

Amor. 559
Dilectio erga inimicos. 560
Amicitia, Amicus. 562
Pax, Concordia. 563
Bellum. 564
Misericordia. Eleemosina. 565
Consolatio mœstorum. 566
Castigatio, sive admonitio. 568
Invidia. 568
Labor & industria. 570
Otium, Inertia. 573
Exemplum, Imitatio. 575
Prudentia, Imprudentia. 576
Curiositas. 577
Veritas. 578
Consilium. 578
Justitia, Injustitia. 580
Crudelitas. 582
Usura, Fœnus. 582
Vectigalia. 583
Adulatio. 584
Detractio. 585
Convicium. 587
Mendacium. 588
Gratitudo. Ingratitudo. 588
Beneficia Dei. 589
Juramentum. 590
Oratio. 591
Obedientia. 592
Liberalitas. 593
Avaritia. 594
Divitiæ, Divites. 595
Paupertas. 596
Fortitudo. 598
Audacia. 599
Magnanimitas. 600
Patientia. 600
Prosperitas. Prosperitatis moderatio. 601
Adversitas. 602
Voluptas. Deliciæ. 603
Luxus. 605
Parsimonia, Frugalitas. 606
Gula. 607
Abstinentia. 607
Sobrietas, Ebrietas. 610
Castitas. 611
Clementia. 611
Mansuetudo. 614
Iracundia. 616
Modestia. 617
Decorum. 618
Affabilitas. 619
Linguæ moderatio. 619
Secretum. Silentium. 621
Verecundia, Pudor. 624
Ornatus corporis & vestium. 624
Pulchritudo, Deformitas. 626
Superbia. 627
Ambitio. 627
Honor. Gloria. 629
Laus humana. 631
Humilitas. 631
Cognitio sui. 631
Amor sui; contraque odium sui. 632
Abnegatio sui. 633
Libertas vera & falsa. Servitusque vera & falsa. 634
Otium. 635
Curæ. Sollicitudo. 635
Solitudo. 636

TER-

TERTIA CLASSIS
quæ promiſcue varios continet locos.

LEx. 636
Philoſophia, Scientia. 637
Eloquentia. 641
Lectio. 645
Studium. 646
Exercitatio. 646
Conſuetudo. 647
Neceſsitas. 647
Experientia. 648
Vita. 648
Mors. 649
Pœnitentia. 652
Felicitas, ſive ultimus humanæ vitæ finis. 653

FINIS.